



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google™ books

<https://books.google.com>







Digitized by Google

Cat
1

ETHICA
ET
JUS NATURÆ
IN USUM

AUDITORUM PHILOSOPHIÆ
CONSCRIPTA

A

FRANCISCO XAV. ROYS

SOC. JESU SACERDOTE.

EDITIO ATERA.

ANNO MDCCLXI.

Grab.



VIENNÆ AUSTRIÆ

TYPIS JOANNIS THOMÆ TRATTNER

CÆS. REG. APOST. MAJ. AULÆ TYPOGRAPHI,

ET BIBLIOPOLÆ.

472

100



PROOEMIUM

D E

Natura, partibus, ortu, progressu, ac utilitate Ethicæ, Jurisque naturalis.

Ethica ἀπὸ τῶν ἠθῶν, id est, Ethica
 a moribus Moralis dicta, Pars Phi-
 losophiæ.
 eam Philosophiæ partem* com-
 plectitur, qua mores hominum
 ad recti honestique naturalem regulam,
 A feli-

* Non immerito veteres Ethicam κατ' ἐξοχήν
 Philosophiam dixerunt: tanto enim ceteris
 nis

PROOEMIUM.

felicitatis humanæ gratia, diriguntur. Cum enim Philosophia universa sit rerum Divinarum, humanarumque scientia, ut inquit Tullius; (a) facile ejus partium esse intelligitur, non modo in cæterarum rerum naturis cognoscendis versari, verum & eas perspicere, quæ ad mores hominum informandos pertineant; quo non eruditi dumtaxat ac docti; sed probi etiam ac vere felices efficiamur. Etenim cognitio contemplatioque naturæ manca quodammodo atque inchoata foret, si nulla actio rerum consequatur, (b) qua probi atque beati simus.

Est præceptorum naturalium.

Cum igitur pars hæc Philosophiæ mores hominum ad recti honestique regulam naturalem dirigat; patet eam nihil aliud esse, quam cognitionem eorum principiorum, præceptorum, ac dogma-

ris Philosophiæ partibus est nobilior, quanto anima præstat corpore.

(a) De offic. 1. c. 13.

(b) Cic. de offic. 1. c. 153.

dogmatum, quæ naturalis ratio homini ad vitam recte honesteque instituentem præscribit. Habent ad mores hominum componendos vim longe maximam Christianæ fidei oracula, & revelationis Divinæ radii omne rationis naturalis lumen facile antecellunt: sed tamen in Ethica ad sacrosancta illa mysteria, quæ omnem rationem humanam superant; neutiquam videtur esse recurrendum; quo. Philosophia, quæ naturalis rationis limites non egreditur, sincerius pertractetur.

Cæterum Scientiam, an Prudentiam, Scientia, atque Prudentia. cognitionem hanc præceptorum naturalium dicas, nihil attinet; cum præpositum id unum sit, ut mores hominum rectos honestosque efficiat. Utriusque tamen nominis honorem ei jure tribueris, si scientiæ quidem nomine eam facultatem intelligas, quæ e principiis certis certas infert conclusiones; & prudentiam appelles, quæ quid agendum aut prætermitt-

PROOEMIUM.

tendum sit, certis item præceptionibus doceat.

Dirigens
Actiones
humanas.

*Materia jam, aut, si dicere ma-
vis, objectum, circa quod Ethica ver-
satur, sunt mores hominum. Mo-
res autem appello actiones humanas, id
est, motus eos, qui ab homine mo-
do humano, consulto, deliberato fi-
unt; non quos homo naturaliter, ne-
cessario, citra electionem, patitur ma-
gis, quam perficit. Vulgo quidem mo-
rum nomine Philosophi appetitiones ani-
mi, siue congenitas homini siue usu
acquisitas intelligunt: Sed fatendum de-
nique, id, quod ad honestatem a Phi-
losophia Morali ἀμείωως dirigitur, so-
las esse actiones humanas. Quamquam,
cum per frequentationem actuum hone-
storum ipse quoque appetitiones ad ho-
nestatem flectantur; consequens est,
ut, dum circa actiones humanas insti-
tuendas Ethica versatur, institutionis hu-
jus pars aliqua in ipsas etiam appetitio-
nes usu & consuetudine derivetur.*

Ho-

Honestas porro est veluti forma, qua Ad honestatem, imbuere actiones humanas Philosophia Moralis nititur. Quæ quidem honestas in eo uno consistit, ut actiones humanæ sint conformes principiis, præceptis, ac regulis, quas Ethica e ratione naturali repetit. Hinc actus, qui rectæ rationi congruunt, honesti, boni, & probi; inhonesti contra, mali ac improbi, qui eidem adversantur, dicuntur. Generatim vero morales nominari solent actus humani, qui sive consentiunt cum ratione naturali, sive ab ea discrepant. Atqua huc demum recidit morum & Moralis Philosophiæ notio: deerat nempe Romano sermoni vocabulum ad reddendum apte Græcum ἠθικόν, quo, ut ait Quintilianus, (a) rei naturam spectanti non tam mores significari videntur, quam morum quædam proprietas, affectuum videlicet lenitas quædam & mitigatio, sive, ut modo

A 3

dixi.

(a) lib. 6. c. 2.

8 PROOEMIUM.

diximus, humanarum actionum honestas.

Felicitatis humanae gratia.

Quem vero in finem, illa honestatis præcepta, nisi ut nos vere felices efficiant? Parum enim nobis prodesset esse probos, nisi probitas nobis veram felicitatem, quam naturaliter omnes expetimus, compararet. Hic ergo est scopus, ad quem Philosophiæ Moralis studia & præcepta omnia referuntur. Summa felicitatis humanæ in plena animi tranquillitate ac pace est reposita; pars hujus felicitatis, & quasi via ad illam, sunt mores honesti.*

Ejus partes Jus naturæ, ac proprie.

Sed felicitas humana suos habet gradus, ut pro vario honestatis gradu, in vita custodito magis minusve felices esse possumus. Unde conficitur, quoniam Philosophia Moralis ad eam felicitatem, quam
ho-

* Omnis summa Philosophiæ ad beate-vivendum refertur, idque unum expetentes homines se ad hoc studium contulerunt. Cic. Fin. II.

homines naturaliter consequi possumus, dicta E-
 thica.
 viam commonstrat, eam duplicis potif-
 simum generis regulas morum complecti.
 Aliæ nempe ad felicitatem simpliciter &
 absolute sunt necessariae; id est, sine
 quibus nullo pacto felices esse possumus;
 quas proinde si negligas, felicitatem
 omnem amisisti: aliæ vero ad felicitatis
 aliquod incrementum conducunt. Prio-
 ris generis regulæ peculiari nomine Præ-
 cepta & Leges naturæ, atque ea-
 rum collectio Jus aut Lex naturæ
 nuncupatur: generis posterioris non ni-
 si sensu latiore dici possunt præcepta aut
 leges, melius consilia & monita di-
 cendæ, earumque complexio sub nomi-
 ne Ethicæ proprie talis venire so-
 let. Quamvis enim Ethica universe spe-
 ctata utriusque generis regulas com-
 prendit: tamen, quia regulæ ge-
 neris prioris Juris naturæ appel-
 lationem sibi vindicarunt; reliquum
 erat, ut generis posterioris Ethica
 proprie talis, id est, pars Ethicæ,

quatenus differt a Jure naturæ; dicerentur

Juris naturalis variaz acceptiones *Atque ut Juris naturæ, quam esse primam Ethicæ partem modo diximus, notionem præviam accuratius proponamus; discernendæ sunt variaz ejus vocabuli acceptiones; ne inani disceptationi sit locus. Sumitur τὸ Jus aut Lex naturæ triplici intellectu: proprio, latiore, latissimo. Latissimo significat stabilem ordinem, quo res creatæ quælibet, etiam inanimatæ reguntur: puta leges, queis moventur corpora; leges, queis universi effectus naturæ peraguntur. Latiore dein intelliguntur pro- pensio illa seu appetentia, qua res animatæ, quamvis rationis expertes, impelluntur: quo modo illud accipit Ulpianus, cum ait: Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit: nam jus istud non humani generis proprium, sed omnium animalium commune est (a) Proprio de-*

(a) l. 1. ff. de J. & J.

demum ac minime lato sensu notat naturalem illam legem, qua creaturæ dumtaxat ratione præditæ, in actionibus suis liberis diriguntur, in ordine ad consequendam veram felicitatem.

Discrimen itaque inter Jus naturæ ac Ethicam proprie dictam, quamvis nomine Ethicæ latius sumtæ comprehendantur, non unum est. Utrumque respicit felicitatem humanam tanquam finem, utrumque regulas morum complectitur, utrumque ad honestatem actiones humanas instituit. Sed illud felicitatem simpliciter talem, atque, ut ita dicam, quoad substantiam respicit; hæc gradum aliquem majorem, ac velut incrementum felicitatis: illud complectitur regulas omnino necessarias ad felicitatem; hæc utiles quidem, sed non absolute necessarias: illud non honestatem modo, sed æquitatem etiam, sive justitiam in actionibus humanis; hæc honestatem præscindendo a justitia procurat.

Discrimen
inter J. N.
ac Ethicam
proprie dictam.

Ejus origo, & incrementa Divina.

*Exposita Moralis Philosophiæ natura ac partibus, jam de ejus ortu atque progressibus dicendum. Et quidem, cum omnis hæc disciplina e naturalis rationis lumine fluat; originem ejus perinde, atque ipsius mentis humane, non ad alium, quam ad Auctorem naturæ DEUM, atque adeo ad ipsa conditi hominis initia referendam esse, nemo nisi amens negaverit. Certe jam inde usque ab Adamo non aliis fere legibus regebatur genus humanum, quam naturalibus; quæ quidem tum imperfectæ, & offendentibus subinde menti caliginem sceleribus, pene extinctæ jacebant; * cum denique eas DEUS clariore in luce constituit, quando legem jam ante in mentibus scriptam, postea complexus Decalogo, in tabulis lapideis*

- *Parvulos natura nobis igniculos dedit, quos celeriter malis moribus, opinionibusque depravatis sic restinguimus; ut nusquam naturæ lumen appareat. Cic. Quæst. Tus. III.*

videis distinctius exaravit. Ultimam vero manum imposuit Servator, idemque Magister humani generis Christus; nam si omnem ejus doctrinam, a sacris Scriptoribus consignatam expendimus; præter ea, quæ positivæ legis appellatione veniunt, plurima in ea legimus, e quibus legis naturalis præcepta perfectionem suam accipiunt.

Quæ autem hominum isto in genere studia, qui conatus? Primas jure sibi vindicant antiqui Philosophi. Nam, ut taceam Chaldæos, Ægyptios, Indos, atque Æthiopas, quorum sapientiæ moralis documenta Porphyrius, Philostratus, Strabo, aliique memoriæ prodiderunt; e Græcis quidem supra ceteros Plato, Zeno, Aristoteles, tum e Latinis Cicero, Seneca, ac Justus Lipsius, unica ratione naturali duce, sic eam scientiam excoluere, ut, quidquid hoc in argumento postea a variis scriptum comperimus, id omne ex illis velut e fontibus fluxisse videatur. Quamquam non pos-

Quomodo exulta a veteribus Philosophis.

su-

sumus inficiari, etiam illos veteres, ambitionis, libidinis, & aliorum vitiorum, impetu abreptos, sæpius a sanæ mentis tramite aberrasse: quod præcipue de impudente Cyrenaicorum secta historiæ meminerunt: quam item labem multi aspersam volunt Epicuro, utut eum cum Gassendo alii acriter defendant; ad nos vero hæc in re aliquid definire nihil attinet.

**Ecclesiæ.
Patribus.**

Veteres Philosophos, qua parte rectæ rationi congruerent, secuti SS. Ecclesiæ Patres, eandem scientiam, Divinioris ope luminis, castiorem multo sanctioremque ad posteros transmiserunt. Et quamvis universam, qua late patet, ex industria persecuti non sunt, complura tamen ejus capita, ut rerum temporumque ratio ferebat, longe uberrime sapientissimeque pertractarunt. Quo in genere quid illustrius Augustino, de Civitate Dei? aut Ambrosio in libris, quos exemplo Tullii de officiis tres inscripsit? Aut denique Basilio Magno, Gregorio Na-

zi.

zianzeno, Joanne Chrysoſtomo, quorum in operibus tanta Ethicæ utriusque elucet ſapientia, quantam vel ipſi heterodoxi admirantur, temere certe, utcunque velint, non poſſunt.

Patrum veſtigiis duce Angelico inſtitute poſterioris ævi Doctores, eatenus de Republica Chriſtiana novo beneficio præclare meriti, quod ſparſa in aliis morum præcepta unum in corpus ordinemque redegerint, multaque præterea, que adhuc in tenebris latuerunt, produxerint in apertum.

Doctortibus.

Unum eſt, quod heterodoxos tam in Patribus, quam in poſterioribus morum Magiſtris offendit: illa Philoſophiæ Moralis cum Theologia conjunctio, imo, ut ajunt, confuſio. Verum, quoniam inſtitutum illorum erat, non honeſtam modo legique naturali conformem, ſed Chriſtianam etiam vivendi rationem mortalibus tradere; oportebat profecto illos utriusque regulas permiscere: ſi permiscere hoc eſt, & non potius naturales illas aliis ſacratioribus perficere.

Ad

Protestan-
tibus.

*Attamen injurii ne simus heterodoxis; sua etiam illis constet laus, suumque præ-
tium. Multum illi ad illustrandam præ-
cipue Juris naturalis prudentiam con-
tulerunt; quos inter præcipue sunt Hugo
Grotius, Samuel Pufendorffius, Christia-
nus Thomafius. Sed, quod Protestan-
tes venditant, eos e ruinis excitasse Ju-
ris naturalis prudentiam: id quidem
adeo, alienum à vero est, ut eam etiam
magnam partem turpissimis erroribus in-
quinarint: quod tamen demonstrare non
est hujus loci, sed per decursum in pe-
culiaribus argumentis patebit.*

Ab I.
gnatio
Schwar-
zio e.S. J.

*Interim silentio præterire nefas puto
R. P. Ignatium Schwarziium, e Soc. JE-
su, qui unus ex Orthodoxis omnibus,
quod sciam, contra Protestantes Juris
naturalis. defensionem explanationemque
consulto suscepit, perfecitque ita, ut ei
nihil, sive firmitatem, sive puritatem
doctrinæ, sive etiam ubertatem spectes,
ultra adjici posse videatur.*

Hæc

Hæc de ortu ac progressu Philosophiæ Moralis. E quibus utilitatem ejusdem æstimare licet. Neque enim exilis comodi, aut omnino frustraneam existimare possumus scientiam illam, cui excolendæ doctissimi sapientissimique utri tantum sibi laboris impendendum putarunt. Primum quidem huic scientiæ, tanquam fundamento, omnis Juris humani prudentia innititur: quemadmodum enim ex Jure naturæ omnis humana derivatur legum ferendarum potestas; ita eadem nihil, quod illi adversetur, valet statuere. Ut adeo non nisi temere ac prorsus imparati in sacratiora legum adyta irruere videantur, qui in Juris naturalis velut quodam vestibulo non fuerint diversati. Deinde in legum cognitione progredientibus admirabilis apparebit Juris naturalis cum positivo consensio: quo fiet, ut promiore studio in legum Civilium & Sacrarum ferantur observantiam, quas naturalibus etiam rationum momentis viderint confirmatas: lenius enim fle-

Etur-

Ejus utilitas

Etuntur voluntates hominum ad facienda imperata, ubi imperantium auctoritati ratio suffragatur. Denique & ii, quos nulla tenet Numinis religio, sensim naturalibus rationibus ad eam perducentur, ubi legis Divinae lineamenta in mente hominis adumbrata perspexerint.

Distribu-
tio operis. *Tam ergo commendatam scientiam quo meliore ordine pertractemus, quatuor eam distribuimus in partes. Et quidem, cum universa morum Philosophia, ut supra declaravimus, Jus naturæ ac Ethicam proprie talem contineat, principia vero ac prima elementa utrique sint communia; hæc primam operis partem sub nomine Ethicæ generalis constituent. Tum parte secunda Jus naturæ, & quæ inde fluunt, hominis officia; tertia vero Ethicam proprie talem explicabimus. Postrema, quæ ad Rempublicam & regendam familiam pertinent, id est, Politicam ac Oeconomicam distinctius exequendo universum opus absolvet.*

PARS

PARS I.

ETHICA GENERALIS.

Ethicæ generalis nomine intelligimus principia, sive elementa, e quibus tum Juris naturæ, cum Ethicæ proprie dictæ, leges ac regulæ pendent.

Cum itaque universa Ethica sit complexio legum naturalium, queis actiones humanæ ad honestatem, felicitatis obtinendæ gratia, diriguntur; elementa ejus his fere comprehenduntur capitibus. Exponendum est videlicet, quæ sit naturæ humanæ conditio, quis ejus finis, quæ genuina felicitas. quæ actionum humanarum natura ac indoles.

CAPUT I.

De statu hominis naturali.

Quando eam Disciplinam exponendam aggredimur, quæ actiones humanas e naturalis dumtaxat rationis legibus moderatur; juverit ante omnia hominem, secundum conditionem suam naturalem, ita considerare, ut, quidquid eum supra communem omnium hominum naturam evehit, ab ista contemplatione penitus secernatur. Sic enim fiet, ut, quæ contentanea ejus

I.
Homo secundum naturam spectatus.

B

na-

naturæ sint morum præcepta, facilius detegamus. Cum vero naturæ humanæ cognitio ex aliis Philosophiæ partibus, puta ex Physica, Ontologia, Pneumatologia pendeat; inde nos ea mutuabimur, quæ ad institutum nostrum proprius pertinere, neque adeo hic prolixius pertractanda, quam breviter indicanda videntur.

II. *Conditus a Deo.* Atque ut ab Autore naturæ ordiamur, quemadmodum dubitare non possumus nos existere, ac diversissima quoque extra nos existere entia, quæ in universa rerum natura continentur: eaque, sive seorsum sive per collectionem accepta, sibi met ad existendum neutiquam sufficere: ita vel inde manifesto intelligimus, necesse esse, ut sit Autor aliquis universæ naturæ, sive ens quoddam supremum, a quo cætera omnia existere suum acceperint, ipsum vero sufficiat sibi ipsi; quod ens supremum DEUS appellatur. Et quoniam *esse ab alio* est idea illa, quæ creationis nomine designatur; recte hominem perinde, atque entia reliqua omnia, a Deo creata esse pronunciamus.

III. *Constat corpore organico, & unita ipsi anima.* Itaque Deus hominem creavit. Sed qualem? Corpus effinxit, eique inspiravit animam, mirabili quadam ratione sociandam; sic, ut quicumque in corpore fierent motus, eosdem percipiat & anima; rursumque motus animæ in corpus deriventur. Quocirca etiam istud partibus qua fluidis, qua solidis, divino plane artificio ita composuit; ut ad functiones, quas homines in nobis experimur, esse idoneum. Sed quia corpus secundum se quidem, est substantia iners: sane

sane principium illud, quod actiones hominis, ministerio organorum corporis, efficit, expers omnis materiæ sit oportet; idque animam dicimus. Hæc igitur est, quæ audit, quæ videt, quæ denique sentit. Verum hæc sentiendi facultas est homini cum beluis communis.

Multo nobilior est conditio animæ humanæ, quæ intellectu etiam pollet ac voluntate: queis nominibus, etli diversæ respiciuntur animæ operationes, una tamen eademque designatur anima. Et intellectus quidem ea est animæ facultas, qua res non modo corporeas, verum & ab omni sensu abstractas cognoscere, de iis iudicium ferre, atque ex notis recondita detegere ratiocinando novit. Voluntas vero ejusdem est vis animæ, qua res intellectu cognitæ vel prosequitur, vel averfatur. Cui libertas jungitur, id est, potestas quidpiam seu amplectendi, seu negligendi, sive etiam contrarium pro eò deligendi.

Talis cum sit partium hominis singularum constitutio: ac talis inter illas mutua intercedat habitudo; fieri secundum earum naturam, aliter non potest, quam ut variæ in homine oriantur appetitiones. Etenim si corpus partibus solidis constat ac fluidis, vario inter sese ordine collocatis, variis etiam illud modis moveri ac affici posse, in aperto est; motus vero & affectiones corporis percipit sociata ipsi anima; quales igitur fuerint motiones corporis, suaves aut inimicæ, tales consequentur animæ perceptiones. Hæc concupiscentiæ, hæc iræ, & appetitionum omnium, quas ideo genera-

IV.
Rationali.

V.
Hinc appetitus sentiens,

& rationalis.

tim sensitivas appellare consuevimus, origo; quæ proinde a naturali hominis conditione adeo non abhorrent, ut ex ipsa etiam naturaliter enascantur. Deinde, quoniam rationali etiam facultate præditi sumus, atque in illud voluntate ferimur, quod bonum arbitramur: naturalem etiam quandam rationi nostræ insitam esse boni appetitionem cognoscimus.

VI. Quorum prior non est subiectus alteri.

Sed quid? considerata præcise natura hominis, concupiscentia, ira, cæterique appetitus facultatis sentientis, an subiecti sunt rationi? nunquamne imperium ejus antevertere possunt? Possunt plane, & vero prævertunt etiam quam sæpissime: imperium illud rationis in appetitum sentientem privilegium erat, Adamo concessum, naturæ humanæ nequaquam debitum. Appetitiones enim sensuum moventur ac excitantur a causis, quas mens humana neque prospicere semper, nedum omnino prohibere valeat. Quo non minus tamen satis consultum est homini, ut peccatum declinet, quem Deus mente instruxit, ac libera voluntate: quamvis enim sensuum motiones sæpe omnem antevertant cogitationem; tamen nec voluntati necessitatem ullam inferunt, ut iis obtemperet; ac, ne obtemperet, ubi cum honestate pugnaverint, ratio naturalis præscribit.

VII. Homo natura sua mortalis.

Mortalitatem etiam nihil alienum esse a natura humana, ex eadem corporis animæque habitudine conficitur. Nam, si vinculum, quo duæ illæ substantiæ copulantur, ex apta corporis ad peragendas certas motiones conformatione pendet; prof-

fecto vinculum illud rumpi necesse est, ubi, perturbato organorum ordine, corpus ad functiones suas inhabile redditum fuerit. Jam corpus variis constituitur partibus, heterogeneis, ac inter sese pugnantibus; actioni præterea extraneorum corporum, queis ambitur, est obnoxium: fieri ergo aliquando debet, ut pulcherrimus ille partium ordo pervertatur, atque ita rupto vinculo anima e statione sua decedat. *

Num vero, extincto corpore, humana quoque anima in nihilum abibit? Eam quidem *VIII: Anima hu- mana natu- raliter im- mortalis.* immortalem esse fide certa tenemus: sed quaeritur, peculiari Dei beneficio, an secundum naturam hæc ei prærogativa conveniat? ita prorsus, secundum naturam. Cur enim post fata corporis esse desinat? Certe cum natura sua sit spiritus, inter res creatas nullam omnino inveneris, quæ eam destructum eat: ergo nili potenti-Auto- ris

B 3

* Sic fere etiam e Stoicorum sententia Antonius L. IV. Ο θάνατος τοῖς τοῖς, inquit, οἷον γενεσις, φύσεως μυσηριον. σύγκρισις, ἐκ τῶν αὐτῶν σοιχείων, ἐς ταῦτα. -- ἔ γάρ παρὰ τὸ ἐξῆς τῷ νοερῷ ζῶει. ἔδδ παρὰ τὸν λόγον τῆς παρασκευῆς. Mors perinde ac vita arcamum est naturæ opus, ex iisdem elementis in eadem confusio & mixtio, -- neque enim tale quid est, quod vel animalis ratione præditi naturæ incoherens, vel contra ejus structuræ rationem sit.

ris sui ope destituatur, cujus unius ex nutu permansio ejus pendet atque cessatio, æternum superstes erit. Atqui ejusdem Autoris naturæ est, quæ semel condidit, eadem & perpetuo, siquidem natura rei ita exigat, conservare. Anima humana ex natura sua id exigit? quia, vel exuta corpore, habet finem naturæ suæ consentaneum, cur perseveret: operationes ejus, quas intellectus ac voluntatis viribus elicit, natura sua non sunt ejusmodi, ut ministerio sensuum necessario indigeant: exercere ergo illas mens nostra poterit, etiam segregata a corpore. Segregetur ergo: otiosa non erit, viribus suis uti poterit, poterit intelligere, velle; habebit igitur finem naturæ suæ convenientem, cur porro existere pergat: ergo spectata natura sua conservari poterit? & quia Deus rerum naturis, ut Autor naturæ, potentiam suam commodat, eadem, qua mentem nostram primum condidit potentia, deinceps etiam semper conservabit.

IX. Hujusmodi est fere status hominis, secundum naturam suam pure considerati. *Varii status natura.* Quatuor enim statuum naturæ humanæ Auctores distinguunt genera: nempe statum naturæ puræ; naturæ integræ, innocentis &

Sensus quoque Ecclesiæ, hominem natura sua morti obnoxium esse, docet. Nam 782 inter propositiones Michaelis Baji, a Pio V. Gregorio XIII. & Urbano VIII. damnatas, est: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.*

& lapsæ. *Pura natura* status dicitur, in quo ipsa nec peccato quidem originalis corrupta, sed nec ad sublimiorem aliquem, aut supra vires suas positum finem destinata, neque adeo aliis, præterquam sibi debitis facultatibus donisque, ornata intelligeretur. Status *natura integra* ad reliquum cumulum donorum naturalium adjicit aliud nobilius, quo appetitiones sensuum subjiciuntur rationi, sic, ut ex ejus imperio unice pendeant, neque illud antevertere possint; similiter autem & ratio subjecta sit Deo. Status *natura innocentis* quem etiam *justitia originalis* appellare solent, naturam integram perficit, dum eam evehit ad finem naturaliter inaccessum, atque ad eum consequendum donis ac viribus, puram naturam superantibus, eandem præparat. Idem status immunitatem præstat a morte, morbis, aliisque incommodis, quibus pura natura foret obnoxia. Status denique *natura lapsæ* indicat naturam, prærogativis integritatis ac innocentis, ob delictum primi hominum parentis, exspoliata. His adde statum naturæ, ab humani generis Servatore Christo eatenus *reparata*, ut ea nihilominus ad finem altiorem subsidiis sibi neutiquam debitis provehatur.

Varios hos naturæ humanæ status discernere isthic placuit, quo clarius naturæ puræ X.
 conditio elucescat, quam unam leges Phi Cur discernendi.
 losophiæ Moralís inquirenti præ oculis habendam esse supra monuimus. Verum natura duplici ratione spectandam se offert: primum quoad dotes ac facultates físicas; deinde quoad mores honestatis, legibus in

formandos. Priorem naturæ conditionem *physicam*, posteriorem *moralem* nominare licet. Illam hæctenus, quantum opus erat, explicuimus; hanc deinceps, ut instituti nostri ratio postulat, persequemur. Habent enim, quæ ad moralem statum attinent, quandam cum *physica* naturæ constitutione affinitatem velut ac proportionem; ut ad eam prorsus accomodata, immo ex illa naturali quodam ordine fluere videantur: quod ex hujusce tractationis seriè apparerebit.

CAPUT II.

De Fine hominis naturali.

XI.
Transitio.

Cum nulla recte vivendi iniri possit ratio, nisi quo ea ducere debeat, ante fuerit perspectum, ideoque omnia, quæ ad moralem hominis statum pertinent, ex fine ejusdem metiendâ sint: post exploratam naturæ humanæ *physicam* conditionem, ad inquirendum ejus finem progredimur.

XII.
Certum omnia habent finem.

Sane, quoniam Deus hominem talem condidit, iisque ornavit donis ac facultatibus, quas superiore capite indicavimus; non poterat id temere, nulloque consilio, sed ex certa intentione, certumque aliquem ob finem peragere. Quamvis enim necesse nulla ratione habuit, ut extra se, quod ajunt, operaretur; quippe sibi ipse immensum sufficiens, extranea re nulla indiget:posito tamen, quod ex liberrimo voluntatis

tis suæ arbitrio creationis opus susceperit, mundumque condere, atque in eo collocare hominem decreverit; profecto sapientiæ ejus ratio, cujus est nihil inconsulte aggreſſi, id postulabat, ut operi suo certum aliquem finem statueret. *

Quod si id sapientia Dei postulabat, certe ad eandem quoque pertinuit, ut finem præstituentium rerum singularum naturæ ac facultati accommodaret, aut e converso ad eum, quem semel constituit finem, naturam & facultates singularum effingeret: non minus enim insipientiæ argumentum est, finem actioni proponere, quem consequi non possis, quam nullo fine proposito suscipere aliquid faciendum. Ad quem itaque usum res quælibet ab Autore naturæ aptata fuerit; ad eum, generatim loquendo, tanquam ad finem suum ab eodem destinatam esse recte arguimus.

XIII.
Eumque
natura sua
accommo-
datum, sibi-
que peculia-
rem.

Unde ferenda minime sunt Epicureorum deliria, nihil certo fine, non aures ad audiendum, non oculos ad videndum, non ad loquendum linguam &c. sed omnia temere enata esse, omnia fortuito usum suum obtinuisse somniantium; quem insanum errorem Lucretius ita eloquitur: (a)

XIV.
Contra as-
senferint
Epicurei.

B 5

Nil

* ἄβελον γὰρ θεόν, εἰδὲ ἐπινοῆσαι βέλδιον.
Nam Deum sine consilio agentem, ne cogitare quidem facile est. Anton. L. VI.

(a) lib. 4. v. 832. &c.

*Nil ideo, quoniam natum est in corpore, ut
uni*

*Possemus: sed quod natum est, id procreat
usum.*

*Nec fuit ante videre oculorum lumina nata
Nec distis orare prius, quam lingua
creata est.*

*Sed potius longe linguae praecessit origo.
Sermonem: multoque creata sunt prius
aures.*

*Quam sonus est auditus: Et omnia de-
nique membra*

*Ante fuere, at opinor, eorum quam foret
usus.*

*Haud igitur potuere utendi crescere
causa.*

XV. Peculiares tamen hi rerum singularum
Sed unus fines, ultimus earum terminus esse ne-
omnium Et queunt: nobiliorem alium scopum Divina
ultimus si- Conditoris sapientiae in operis sui molitione
nis est De- respicere debuit, ad quem caeteri omnes
us. referrentur. Etenim ordo finium ordini
respondet causarum agentium: ut quo praestantior
quaeque fuerit, hoc finem sibi nobiliorem praestituat.
Praestantissima igitur a prima causarum, a qua caeterae omnes
vim agendi accipiunt, cum Deus sit, non poterat hic,
nisi nobilissimum etiam ac praestantissimum finem,
dum universum hoc conderet, sibi praefigere. Quem vero
nobiliorem praefigere potuit, quam seipsum? seipsum
ergo praefixit: ac proinde ipse finis est ultimus rerum
omnium. Decebat hoc plane Conditorem universorum,
rum,

rum, & vero ipsa etiam rerum creatarum conditio exigebat, ut ad illum omnia ultimo referrentur, a quo omnia suam traxissent originem; atque ita idem esset *Alpha & Omega, idem principium & finis.* (a) Exigebat hoc denique & ipsius interminata bonitas, ut qui in rebus creatis necessario se amat, eas non nisi propter se ipsum condiderit. Ita ratio naturalis demonstrat, quod revelatio divina confirmavit. Unde & Sapiens: *universa, inquit, propter semetipsum operatus est Dominus.* (b)

Verum si Deus finis est rerum omnium, XVI.
 qua ratione eum ad ipsarum naturam accom- *Id est mani-*
 modatum? aut quam habitudinem rebus *festatio di-*
 creatis ad illum esse dicemus? Quamvis *vinarum*
 enim immensis intervallis disjuncta sint, *perfectio-*
 res creatæ, ac Deus, tamen inter illa *num.*
 quamdam connexionem intercedere neces-
 se est, ne finis sit frustraneus, sed ejusmo-
 di, qui obtineri valeat. Certe cum finis
 hic sit rebus creatis naturalis, connexio
 illa atque habitudo non aliunde, quam ex
 ipsa rerum, earumque Autoris natura re-
 petenda videtur. Etenim res omnes crea-
 tæ quid sunt, nisi divinæ opus potentæ,
 nisi propagines velut ipsius perfectionis, ni-
 si Divinitatis quædam adumbrata imago?
 Suam ergo Deus in rebus creatis manife-
 stat potentiam, suam commendat sapien-
 tiam suas denique perfectiones exprimit.
 Et rationem finis ultimi, ejusdemque ad
 na-

(a) Apocal. c. i. v. 8.

(b) Prov. c. i6. v. 4.

naturam rerum accommodati. Omnia propter semetipsum creavit Dominus: suas nempe ut in illis perfectiones manifestas faceret. Manifestatio autem hæc cum Deo gloriosa sit, & tamen extra ipsum posita, idcirco *Gloria Dei extrinseca* appellatur.

XVII. Patet hinc, res omnes, quatenus perfectionem Autoris sui, velut imagines physicae, repræsentant, eatenus ultimum suum finem consequi. Ipse adeo homo, quo amplius cæteras res creatas dotibus naturalibus antecellit, hoc magis gloriam & perfectionem Conditoris sui commendat.

Obtinendus ab homine per cognitionem & amorem.

Sed cum homo intellectu ac voluntate sit præditus; tum denique fine suo ultimo potiri censendus est, quando hac etiam parte, qua a cæteris rebus creatis discernitur, ita se habet ad suum Autorem, ut ejus in sese perfectiones exprimat. Atqui hoc aliter neque fieri, neque intelligi potest, quam cum Autorem suum, quoad naturæ puræ fert conditio, cognoscit & amat: sic enimvero secundum omnem mentis suæ capacitatem eum in sese exprimit. Ergo ratio, qua homo ultimo suo fine potitur, in eo consistit, ut eum, pro naturalibus intelligentiæ ac voluntatis suæ viribus, cognoscat & amet.

XVIII.
Non vero aliquid creatum.

Nihil ergo creatum, caducum nihil, finis potest supremus esse hominis; cum omnia ad principium suum ultimo referantur; ut scilicet gloria Conditoris in iis resplendeat, & opus commendet Autorem. Nec ulla in re gravius errarunt antiqui Philosophi, quam cum aut in voluptate

corporis *, aut scientia **, aut qualibet alia re extra Deum, rationem finis ultimi reposuerunt: &, quoniam e cognitione finis ultimi omnis manat Moralis Philosophiæ doctrina; nil mirum, qui in eo perspicendo cæcutiissent, in plurimos errores alios vel ipsi rationi formidandos, ruisse. Solus divinus Plato cæteris altius obtutum in Autorem rerum defixit, unica ratione naturali acuate aciem, ac monitrante verita-

- * Ut Aristippus, Autor sectæ Cyrenæicæ, qui *amplexus voluptatis sensum esse eum finem, ac in eo esse felicitatem statuit, ipsamque unicam durabilem dixit, id nempe, quod quivis profligatorum diceret.* Athen. l. 12.

Quid Epicurus nomine voluptatis, quam pro fine hominis constituit, intellexerit, explicat ipse apud Laërtium l. 10. f. 131. *cum dicimus, inquit, voluptatem finem esse; non luxuriosorum voluptates, easque, quæ in fruendo sunt positæ, dicimus; ut quidam ignorantes aut a nostra sententiâ dissentientes, aut male eam accipientes arbitrantur: sed non dolere corpore, animoque tranquillum esse conjungimus.*

- ** Ut Anaxagoras, qui *rogatus, cujus rei causa natus esset? inspicendi, inquit Cæli, & Solis, & Lunæ.* Laërt. l. 2. f. 10.

Sic & Herillus Carthagenensis *finem scientiam dixit, quod est semper vivere cuncta referendo ad vivendum cum scientia, ne ignorantia dejiciamur.* Laërt. l. 7. f. 165.

ritatem, quæ sua satis luce se signat. Hanc ampliæ omnis sana Philosophia, Deum solum ut Autorem primum rerum omnium, sic finem supremum agnoscit.

XIX.
Eum homo
naturaliter?

Jam si Deus est finis hominis, debet menti humanæ congenita esse quædam propensio, quæ in illum feratur; alioquin Deus parum provide constituisset homini finem, in quem natura sua non tenderet. Est ergo homini innatus & ab Autore naturæ insitus appetitus, quo tendat in Deum. Et, quamvis illum homines non ita manifeste in nobis percipimus, atque ceteras appetitiones; propterea quod vivacius afficiant, quæ sensum movent, quam ea, quæ animum: ratio tamen providentiæ divinæ, nihil temere constituentis, illum nobis insitum esse satis demonstrat. Præterea cum naturaliter bonum expetamus, atque Deus omnem bonitatis rationem in se contineat, ino bonum sit interminatum: vel sic etiam intelligimus, nos naturali quodam appetitu in Deum agi. Quamquam nec ita occultus este istt appetitus, quin aliquando manifestis indiciis sese in homine prodar. Quid enim illa fluctuantis animi perturbatio, & in nulla re creata conquiescentis, quid aliud indicat quam ingenitum aliquem ipsi appetitum, qui, nisi Deo, expleri non possit? prout, ut illam Augustini confessionem repetere omnibus necesse sit: *fecisti nos ad te; & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* (a)

L:-

(a) Lib. I. Confess. c. I.

Licet vero hæc ita sint; ac homo, naturali quadam inclinatione animi, in Deum propendeat; tamen, quia ea libertate ab Autore suo præditus est, ut naturali appetitioni vel obsequi, vel contravenire, pro arbitrio possit: inde manifeste conequitur, ut in potestate sit hominis, ultimo suo fine vel excidere, vel potiri. Secus nempe, ac cætera creata homine inferiora, quæ cum ratione ac libertate careant, non agunt, sed necessitate quadam aguntur in finem; nec proinde fine suo unquam excidunt: cum semper, secundum suam habilitatem, Conditoris sui perfectionem ac gloriam manifestent. Enimvero homo, vel si libere agat semper aliquem actioni suæ terminum præfinit; sed in eo nimirum deerat, quod terminum sibi præfinit alienum ab eo, quem Autor naturæ ipsi præstituit.

Satis itaque non est, hominem agi in ultimum finem, appetentia aliqua naturali: ut ejus compotem se faciat, agat etiam libere oportet, eum in finem. Ita actiones humane erunt medium & via, quæ hominem ad terminum a Deo sibi præstitutum perducant. Sed si medium & via sunt; proportionem etiam cum fine habeant necesse est. Quemadmodum igitur tum ad ultimum suum finem pervenire censetur homo, quando ad Autorem suum ita fuerit comparatus, ut ejus in sese perfectiones, secundum omnem mentis suæ capacitatem, exprimat: sic & actiones humane illæ duntaxat medium accommodatum ad eum finem censeri possunt, quæ perfectionem

XX.

Consequi vero ipsi est librum.

XXI.

Ideo per actiones in eum tendat oportet.

nem Dei commendent. * Et, quoniam actus humani circa res creatas ut plurimum versantur; eatenus etiam istæ rationem medii ad ultimum finem obtinent, quatenus homini deserviunt, ut iis ad manifestandam Conditoris perfectionem utatur: unde & dici finis ἀμεσος sive proximus actuum humanorum possunt.

CAPUT III.

De Felicitate hominis naturali.

XXII.
Quid sit
felicitas?

Felicitatis idea tam clara inest mentibus nostris, ut nemo non existimet tum denique se felicem esse, cum appetitionem suam expletam senserit. Tranquillitas ergo illa animi, in possessione rei expetitæ con- quiescentis, omnium consensu hominum felicitas appellatur. **

Nec

* Hoc est, actiones cum virtute conjunctæ, actiones ad normam rationis naturalis exactæ. Hinc recte quidem Zeno finem ait consentaneæ secundum naturam vivere; id autem est secundum virtutem vivere, ad eam quippe natura nos ducit. Laërt. l. 7. f. 87. Sed perperam in virtute finem ultimum constituit; cum sit tantum finis proximus, & via ad obtinendum ultimum.

** Passim veteres quoque Philosophi felicitatem aliis atque aliis verbis nunc

εὐ-

Nec minus illud omnibus est exploratum, quo fuerit hæc animi quies purior atque constantior, eo feliciorem esse, qui ea perfruitur. Nemo siquidem est, quin perferendam putet puram animi tranquillitatem illi, quæ vicissitudini rerum adversarum sit obnoxia; aut constantem atque perpetuam ei; quæ certis temporum limitibus circumscribatur. Puritas igitur, atque constantia, conditiones sunt duæ, quæ perfectam felicitatem constituunt.

XXIII.
Quid perfecta?

Jam illud, in quod appetitio fertur, & cujus possessione expletur, bonum dicere solemus.* Et aliud quidem honestum, quod appetitum recte rationis explet: aliud jucundum, quod satisfacit appetitui sensuum: quibus tertium genus boni adjici solet, quod ut le

XXIV.
Quid & quotuplex bonum?

C

no-

εὐδαιμονίαν nunc animi tranquillitatem, nunc bonum pacatum que animi statum, nunc securitatem mentis nominant; ut apud Senecam, Laertium, Ciceronem videre est: quamvis, ex quo fonte illa oriatur, multum inter se dissentiant.

* Cum appetitiones hominum tam sint variæ, ut, quæ alios delectant, averferentur alii; si quid est, quod omnes appetant, illud erit bonum universale; bona vero dicentur singularia, quæ non ab omnibus, sed aliquibus expetuntur. Universali ergo duntaxat bono congruit definitio illa, quam Aristoteles initio libri I. Ethicorum ex veteribus commendat, qua bonum dicitur esse id, quod omnia appetunt.

nominatur. Sed, ut rem dicam; omne utile expetitur tanquam medium ad obtinendum id, quo expleatur appetitus vel rationis, vel sensuum; ergo omne utile vel ad genus boni honestum, vel ad jucundum refertur. Rursus in alia tria genera Philosophi dispescunt bona: cum alia bona *fortuna*, ut honores, opes, &c. alia bona *corporis*, ut sanitatem &c. alia bona *animi*, ut scientiam &c. appellant; quæ quidem omnia eatenus appellationem boni sortiuntur: quatenus eorum possessio quemcunque hominis appetitum tranquillat.

XXV. Porro, quoties aliquid expetimus, id expetitur a nobis vel ratione sui vel propter quid aliud, in cujus adeptione appetitus noster quiescat: ut adeo rationem boni semper æstimemus ex fine. Sic bona est sanitas, quam propter seipsam expetimus; quia nos reddit felices: bona etiam medicina, quam expetimus propter sanitatem; quia ad sanitatem conducit; qua redamur felices. Hujus discriminis causa, usus loquendi inter Philosophos obtinuit, ut ea, quæ propter se expetuntur, dicantur bona *absolute*, quæ vero propter aliud, bona *comparete*, scilicet ad finem.

XXVI. Cum itaque bonum sit, quod nos reddit felices, aut ad felicitatem conducit, felicitas vero puritate atque constantia perficitur; *perfectum* ac *summum bonum* ex iisdem conditionibus æstimetur, necesse est; purum videlicet sit, oportet, & constans. *Purum* erit, si absque defectu, si expers omnis admissionis, qua tranquillitas ani-

mi-

mi turbetur. *Constans* atque *perpetuum*, si nullo temporum cursu terminetur, atque ita perpetuam procuret felicitatem.

- His cognitis, qua ratione comparata esse debeat naturalis hominis felicitas, aut quodnam sit illud bonum cujus possessione homo perfecte sit felix, primum est intelligere, Nempe, cum felicitas universe accepta consistat in possessione ejus boni, quo appetitio hominis expletur; bonum vero æstimetur ex fine, ita, ut expetitur propter seipsum sit absolutum: consequens est, naturalem hominis felicitatem positam esse in possessione boni absoluti, scilicet ejus finis, quem a natura constitutum habet, in quem & naturali appetitu propter ipsum movetur. Alioquin nec expleretur possessione finis animus, si quid ultra posset expetere. Deinde, cum homo rationali facultate polleat, qua discernitur a bestiis; atque in ea facultate resideat appetitus, quo fertur in finem naturalis ejus felicitas, eique tamquam homini propria, debet ejus boni possessione constare, quod rationali hominis facultati congruat; eamque secundum omnem ipsius capacitatem possit explere: quocirca purum sit, oportet. Denique, cum anima humana natura sua sit immortalis, perpetuæ quoque felicitatis est capax: perpetuo ergo indiget bono, cujus possessione æternum sit felix. Jam purum atque perpetuum bonum est bonum summum, bonum perfectum: perfecti ergo ac summi boni possessione naturalis

XXVII.
*Naturalis
Hominis
felicitas
consistit in
possessione
summi Bo-
ni.*

ralis hominis felicitas ac beatitudo absolvitur.

XXVIII. Quæ si ita sunt, uti esse reapse naturali
Quod non omnes ratiocinio cognoscimus; nullum
est ullum ergo bonum creatum idoneum est, ut ho-
bonum minem in vera ac perfecta felicitate consti-
creatum. tuat: non bona fortunæ, non corporis aut
 sentuum, non animi etiam, quantumvis
 ceteris præstantiora *. Nullum eorum fi-
 nis est naturæ humanæ ab Autore suo de-
 cretus, nullum appetitionem naturalem ex-
 plere potest: manca omnia calamita-
 tibus plurimis, & perpetua alternantium
 casuum varietate corrupta. ** Sæpe, quæ
 expetuntur, in potestate hominis non sunt,
 ut obtineantur; sæpe, cum obtenta fue-
 rint, opinione citius elabuntur: & quæ
 in

* Πεπέρασαι γὰρ, περί πύσα πλα-
 νηθεῖς, ἢ δαμῶς εὐρες, τὸ ἐν ζῆν, ἢ ἐν
 συλλογισμοῖς, ἢ ἐν πλῆτῳ, ἢ ἐν
 δόξῃ, ἢ ἐν ἀπολαύσει, ἢ δαμῶς.
 Expertus enim es, circum quot res vagatus, nus-
 quam vitam beatam inveneris: non in syllogismis,
 non in divitiis, non in gloria, non in voluptate,
 nullibi, Anton. lib. VIII.

** Caduca nimirum, fragilia, puerilibusque consen-
 tanea crepundiis, sunt quæ vires, atque opes huma-
 næ vocantur. Affluunt subito, repente dila-
 buntur, nullo in loco, nulla in persona stabili-
 bus nixa radicibus consistunt, sed in certissimo statu
 for-

in deliciis erant, sæpe num ro vertente die in pœnitudinis convertuntur materiem. Denique vel si fingas hominem aliquem, qui bonis creatis omnibus, sine ulla rerum ac temporum vicissitudine perfruatur: ea tamen perpetua futura non sunt: deserentque hominem, quia caduca sunt: aut ab eo deserentur, quia natura sua est mortalis.

Philosophorum tamen veterum plerique felicitatem hominis in rerum ceatarum possessione constituerunt. Et commemorat Augustinus (a) ex Varrone ducentas octo & octoginta ea super re discrepantes inter setè illorum sententias, quas videre est apud Laertium, Plutarchum, Senecam, Ciceronem (b). Sed illi, non est, cur nos morentur. Cum felicitas ex fine pendeat; postquam in illo decernendo semel errarunt, error iste traxit alium, ut in definienda quoque felicitate, tam varias præcipites irent in partes.

XXIX.
*Ut voluere
veteres
Philosophi.*

Solus itaque Deus est bonum illud, quo perfruendo homo perfectam habeat felicitatem. Etenim si naturalis hominis appetitus unice expleri potest possessione boni absoluti,

XXX
*Sed solus
Deus.*

C 3

puri

fortuna huc atque illuc acta, quos in sublime extulerunt, improvise cursu destitutos profundo cladium miserabiliter immergunt. Valer. Max. lib. 6. cap. 9.

(a) De Civit. Dei, l. 19. c. 2.

(b) De Fin. l. 3. c. 21.

puri, atque perpetui; verho possessione perfecti ac summi boni, ut supra n. 27. declaratum est: inde profecto manifeste sequitur, solum Deum, qui cum ultimus sit finis, quem homines naturaliter propter semetipsum expetimus, est bonum absolutum: * cumque infinita quadam ratione in se contineat, quidquid mens humana expetere possit **, est bonum purum; & cum sit sempiternus, bonum est perpetuum; ideoque Bonum perfectum ac summum solum, inquam, esse Deum, qui desideria mentis humanæ explere, eam perfecte tranquillare, atque ita vere perfecteque beatam reddere possit.

XXXI.
Ut possidendus per cognitionem, & amorem.

Cum ergo felicitas hominis in possessione Dei, tanquam boni summi & finis sui ultimi consistat; possessio vero hæc per n. 17 aliud non sit, quam cognitio Dei, eoque amor, quo duplici mentis exercitio perficitur recta habitudo hominis ad Deum, ut gloria Conditoris in opere suo eluceat: consequens est, felicitatem hominis cognitio-

* Universale quoque bonum est solus Deus; quia ille unicus in quem mortales omnes appetitu naturali ferimur, tanquam in finem nostrum.

** Est enim (Deus) omnium summum bonorum, cunctaque intra se bona continens, cui si quid abforet, summum esse non posset; quoniam relinqueretur extrinsecus, quod posset optari. Boet. de Consol. Philos. 1. 3. Prosa 2.

tione* & amore Dei, id est, ea habitudine, quo homo secundum omnem mentis suæ capacitatem Deum, in se complectatur & exprimat, contineri. Enim vero in ceteris quoque rebus creatis tum unaquæque felicitatem suam, (si ita dicere fas est) censetur obtinere, cum ad finem suum recte fuerit comparata: multo igitur magis homo, qui beatitudinis vere capax est, tum denique censendus erit vere felix, verèque beatus, quando ad finem suum recte comparatus fuerit, quando videlicet pro capacitæ suæ mentis commendarit Autoris sui gloriam, atque ita omnem, quo in eum naturaliter fertur, appetitum expletum senserit; quod cum cognitione Dei perficiatur & amore, in hoc repositam esse naturalem hominis felicitatem completam intelligimus.

C 4

Sed

- * Cognitionem hic cum dicimus, non ea intelligenda est, quam Theologi *intuitivam* vocant. Intuitiva Dei cognitio naturæ vires superat, puræ naturæ hominis non est debita. Qua homo naturaliter foret beatus, esset cognitio obscura, & ut ajunt, *abstracta*: clarior tamen, ac sit ea, quam mortali in corpore habere possumus; & sufficiens, quæ animum in amorem Dei rapiat; atque ita idonea ad procurandam homini felicitatem, naturæ ipsius convenientem.

XXXII. Sed felicitas hæc perfecta non est hujus *Quæ felicitas est alterius vitæ?* mortalis vitæ. * Eventus varii, qui extra potestatem sunt hominis; insectationes hostium; pericula a præstituto fine deflectendi, pugnante aduersus rationem appetitu sensuum; conditio ipsa corporis, tot morbis & afflictionibus molestis obnoxia: mentem humanam identidem interpellant, nec patiuntur citra omnem perturbationem in unius Dei cognitione & amore conualescere. Sola igitur anima, æternum duratura (si intra puræ naturæ sermonem teneamus limites) polito mortali corpore, ejus compos fieri potest beatitudinis: Corpus, uti sensus, ita & appetitionis expers, beatitudinis proprie dictæ non est capax. Sed nec, ut beatum quomodocunque post hanc vitam sit, naturæ puræ debetur, quippe secundum quam hominem per n, 7. mortalem esse novimus.

XXXIII Perfecte beatis hic esse cum non liceat; *Hujus vero in actionibus ad illam perducere tibus consistit.* curandum certe, ut, quantum mortalis vitæ patitur conditio, beate vivere possimus. Sed quæ sit vera hujus vitæ felicitas, diligenter videndum; ne, dum fucam aliquam expetimus, veris miseriis involvamus. Metienda igitur hæc est ex illa alterius vitæ felicitate perfecta. Illa in possessione finis ultimi summique Boni consistit: ergo vitæ ratio, quæ ad illam summi Bo-

Dicique beatus

Ante obitum nemo, supræmaque funera debet.

Ovid. Metam. l. 3. v. 136.

Boni & ultimi finis possessionem perducit, veram ac sinceram hominis sui itatem, quamvis imperfectam, constituit. Hæc autem vitæ ratio continetur actionibus humanis ad procurandum ultimum finem ita accomodatis, ut ex illis gloria & perfectio Conditoris eluceat, per n. 21. ergo in ejusmodi actionibus humanis reposita est hujus vitæ felicitas. * Deinde, cum res creata, quatenus homo iis ad manifestandam Conditoris sui perfectionem utitur, sint media conducentia ad consequendum ultimum finem, ut eodem n. 21. dictum est; atque ita, comparata ad finem, rationem boni obtineant**: etiam creatorum bonorum possessio sive usus, accomoda-

C 5

tus

* Quod idem est, atque si dicas. felicitatem hujus Vitæ in virtute, in honestate, in agendo secundum rectam rationem consistere. Etiam illa antiqua Philosophia (Platonis, Zenonis, Aristotelis) sensit, in una virtute positam esse beatam vitam. Cic. Acad. l. I. c. 6.

** Ea igitur, quæ bona creata dicimus secundum se reipsa nec bona homini, nec mala sunt, sed ἀδιάφορα: quia

Perinde sunt, ut illius animus, qui ea possidet:

Qui uti scit, ei bona; illi, qui utitur recte, mala.

Terent. Heaut. Act. I. sc. 2.

tus ad obtinendum summum bonum, aliquam felicitatis ejus, quam mortali hac in vita sinceram consequi valeamus, partem efficit. Quod si demum e puritate ac stabilitate aestimetur vera felicitas, ea rursus non alibi, quam in eo vitæ genere invenitur, quod ad perpetuam felicitatem ducit. Habent & vitia suas illecebras, & virtus suas patitur difficultates: sed virtutis labor seditiosos appetitus componit, animum sinistris casibus superiorem efficit, & sinceram firmamque parit tranquillitatem; cum ex adverso inquieta sit ipsa, quæ in vitiis reponitur, quies, moxque evanescentes longum trahit doloris, tristitiæ & calamitatum agmen.

CAPUT IV.

De Actionum Humanarum Natura.

XXXIV.

Connexio.

Postquam in possessione ultimi finis repositam esse hominis felicitatem intelleximus, qua ut potiatur, necesse sit eum per actiones suas ad illam tendere, unde vel mortali adhuc in corpore inchoata quadam ratione vivat beatus: cum actiones humanas eo dirigere ac informare munus sit proprium Ethicæ; id nunc agitur, ut, quid sint actiones humanæ, quæ earum natura ac indoles, pernoſcamus.

Aſſio-

Actionem omnem esse aliquem motum, manifestius est, quam ut probatione nostra indigeat. Sed non omni motui actionis nomen convenit: multi sunt mera passio. Equidem sine actione motus nullus efficitur, sive quidpiam propria virtute, sive ab aliena moveatur potentia: sed actio mirum est in causa movente; passio vero in eo, quod movetur. Quocirca, cum in homine duplicis generis reperiantur motus; alii, quos homo vi motrice sibi propria efficit; alii, qui in eo cientur a causa aliqua extranea: illos recte *Actiones*, hos vero *passiones* dicemus. Actiones deinde ipsæ rursus sunt duplices; anima enim, quæ principium est omnis actionis in homine, vel se ipsam movet, vel motum producit in corpore: quos in se ipsa efficit motus, actiones *interiores*; quos in corpore, *exterior*es vocantur.

XXXV.

Quid sit Actio?

Quid interior, & exterior?

Quamvis autem motus hominis, quos actiones dicimus, efficienter ab ipso proveniant; experientia tamen nostra minime dubia docemur, non omnes illos ex hominis ita pendere arbitrio, quin plurimi contra ejus deliberationem, sæpe etiam ipso invito eveniant. Cujusmodi sunt συσολη ac διασολη cordis, motus peristalticus intestinorum, χιλωσις item ac αιμάτωσις, aliiquæ motus in corpore innumeri, qui a nobis ne cogitantibus quidem peraguntur. Sic etiam concupiscentiæ ac iræ motus omnem, sæpe voluntatem prævertunt. Sic rerum variarum ideas, vel cum minime velimus, percipimus. Alias contra actiones.

XXXVI.

Quid sint Actiones naturales, quid humana?

nes.

nes, magistra eadem experientia, novimus fitas esse in homini potestate, sic, ut eas efficere, prætermittere, unam pro alia obire pro libitu queat. Per illum stat e. g. ut loquatur, an taceat; sedeat, an obambulet: ludis vacet, an litteris. Eam ob causam priores actiones appellantur *necessariæ*, posteriores *liberæ*. Deinde, cum solæ actiones liberæ sint capaces bonitatis aut malitiæ moralis; necessariæ vero naturaliter & citra moralem libertatem fiant: hæc quidem *naturales & physica*, illæ vero *morales* dicuntur. Postremo necessariæ ac naturales nominari solent actiones *hominis*; liberæ vero & morales, actiones non tantum hominis, sed etiam *humanæ*: propterea quod humanus, hominique proprius modus operandi sit, operari mentaliter & libere; naturales & necessariæ actiones. etfi ab eodem homine, non tamen humano hominique, proprio modo peragantur* Hinc & passiones dici possunt: actiones quidem, quatenus efficiuntur ab homine physice; passiones vero, quia homo, quæ non liber agit, revera patitur.

Ex

* *Illæ actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt; si autem aliæ actiones homini convenient, possunt dici quidem hominis actiones; sed non proprie humanæ; cum non sint hominis, in quantum homo est. D. Thom. 1. 2. p. 1. a. 1.*

Ex his facile quisque intelligit, non alias actiones, nisi eas, quæ humanæ dicuntur, Philoſophia Morali ad honestatem dirigi. Dirigi enim aliæ nequeunt, nisi quæ in potestate sint hominis, quas ponere aut miſſas facere ipſi fit liberum: tales cum ſint eæ duntaxat actiones, quas humanas dicimus; conſequens eſt, eas unice ſubjectas eſſe directioni Ethicæ. Videri equidem poſſet, paſſiones etiam vel actiones naturales huic directioni ſubjacere: nam, etſi neceſſariæ ſunt, arbitrio tamen hominis eatenus parent, quatenus hic ad libitum ſuum eas vel adjuvat, vel retardat, vel omnino etiam fiſtit. Naturaliter fit præparatio chyli ac ſanguinis, naturaliter motus cordis ac inteſtinorum; tamen in arbitrio hominis eſt, ea vel adjuvare medicamentis ac temperantia, vel contra ingluviem perturbare, aut fiſtere etiam reſti, ferro, toxicis. Naturaliter exoriuntur iræ & concupiſcentiæ motus; attamen iis frænos injicere, aut laxare, viam præcludere, aut aperire poſſumus. Naturaliter percipimus rerum ideas, quæ ſeſe nobis offerunt; eas tamen a nobis remove, aut iis locum dare, in noſtra ſitum eſt potestate. Verum, quia paſſiones ejuſmodi vel naturales actiones adjuvari, retardari, fiſti ab homine aliter non poſſunt, quam admovendo vel omitendo certas actiones liberaſ; manifeſtum eſt, liberaſ duntaxat actiones, quæ illas naturales ac neceſſarias moderari valeant, ſubjectas eſſe directioni Ethicæ.

XXXVII
Sola actiones humanæ d.ri-
guntur ab
Ethica.

Pa-

XXXVIII.
*Earum
 principia
 sunt intelle-
 ctus & vo-
 luntas.*

Patet etiam, duo esse principia actionis humanæ; intellectum videlicet, ac liberam voluntatem. Cum enim actio humana sit motus, qui ex libera hominis electione peragitur; eligere, id est, unum præ alio complecti, ad liberam voluntatem pertineat: principium unum actionis humanæ debet esse voluntas libera. Deinde, cum voluntas amplecti nequeat, nisi ante fuerint cognita, quæ vel amplecti vel rejicere possit; ea vero cognoscere munus proprium fit intellectus: intellectus quoque debet esse actionis humanæ principium. Potiori tamen jure actio humana voluntati tribuitur: intellectus enim facem veluti præfert voluntati, dum ea proponit, quæ sub electionem cadunt; at voluntas denique decernit, utrum eligere, utrum repudiare malit.

XXXIX.
*Quomodo
 intellectus
 ad actio-
 nem huma-
 nam con-
 currat.*

Cum intellectus voluntati præluere debeat, ut ea modo humano operetur; tria sunt potissimum, quæ intellectus debet ostendere: Objectum scilicet, finem, & *περιπτώσεις* sive circumstantias actionis. *Objectum* est id, circa quod actio versatur. *Finis* id, propter quod fit actio. *Circumstantiæ* ea omnia, quæ actionem comitantur. Nam, cum omnis actus humanus sit motio voluntatis, quidpiam vel prosequentis, vel averfantis; requiritur certe prævia cognitio ejus, quod voluntas prosequi vel averfari possit. Deinde, cum actus humanus non sit, nisi proposito aliquo fine susceptus: patet, etiam cognitionem finis ad actum humanum necessariam esse. Quemadmodum autem voluntas tendit in objectum,

Actum; alias propter ipsum, alias propter quid aliud; ita aliquando objectum est idem & finis, non nunquam vero ab eo distinctum, habetque rationem medii ad finem. Sive autem distincta sint objectum & finis, sive una eademque res; semper ab intellectu proponi debent vel ut bona, vel ut mala: alioquin voluntas, quæ nec prosequitur aliquid, nisi sub ratione boni, nec averfatur, nisi sub ratione mali, in ea tendere nequiquam posset. Porro quoniam actio humana est libera; consequensest, cognitionem objecti & finis debere esse ejusmodi, quæ etsi voluntati agendum aliquid suadeat aut dissuadeat, necessitatem tamen nullam inferat, neque ad agendum, neque ad non agendum: quam cognitionem vulgo *indifferentem* dicimus. Demum & circumstantias, quæ actionem humanam comitantur, intellectus perspiciat, oportet: cum sæpe unica sit *περὶ αἰτίας*, qua cognita nunquam commissuri erant homines, quod ea ignorata patrarunt. Et hæc quidem de intellectu.

Quod vero ad voluntatem attinet, quæ alterum & præcipuum est principium, duo in ea requiruntur, actum humanum constituentia: volitio nempe, atque electio. Illa, ut actus sit voluntarius; hæc, ut sit liber. *Volitio* est inclinatio voluntatis, qua amplectitur objectum cognitum sub ratione boni; quemadmodum *nolitio* est ejusdem alienatio ab objecto sub ratione mali cognito. Eadem autem est volitionis & nolitiois ratio; siquidem & alienatio voluntatis est quædam ejusdem ad quidpiam fugiendum inclinatio. *Electio*, eadem est

XL.
*Quomodo
voluntas e*

VQ-

voluntatis inclinatio vel alienatio, sed libera: id est, actus voluntatis, quo aliquid ita profequitur, ut illud averſari, aut certe non proſequi poſſit.

XLI.
*Quid ſit
 voluntarium? quid
 liberum?*

Voluntarium ergo dicitur, quod procedit a voluntate, ſeu ſit ex propenſione voluntatis, prælucente cognitione intellectus. Quod ſi ex quſlicunque propenſione aliquid fiat, aut ſine cognitione finis, illud erit *ſpontaneum*. Quare ſpontaneum latius patet, quam voluntarium: hoc enim ſolis agentibus ratione præditis, illud etiam brutis convenit, *Involuntarium* contra eſt, quod ſit aut contra propenſionem voluntatis. & dicitur *involuntarium poſitive* aut defectu ſufficientis cognitionis, & *involuntarium negative* ſeu non voluntarium appellatur. *Liberum* vero illud duntaxat cenſetur, quod non modo cum propenſione voluntatis, ut voluntarium, ſed ex libera etiam ejuſdem electione ſit. Hinc non omne, quod voluntarium, item & liberum dici poteſt; eſt enim omne liberum ſit voluntarium: nam & illud, quod ex neceſſitate voluntas amplectitur, voluntarium eſt, ſed *neceſſarium*, non liberum.

XLII.
*Quid eſt
 quod duplex
 libertas?*

Non nunquam tamen liberum latiore ſenſu accipitur pro eo, quod voluntas ſuapte inclinatione, & citra coactionem amplectitur; cum proprie liberum, ut modo diximus, illud duntaxat cenſetur, quod ita amplectitur voluntas, ut idem omittere, aut contrarium pro eo deligere in poteſtate ſua habeat. Unde duplex ſtatuitur libertas: altera *voluntariorum* ſeu a coactione, quæ vim ſeu coactionem excludit; *indifferen-*

rentia. electionis, seu a necessitate altera, quæ necessitatem etiam removet, sic, ut potestas relinquatur integra, ex oppositis utrumlibet deligendi. Omne ergo liberum a necessitate, est etiam liberum a coactione: at non vicissim: cum hoc posterius possit etiam esse necessarium, perinde ut voluntarium, cum quo idem est.

Utramque hanc libertatem inesse homini, *XLIII.* adeo tum ratione, cum propria cujusque *An & quæ* experientia manifestum est omnibus, ut, *libertas in* si post Lutherum, Calvinum, & Janse *homine de-* nium perpauca aliqui (uti sunt Thoma- *tur.* sius, Fleischerus. * Hobbesius **) demantur, ne ipsi quidem Protestantes in dubium vocent. Quantum ad libertatem voluntarii: certe bonum ac felicitatem suam, generatim acceptam, necessario quidem, sed voluntarie & sine coactione quisque diligit. Quoad actus interiores voluntas, ut mox infra dicemus, cogi neutiquam potest; & in exterioribus quis neget, se multa non modo sine coactione, sed libentissime etiam & cum

D de-

* Qui c. 2. n. 112. *Nulla, inquit, voluntatibus nostris competit libertas intrinseca; sed homines in omnibus suis actionibus agunt coacte: nam omnia, quæ omittunt, metu pressi necessaria omittere debent.*

** Ait enim c. 11. *de homine*, appetitionem, & aversionem necessario sequi præconceptum jucunditatis, & molestiæ ex ipsis objectis adfuturæ, *verso arbitrio libero.*

delectatione operari? Deinde, quod attinet ad libertatem indifferentiæ: nisi quis mentem omnem exuerit, & contradixerit intimæ suæ conscientiæ; fateatur iterum, necesse est, plurima se quotidie pro arbitrio suo agere, atque ex iis, quæ intellectus in utramque partem proponit, alterum præ altero deligere. Et vero, si homo careat hac facultate electiva; supervacanea erit, quæ ipsi inest, vis cognoscendi bonitatem & malitiam, conferendi media cum fine, eorum majorem minoremve aptitudinem & convenientiam discernendi; frustraneæ erunt leges, inanes vituperationes & laudes, deliberationes, monita & consilia nugatoria; DEUS ipse temerarius fuerit, & longe iniquissimus, qui homini præcipiat, quæ fieri non possunt, & remuneretur aut vindicet, quæ declinare non sit in hominis potestate.

XI. IV.
Quæ voluntarium vitient?

His intellectis, quæ ad constituendum actum humanum pertinent; quo plenius ejus cognoscatur indoles, illud nunc videndum, quibus rebus, quave ratione vitietur. Cum itaque duo sint actus humani principia, intellectus scilicet & voluntas.

* Adde, si tollatur libertas indifferentiæ, Deum fore Autorem peccati. *Liberum? arbitrium*, inquit Grotius ipse in opusculo de dogmatis Reipublicæ perniciosissimis, *si qui plane tollunt, evadere vix possunt, quin Deum omnium scelerum causam jaciunt, id quod in Reipublica minime tolerandum esse, Plato dixit.*

luntas, atque ex parte altera cognitio, ex altera inclinatio libera requiratur; si quæ alterutrum ex his requiritis tollant, aut minuant, ea efficient, ut actus aut omnino, aut ex parte sit involuntarius. Cognitioni opponitur error & ignorantia; propensione voluntatis, vis & metus: * de his ergo quæritur, quomodo rationem libertatis ac voluntarii actus humani vi-
tiant.

Ignorantia, id est absentia sive carentia **XLV.**
cognitionis, triplici ratione considerari potest: *Quid sit ignorantia?* vel ratione ejus, qui ignorat; vel ratione rei, quæ ignoratur; vel demum *Quid vin-ratione actionis, quæ fit ex ignorantia. civilis, & Ratione ejus, qui ignorat, alia est invin- invincibili- cibilibis, seu quæ humana diligentia superari lis? nequit: alia vincibilis, seu quæ potest su- perari. Hæc rursus vel est affectata, cum quis directe ac ex industria vult ignorare, quo majori licentia agat; vel crassa & supi- na, cum quis nullam aut fere nullam dili- gentiam adhibet ad sciendum id quod scire potest, ac tenetur, adeoque saltem indirecte vult ignorare. Si diligentiam adhibeat, sed non quanta requiritur, ignorantia generico vocabulo vincibilis dicetur.*

Ratione rei, quæ ignoratur, alia est igno- **XLVI.**
rantia juris, alia facti. *Juris* ignorantia est, *Quid igno- cum quis jus ipsum legemque, quid nem- rantia ju- pe agendum, vel præmittendum, quid ris, & fa- præceptum veritumve sit, ignorat. Igno- Et?*

D 2

ran-

* Hinc Aristoteles Eth. Nic. l. 3. c. 1. *Invo-
luntarium* definit esse id, quod fit vel vi, vel
ignorantia.

rantia autem *facti* dicitur, cum, effi per-
spectam sibi habeat aliquis legem, ignorat
tamen, an singularis quispiam actus ea
comprehendatur, atque ab ea præceptus
aut prohibitus censeri debeat.

XLVII. Demum si ignorantia consideretur ratio-
Quid ante- ne actionis, ea vel est antecedens, vel co-
cedens, co- mitans, vel subsequens. *Antecedens* dicitur,
mitans, & quæ electionem voluntatis antecedit, si-
subsequens? mulque est causa agendi, ita, ut ea sub-
lata actus non fieret. * *Comitans* est, quæ
comitatur actionem, quin tamen sit ejus
causa; eo quod actio fieret, quamvis ab-
esset ignorantia: ut si quis deliberatum ha-
bens hostem suum occidere, eum forte in-
ter venandum occideret pro fera. *Subse-*
quens appellatur, quæ subsequitur actum
voluntatis, quo quis directe vel indirecte
voluit ignorare id, quod eum scire oportebat;
hinc eadem esse cum affectata aut supina
intelligitur.

XLVIII. *Antecedens & invincibilis* ignorantia tollit
An? & quæ omnino voluntaria, id est, ea, quæ fiunt
ignorantia ex ignorantia antecedente & invincibili,
tollat vo- sunt omnino involuntaria. Nam quod fit
luntarium? defectu cognitionis, & contra inclinatio-
nem voluntatis, id omnino est involunta-
rium; sed quæ fiunt ex ignorantia antecede-
nte & invincibili, fiunt & defectu cog-
nitio-

* Qualis erat ignorantia Cephali apud Ovidium
l. 6. Metamorph. cum Procrin uxorem suam
inter dumos latentem, quam feram putabat,
occidit; non occisurus, si uxorem suam esse
scivisset.

tionis, & contra inclinationem voluntatis: ut si quis occidat hominem, invincibiliter putans esse feram, non occisurus, si sciret hominem esse; igitur quæ fiunt ex ignorantia antecedente & invincibili, sunt omnino involuntaria. *Comitans* ignorantia nec facit nec tollit passive voluntarium. Non facit; quia voluntarium fieri debet cum cognitione. Non tollit; qui actus cum tali ignorantia factus non est contra voluntatis inclinationem, quippe qui fieret etiam remota ignorantia. Tantum ergo non voluntarius est actus, seu, ut ajunt, involuntarius negative quam ignorantia comitatur; neque *ex*, sed *cum* ignorantia fieri dici potest. *Subsequens*, & *vincibilis* ignorantia nunquam tollit voluntarium. Quamvis enim deficiat cognitio, ubi adest ignorantia; quia tamen vincibiliter ignorans, volens inhaeret suæ ignorantiae, quam dissipare & poterat & debebat, nihilo fecius imputanda est actio ejus voluntati, quam si cognitione instructus fuisset: atqui ignorantia, quæ non impedit, quo minus actio imputetur voluntati, non tollit voluntarium: ignorantia ergo subsequens & vincibilis non tollit voluntarium. Quod si etiam ex ignorantia vincibili operans ita animo comparatus sit, ut facturus non esset, quod facit, si cognitionem haberet; erit tamen ejus actio simpliciter voluntaria, quia ex voluntaria ignoratione profecta, ideoque ejus voluntati imputanda est: secundum aliquid vero involuntaria erit, quia contra voluntatis ejus inclinationem exercita.

XLIX.
*An concu-
piscencia?*

Affinis ignorantia videtur *concupiscencia*, propterea quod non raro tenebras menti offundere, eamque a veri perceptione avertere censeatur. Eaque est vel *antecedens*, si antevertat actum voluntatis; vel *consequens*, si eum subsequatur, sive a voluntatis actu irritata nascatur. Verum si *antecedens* concupiscencia in quaestionem veniat; tantum abest, ut ea tollat, ut augeat etiam voluntarium. Imprimis enim in voluntate id efficit, ut hæc non modo citra omnem repugnantiam, verum etiam cum voluptate & gaudio, in bonum appetitus sentientis feratur. Deinde, etsi tenebras offundat intellectui, quæ aliquando omnem voluntatis deliberationem impediunt; eadem tamen, sicut vehementiorem commotionem in organo sensus interni, ita & cognitionem in mente vividiorum, excitar. Quibus rebus duabus cum constet voluntarii ratio; dubitari non potest, per concupiscenciam antecedentem augeri voluntarium. *Consequens* autem concupiscencia neque augeat, neque minuit voluntarii rationem in eo actu, quem consequitur; ipsa vero est voluntaria, quia a voluntate profecta; eademque, voluntatem ad ulteriorem actum sollicitans, antecedentis concupiscencie naturam induit.

L.
An vis?

Hactenus de ignorantia; quæ cognitioni intellectus advertatur: quæ cum propensione voluntatis pugnant, sunt vis, & metus. *Vis* est *major rei impetus, qui repelli non potest*, (a) & voluntatis propensioni est con-

(a) Ut eam definit Juris Consultus Paulus l. 2. ff. Quod metus causa.

contrarius. Cum igitur voluntarium fit, quod fit cum propensione voluntatis; ea vero, quæ fiunt per vim, contra voluntatis propensionem pugnent: manifestum, per vim tolli voluntarium, id est, ea, quæ per vim fiunt, involuntaria esse. Proinde voluntas quoad actus interiores violentiæ nulli subjacet; neque enim fieri aut intelligi ulla ratione potest, ut voluntas invitagatur in illud, in quod ipsa propendet. E contrario quoad actus exteriores vim inferri voluntati posse, extra dubitationem experientia pœnit: siquidem & cohiberi possunt exteriores potentiæ, ne moveantur secundum voluntatis inclinationem; & possunt quoque contra inclinationem voluntatis ad motum impelli.*

Ad vim accedit *metus*, seu *instantis vel futuri periculi causa*, *mentis trepidatio*. (a) Est- *An metus?*
que alius *gravis*, alius *levis*: id, quod ex imminentis mali magnitudine, ac metuendum indole æstimatur. Alius item *juste*, alius *injuste* incussus. Alius denique *antedens*

D 4

- * Quæcunque ergo vis, cruciatus, tormenta, intententur aut inferantur corpori; animus quidem inter hæc omnia firmus consistere potest, & illum, ut ait Horat. l. 3. Ode 3.

Non civium ardor prava jubentium,

Non vultus instantis tyranni

Mente quatit solida, sed

si fractus illabatur orbis,

Impavidum serient ruinæ.

(a) L. ait Prætor. ff. Quod metus causa.

cedens, qui movet ad aliquid faciendum; & tum dicitur res fieri *ex metu*: ut metus naufragii movet mercatorem ad projiciendas merces in mare. Alius *comitans*, qui non movet, sed comitatur duntaxat actionem; & tum dicimus rem fieri *com metu*: ut si quis furetur cum metu, ne in furto teneatur. Quiscunque autem sit metus, is nunquam tollit omne volutarium, etsi ut plurimum involuntarii aliquid actui adspargat. Etenim simpliciter volutarium est, quod procedit a voluntate cum cognitione intellectus; sed quæ fiunt ex metu, procedunt a voluntate cum cognitione intellectus: e. g. dum mercator imminētis naufragii metu merces in mare projicit, servandæ vitæ gratia vult certe hunc mercium jactum; igitur quæ ex metu fiunt, simpliciter sunt voluntaria. Recte tamen involuntaria secundum aliquid censentur, quæ præter absolutam ac efficacem inclinationem voluntatis, admistam habent, ut vulgo dicimus, velleitatem seu propensionem in oppositum, affectam hac conditione, *si metus abest*; atqui, quæ ex metu fiunt: ut plurimum habent admistam ejusmodi velleitatem: lic mercator, etsi metu naufragii merces in mare projiciat, vellet tamen, si abesset metus naufragii, eas potius servare; quæ ergo ex metu fiunt, ut plurimum secundum aliquid sunt involuntaria. * Quare si velleitas in oppositum ab-

* Consentit Epictetus, apud Arrian. l. 17. sic loquens: ἂν μοῖ φησί, προσάγη
 θα-

abit, facta ex metu, erunt omnino voluntaria.

CAPUT V.

De Actionum Humanarum Bonitate & Malitia.

Enitendum homini per actiones esse ad ultimum finem, cujus possessione sit beatus, superius n. 21. ostendimus: ubi & illud declaratum est, actiones illas quamdam cum fine ultimo proportionem habere oportere, ut ex ipsis quoque gloria & perfectio Conditoris eluceat. Verum quia homo, libertate instructus, sine suo per n. 20. excidere potest; ut eum recte agendo consequatur, indiget perfecto norma aliqua, ad quam exactæ ipsius actiones ha-

LII.
Est aliqua
norma
actuum.

D 5

bi-

θανάτου φόβον, ἀνάγκάζει μέ εἰς τὸ
προσαγομένον, ἀλλ' ὅτι δοκεῖ σοὶ
κρεῖττον εἶναι ποιῆσαι τι τούτων, ἢ
ἀποθανεῖν. Πάλιν ἐν τῷ σὸν δόγμα
σε ἠνάγκασε, τισίτιν προαίρεσις
προαίρεσιν, At, inquit quis, qui mihi
mortis proponit metum, me cogit. Pro-
fecto non, quod imminet, in causa est, sed
quia tibi satius videtur, aliquid eorum facere
quam mortem oppetere. Quare tua te opinio
coegit, id est voluntas vicit voluntatem.

bitudinem illam & conformationem ad ultimum finem obtineant. Nec hominis modo conditio, sed divinæ quoque providentiæ ratio id postulabat, ut, cui præstitisset certum finem, eidem libertate donato & regulam ad illum perveniendi describeret.

LIII.
Cum qua
comparatus
actus est
moralis,
bonus aut
malus.

Cum igitur definita sit homini certa agendi regula: atque is nihilominus sua uti libertate possit; sequitur, in arbitrio ejus esse, agere vel ita, ut præstitutæ libi normæ inhæreat, vel ut ab ea discedat. Si actiones ipsius cum regula comparatæ confentierint, dicentur actiones *bonæ* ac *bonestæ*; si contra discreparint ab illa, *malæ* ac *inhonestæ* nuncupabuntur. * Habitudo illa actus cum regula comparati, *ratio moralis*, vulgo

μορ-

* His fere terminis & Stoici bonum ac malum circumscripserunt, quos inter Antoninus L. VIII. cum vitam beatam hominis in recte agendo constituisset, mox subjungit: Πῶς ἐν ταῦτα ποιήσει; ἐπὶ δόγματα ἔχει, ἀφ' ὧν αἱ ὅρμαι καὶ αἱ πράξεις, τίνα δόγματα; τὰ περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, ὡς ἔθενός μὲν ἀγαθῆ ὄντος ἀνθρώπου, ὁ ἔχει ποιεῖ δίκαιον, σώφρονα, ἀνδρείον, ἐλεύθερον. ἔθενός δὲ κακῆ, ὁ ἔχει ποιεῖ τ' ἀναντία τοῖς εἰρημένοις, Quomodo ita aget? si ea habeat dogmata, a quibus consentaneæ appetitiones & actiones veniant. Quæ sunt illa? de bonis & malis,

sci-

moralitas dici solet, unde & actus ipse denominationem accipit: eaque consistit vel in convenientia actus cum regula, quæ habitudo *honestas* aut *bonitas*; vel in oppositione, quæ *turpi ado* aut *malitia* appellatur. Quamquam, si accuratius loqui placeret, alia ratione actus bonus vel malus, alia honestus vel turpis dicendus esset: quatenus is cum regula sua convenit aut pugnat, eatenus est honestus aut turpis; id enim communi sensu honesti aut inhonesti nomine intelligimus: quatenus vero ad finem ultimum ducit ut ab eo avertit hominem, eatenus bonus aut malus est; quia boni & mali rationem ex fine denique metimur, ut dictum est n. 25. Verum discrimen istud non tanti est, ut illud in usu vocabulorum religiosius observandum putemus: cum enim in ipsa honestate aut turpitudine reposita sit omnis illa ratio, ob quam actus aut ducit ad finem ultimum, aut ab illo deducit; nihil vetat, quo minus promiscue honestatis & bonitatis, malitiæ ac turpitudinis, vocabulis utamur. Quod si demum actus aliquis cum regula comparatus neque congruat illi, neque ab ea dissideat, is prorsus erit indifferens, id est, neque honestus, neque inhonestus, in ratione morali nec bonus, nec malus.

Hujus, quam diximus, bonitatis aut malitiæ recipiendæ non sunt, nisi actus humani, capaces. Cum enim bonitas in confor-

LIV.
Moralis ut
fit, debet
esse actus
humanus;

*scilicet nihil est bonum homini; quod non reddit
justum, temperantem, fortem, liberalem: nihil
malum, nisi quod horum contrarium efficiat.*

matione, malitia in oppositione actus cum sua norma constituatur; moralis hujus rationis non sunt capaces, nisi illi actus, qui directioni subjecti sint; directioni autem non nisi humanos actus subjectos esse, liquet ex n 37: solos igitur actus humanos, bonos aut malos esse posse, manifeste intelligimus. Actiones proinde naturales, morales esse nequeunt: sicut enim non istæ, sed humanæ duntaxat actiones, quæ circa illas naturales adjuvandas, retardandas, aut sistendas versantur, dirigi ab aliqua regula possunt; ita non illæ naturales, sed hæ tantum humanæ ad recipiendam honestatis aut malitiæ rationem sunt idoneæ. Porro, cum actum humanum, & voluntarium & liberum esse oporteat; moralis quoque bonitatis aut malitiæ capax esse actus non poterit, nisi & voluntarius fuerit, & liber.

LV. Bonitatis ergo aut malitiæ cum non fit *Debet con-* capax, nisi actus humanus; bonitas autem *ferris cum* & malitia actus ex ipsius ad regulam habi- *norma, quo-* tudine repetatur: ut inveniatur ista habitu- *ad objectum* do, conferendus est actus cum regula, tum ra- *finem, &* tione objecti sui, tum ratione finis, tum et- *circumstan-* iam circumstantiarum; his enim tribus re- *t. as.* bus continetur ratio actus humani. Prout igitur objectum cum regula comparatum, vel congruit illi, vel adversatur; ita bonitatem aut malitiam in actum refundit. Similiter & ratione finis actus erit bonus, si is cum norma conveniat; malus, si cum illa pugnet. Denique & a circumstantiis actus bonitatem aut malitiam suam accipit; cum pro certa rerum ac temporum ratione aliqua sint præcepta aut permissa, quæ pro aliis

aliis circumstantiis prohibentur. Quoniam vero actus, conformis regulæ suæ existimari nequit, qui parte aliqua ab illa deflectat: si vel objectum, vel finis, vel circumstantia aliqua cum norma pugnaverit, erit actus malus, ac inhonestus; ut honestus proinde ac bonus sit; aut omnia, quæ actum humanum constituunt; aut certe finis, e quo præcipue actus humani ratio pendet, si cætera sint adiaphora, cum norma consentiat oportet.

Sed fieri sane potest, ut actus aliquando normæ consentiat, vel dissentiat; quin tamen proprie sit moralis. Unde moralis sit proprie, debet ipsa moralis ratio, sive habitudo actionis ad regulam, voluntaria ac libera esse homini; alioquin homini attribui & imputari non poterit bonitas aut malitia actionis. Ut autem voluntaria sit ac libera, ut homini imputari possit, eam cum prævia cognitione regulæ fieri necesse est: quo intellectus actionem cum norma conferens, ejus cum illa consensionem aut dissensionem perspiciat, atque ita bonam vel malam voluntati offerat eligendam. Quemadmodum enim nec humanus quidem est actus, nisi voluntarius est ac liber: nec voluntarius & liber, nisi cognitio objecti, finis, circumstantiarum præluceat; propterea quod secus liberæ hominis voluntati imputari non possit: ita nec proprie moralis esse potest, nisi ratio ipsa moralis, sive bonitas aut malitia sit voluntaria ac libera; neque hæc unquam erit voluntaria ac libera, nisi cognitio normæ, cum qua comparatus actus rationem moralem boni aut mali obtinet,

lu-

LVI.
Fieri debet
cum cognitione
normæ.

lucem præferat. Quamvis igitur ponatur in actu aliquo humano omnia cum regula consentire, vel dissentire ab illa; si cognitio normæ desideretur, quantumvis actus fuerit humanus, moralis certe proprie non erit; quia bonitas ipsius aut malitia liberæ hominis voluntati imputari non poterit.

LVI. Ex quibus jam sponte veluti sua fluunt, *An ergo, & quæ ad definiendam actus humani rationem quæ ignorantia obferantur, quæ de rebus actus humani, naturalis, ne a-* ram vitiantibus, superiore capite semel constitutus sit moralis. *antecedens ac invincibilis actum, qui ex illa proficiscitur, moralem esse non sinit: nam si illa voluntarii ac liberi rationem ab actu aufert, quanto magis rationem moralem, quæ sine voluntario ac libero nunquam consistit? Et, quia actus moralis peculiariter cognitionem etiam normæ postulat; si hæc invincibiliter ignoretur, quamvis cetera ad-* sint omnia, quæ illum in censu actuum humanorum constituent, moralis quidem proprie non erit; quippe cujus habitudo cum regula, defectu cognitionis, homini non sit voluntaria ac libera. Quocirca omnis culpæ expertes censendi sunt actus, qui ex tali ignorantia fiunt, utut cum regula pugnent; * sed ne claude aut præmio digni, et si cum ea consentiant: quia deique bonitas aut malitia actus imputari nequit invincibiliter

igno-

* Hinc damnata est ab Alexandro VIII. propositio hæc: *Tametsi datur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ non excusat a peccato formalis.*

noranti regulam, ex cujus comparatione mitas aut malitia actus cognoscitur. Nil autem interest, juris an facti sit ignorantia: utraque bonitatem & malitiam ab actu excludit, si modo revera sit invincibilis. *Comitans* dein ignorantia, quemadmodum *comitans* facit, nec tollit voluntarium; ita ad bonitatem aut malitiam actus nihil confert, neque eam extenuat: nihil confert; quia voluntatem, quam comitatur, non inclinatur ad operandum: nihil etiam extenuat; quia *comitans* affectam relinquit voluntatem, ut, quod ignorans facit, factura etiam esset conscia. *Subsequens* demum & *vincibilis* ignorantia cum nihil impediat, quo minus actus voluntarius ac liber existimetur; a culpa etiam illum non eximit, si pugnaverit cum norma. Nam, si quis ignorantiam, quam posset ac deberet, superare, negligat; ipsa profecto ignorantia ei libere voluntaria erit; ideoque & liber voluntarius ipse actus, qui ex tali ignoratione consequitur.

Nec concupiscentia, quæ *antecedens* dicitur, *LVIII.*
generatim loquendo actum a culpa excusat. *An concupiscentia?*
cum per liberum denique hominis stet arbitrium, ut ei victas manus det, aut contra resistat. Quamvis vero ea augeat voluntarium, non ideo etiam auget malitiam, imo sæpe imminuit actionis: vivida enim illa cognitio & illicitum objecti concupiti infirmioreni sæpe efficit ad resistendum voluntatem, eamque fortius in suas partes inclinatur, quam trahat in partem adversam honestum. Non nunquam etiam contingere potest, ut voluntas non sine formidine aliqua

qua peccati a concupiscentia sese abripi sustineat: tum certe ex aversione hac qualicunque involuntarii aliquid actui adhaerebit, quod culpam elevet; etsi non omnem abstergat, propterea quod efficax voluntas vincat alteram debiliorem. Quod si demum tanta sit vis concupiscentiæ, ut nullum cogitationi, ac deliberationi locum relinquat: quemadmodum locus iste non erit humanus, imo passio verius quam actio; ita & culpa omni vacabit. *Consequens* autem concupiscentia, cum a libera exciteretur voluntate, circa controversiam est mala.

LIX.
An vis?

De actibus interioribus voluntatis frustra aliquis quæstionem moverit, an eorum moralis habitudo a violentia aut coactione mutationis aliquid subeat: immunes illi sunt ab omni vi; ideoque, quam ex normæ cognitione, ac voluntatis libertate contraxerint bonitatem, aut malitiam, eam indemnem servant. Exteriores vero actus, quamdiu interior voluntatis propensio opposita perseverat, coacti sunt ac involuntarii, neque adeo actus, quam passiones dicendi: hinc, cum bonitas & malitia non in coactis aut necessariis; sed voluntariis ac liberis duntaxat actibus locum habeat; exteriores illi motus, nec boni, nec mali censerî possunt.

LX.
An Metus?

Persæpe tamen voluntas metu percellitur, ac sensim inclinatur ad eligendum id, ad quod exteriori vi urgetur: & tum metus iste, cum libertatem ac voluntarium non omnino adimat, a culpa etiam actum liberare neutiquam potest: quamvis eam ob admissionem involuntarii extenuet.

PARS

rectæ constitutione ac felicitati naturæ humanæ prospiciat? potest Deus pro absoluto voluntatis suæ imperio universam hanc mundi molem in pristinum chaos, atque adeo in nihilum suum redigere; cur non possit destituere felicitate sua & recta constitutione naturam rationalem? cur eam necessario legibus naturalibus adstringat? cur non possit saltem in casu aliquo peculiari permittere id, quod nunc fieri jure naturæ est vetitum? En, principium cognoscendi ulterius desideratur: recta ergo constitutio & felicitas naturæ humanæ non est principium sufficiens cognoscendo juri naturæ; quia non ultimum.

Deinde vero nec *adaquatum* est; imo, **XXI.**
 nisi certiore nitatur fundamento, nec *vera* *Nec ada-*
rum. Ratio unica utrumque satis evince*at* *quatum,*
 Fac, mendacio, vel actione quacunque jure *nec verum.*
 naturæ vetita, vindicari ab interitu posse
 universam humanam rempublicam; fac,
 posse scelera & flagitia omnia impediri;
 omnia tolli, quæ salutem & tranquillita-
 tem universitatis humanæ evertere aut per-
 turbare valeant. Nemo dixerit, vel in tali
 circumstantia licitum fore mendacium. At-
 quæ, si ex felicitate definiendum sit jus na-
 turæ; mendacium in illo interituræ reipu-
 blicæ discrimine non modo licitum, sed &
 præceptum foret; quippe necessarium ad
 sustentandam humanam rempublicam. Cur
 ergo vel tum etiam jure naturæ nefas esset
 mentiri? An quia mendacium perniciosum
 est humano commercio, quod partem fe-
 licitatis humanæ constituit? At pernicio-
 sior erit in illis circumstantiis prætermisso

F

men-

mendacii, ex qua ruina universæ humanæ reipublicæ consequetur. Deinde quam multæ sunt circumstantiæ, in quibus mendacium nihil officit commercio humano, nihil tranquillitatem publicam interturbat; nec tamen est licitum! Hypotheticum dices esse hujusmodi casum, nec unquam futurum, in quo ex uno mendacio incolunitas pendeat universæ reipublicæ. Sic sane hypotheticus; attamen ostendit, mancum esse & inconstans principium, quod e felicitate humana repetitur. Aut faciamus, quod fieri certe potest, mendacio indemnem ab hoste servari posse patriam: si felicitas patriæ principii vim obtineret; in hoc casu jure naturæ præceptum esset mendacium, ejusque prætermisio juri naturæ repugnaret, utpote officio patriæ naturaliter debito contraria. Fallit ergo aliquando principium e felicitate naturæ petitum, neque in omnibus circumstantiis firmum consistit; nec adæquatum ergo est, nec ubique verum.

XXII.
*Principium
 itaque est
 Deus, ejus-
 que perfe-
 ctiones.*

Quare aliud sit, oportet, & a felicitate humana distinctum principium, ex quo omnis manet legum naturalium cognitio, quod nunquam fallat, & in quo cognitionis ratio ultimo conquiescat. Cumque in rebus humanis tale nusquam reperiri sit; ubi demum, nisi in ipso naturæ Autore quæratur? En ergo illud. Ad gloriam suam extrinsecam & manifestandas perfectiones suas Deus naturam rationalem condidit, ut patet ex P. I. n. 15. & 16. ejusdem ergo sapientiæ & providentiæ est, quam eum in finem condidit naturam, eandem etiam sic

gu.

gubernare, ut ex ipsa commendentur Divinæ perfectiones, utque adeo nihil scabrum, distortum nihil, nihil cum ultimo illo fine pugnans ex voluntate Autoris sui in ea reperiatur; alioquin imperfectio operis in ipsius redundaret Autorem. Quidquid igitur sapientiæ ac providentiæ Creatoris ac Gubernatoris, aliisque ejus perfectionibus est oppositum, id lege necessaria Deus prohibet; & quidquid ad sapienter ac provide gubernandam naturam rationalem perfectio Dei exigit præcipi, id præceptum esse lege naturali ac necessaria dubitari non potest. Verbo ut dicam: principium cognoscendi juris naturæ est ipse Deus infinite perfectus.

Idque principium est *certum*. Etenim, XXIII.
 quam necessario Deus est infinite perfectus, sapiens, ac providus; tam necessario *Idque est principium certum.*
 est, eum sapienter ac provide ad suum finem naturam humanam gubernare: & quam necessario est, eum gubernare humanam naturam ad suum finem sapienter ac provide; tam necessario prohibet ea, quæ pugnant cum ipsius sapientia, providentia, aliisque perfectionibus; tamque necessario præcipit, quæcumque ad sapienter ac provide gubernandam humanam naturam præcipi perfectio ipsius exigit. Itaque ex eo, quod actio aliqua humana pugnet cum sapientia, providentia, aliisque perfectionibus supremi Gubernatoris, per certissimam consequentiam cognoscitur jure naturæ esse prohibita; & similiter ex eo, quod supremi Gubernatoris sapientia, providentia, aliæque perfectiones exigant actionem ali-

quam humanam præcipi, per certissimam quoque consequentiam cognoscitur esse jure naturæ præcepta.

XXIV. Est deinde principium illud etiam *ultimum*. Quamvis enim ex felicitate, seu recta habitudine naturæ rationalis ad suum finem, ad manifestandas nempe Divinas perfectiones, tanquam ex immediato principio cognoscatur, quid lege necessaria naturæ sit prohibitum, quidve præceptum; quia tamen principium istud locum dat porro quærendi, quid istud sit, quod Deo necessitatem adferat per leges naturales procurandi humanam felicitatem, neque huic quæstioni satisfieri aliter possit, quam dicendo, ipsam esse perfectionem sapientissimi gubernatoris (a quo enim alio imponi posset Deo necessitas, ut rebus humanis consulat, nisi a suamet perfectione?) principium juris naturæ, ultra quod sanus intellectus nullam rationem requirat, non aliud, nisi ipsa perfectio, sapientia præsertim ac providentia supremi Gubernatoris esse potest.

XXV. Denique principium hoc *adæquatum* est: *Et adæquatum*; ex illo enim per necessariam consecutionem omnia legis naturæ præcepta intelliguntur. Sic intelligimus, jure naturæ præcipi adversus Deum religionem, amorem, obedientiam &c. vetita blasphemiam, perjurium, idololatriam &c. quia, nisi Deus illa præciperet, hæc vetaret; non regeret sapienter ac provide humanum genus ad manifestandam suam gloriam & perfectiones. Eodem modo, nisi præciperet

peret justitiam, fidem, & alia vitæ socialis officia; aut si licentiam daret furtis, adulteriis, injustis homicidiis &c. societates humanæ jam non essent aptæ ad commendandam Gubernatoris sui gloriam, neque Deus sapienter ac provide ad hunc finem eas gubernaret; ergo quæ ad hunc finem in vita sociali sunt necessaria, necessario præcipit, & contra illum pugnantia necessario vetat. Denique & præcepta, quibus adversus seipsum quisque tenetur, ex eodem cognoscuntur principio: hinc prohibentur jure naturæ ingluvies, intemperantia, cædes ac mutilatio sui &c. quia pugnant cum perfectionibus Divinis; contra vero præcipiuntur, quæ ad eadem commendandas sunt necessaria.

Sed de his postea. Longe manifestissime autem universalis extensio hujus principii apparet, in quæstione superius num. 21. proposita. Cur enim vel ad servandam patriam, aut universam humanam rempublicam, integrum non est mentiri? Unde id cognosci, aut quæ hujus ratio reddi poterit, nisi quod omne mendacium pugnet cum prima ac summa veracitate Dei? Si mentiri per voluntatem Dei liceret, non esset ad perfectiones Divinas manifestandas apta rationalis natura, æternam Dei veracitatem eversum iret, notam & imperfectionem in autorem suum refulderet: non igitur illam Deus sapienter ac provide ad finem suum gubernaret.

XXVI. *Quamvis non omnino clarum.* Difficile est, fateor, singulis quibusque vitiis jure naturæ vetitis singulas opponere, & suo quamque designare nomine Divinam perfectionem; propterea quod in per-noscendis Dei perfectionibus ac inter se discernendis, nimium caliget quæcunque humanæ mentis acies. Sed ad cognoscenda tamen juris naturalis præcepta satis illud est, si congenitum unicuique lumen ratio-nis ostendat, actionem aliquam, de qua sit quæstio, esse ejusmodi, ut eam ipsa su-premi Gubernatoris sapientia ac providen-tia præcipi aut vetari exigat. Abstrusum fortasse dices esse hujusmodi principium, quomodocunque propositum. Quid tum? sit abstrusum; at certum est, adæquatum, & ultimum. Quam multa sunt juris na-turalis præcepta, quæ in eventibus impli-catis vel sapientissimos quosque fugiunt! quanto etiam plura, quæ rudes sine culpa ignorant! Si tam apertum esset aliquod ju-ris naturæ principium, ut ex eo plane ac expedita ratione præcepta omnia evidenter cognosci possint; neminem fore arbitror, qui eorum aliquod citra culpam ignoret.

XXVII. *Quid sentiendum de principio Amoris?* Unde & illud ingenue fatemur, clarius atque ad intelligentiam quorumlibet homi-num accommodari esse principium Amo-ris, Deo, sibi ipsi, & aliis, naturaliter ac necessario debiti, ab Joanne Heineccio (a), & Ignatio Schwarzio (b) constitutum, Ideo-que

(a) Elem. J. N. & G. I. r. §. 79. &c.

(b) Inst. J. N. & G. P. I. Tit. 2. Instruct. 3.

que illud nec rejiciendum putamus, & ultro etiam tanquam principium immediatum amplectimur: quippe quo continentur officia hominis omnia, ad procurandam naturæ humanæ felicitatem necessaria. Sed denique ultimum non est: quia præceptum amoris, quamvis per se notum ac evidens tamen ultimo revolvitur in perfectionem Dei, quæ exigit, ut is pro sua sapientia humanum genus ad finem suum ordinet; id quod non fieret, nisi præciperet talem amorem, &, quæ illi sunt contraria, vetaret.

Non æque sentire possumus de Socialitatis principio, quod post Hugonem Grotium (a) & Samuelem Puffendorffium (b), adstruxere Christianus Thomasius, Immanuel Weberus, Joannes Geilfusius, & plerique alii Protestantes. Brevissime Thomasius illud sic exhibet: *Fac ea, quæ necessario conveniunt cum vita hominis sociali; & quæ eadem repugnant, omitte.* (c) Principium hoc imprimis adæquatum non est. Ut enim demus, ex eo fluere vitæ socialis officia, officia certe hominis adversus Deum & adversus se ipsum debita neutiquam derivantur. Id quod fatetur ipse Puffendorffius, eamque ob rem officia erga Deum ac seipsum a juris naturalis prudentia rescindenda esse contendit: quamquam idem,

XXVIII.
Quid de
principio
socialita-
tis?

F 4

cum

(a) Proleg. §. 7. & 8. de J. B. & P.

(b) De g. N. & G. l. 2. c. 3. §. 15.

(c) Inst. Jurisprud. Divin. l. 1. c. 4. n. 64.

cum plane perspiceret rescindi non posse, ea in libro de officio hominis & civis ex socialitate saltem indirecte ducere adlaboravit. Deinde nec *verum* est. Nam si e socialitate unice præcepta juris naturæ sequuntur, extra societatem humanam jus naturæ nullum erit. Quid ergo? Adamus, ante creatam ejus vitæ sociam, legibus naturæ nullis tenebatur? Tot alii, qui remotam ab omni hominum consortio vitam egerunt, nulli subjecti erant legi naturæ? Atqui tamen eos naturalem, humanam, & secundum rationem, vitam egisse, nisi inhumanus & rationis expers, nemo negaverit. Est quidem lex naturæ, quæ humanum genus ad societatem, saltem familiæ, indeterminate obliget; quæ obliget determinate singulos, lex naturæ nulla est, ut suo loco patebit. Denique nec *ultimum* dici potest: quæcunque enim sunt vitæ socialis præcepta, ea ex perfectione Dei, societates humanas ad finem suum sapientissime gubernantis, proficiscuntur.

XXIX.
*Utilitas
 duplicis
 nostri prin-
 cipii.*

Atque ex his, quæ hæctenus dicta sunt, satis intelligitur, sin minus necessitas, utilitas certe duplicis principii, quorum alterum immediatum, ultimum constituimus alterum. Immediatum est felicitas, seu recta habitudo naturæ humanæ ad suum finem, ad manifestandas nempe Divinas perfectiones: quo pertinet etiam triplex amor, erga Deum, seipsum & alios, ad procurandam eam felicitatem necessario requisitus: unde nec socialitatem tanquam partem excludimus; si modo ea felicitatem

non

non fucatam aliquam, sed veram a nobis definitam respiciat. Principium hoc, quamvis per se non satis firmum, nixum tamen altero firmiore certum & adæquatum est: & quia ad imbecillem humanæ mentis capacitatem etiam accommodatius videtur, in dirigendis actionibus humanis ex merito usum obtinet. Ultimum tamen semper sunt Divinæ perfectiones, quibus tanquam certissimo ac firmissimo fundamento principium humanæ felicitatis nititur.

Ex quo duplici principio etiam patet ratio, ob quam actiones humanæ, quæ jure naturali prohibentur, necessario & ante latam legem inchoato quodam modo sint malæ. Immediata quidem ratio est, quod eæ, etiam antequam intelligantur prohibita, opponantur rectæ constitutioni naturæ rationalis ad suum finem, quæ consistit in tali ad Deum habitudine, ut ipsius perfectiones in ea reluceant; ideoque in ipsa natura rationali reperiatur fundamentum, quod requirit, ut actiones ejusmodi a Deo prohibeantur. Verum, quia Deus vi absoluti sui dominii, ut supra diximus, naturæ humanæ contravenire posset, nisi ipsa ejus perfectio exigeret, ut sapienter ac provide naturam humanam ad finem suum gubernet; idcirco ratio ultima, propter quam ejusmodi actiones necessario; ante legem latam, inchoato quodam modo sunt malæ, est ipsa sapientissimi ac providentissimi Gubernatoris perfectio, quæ actiones tales prohiberi a Deo postulat. Atque simili ratione etiam actiones, quæ jure naturali

XXX.
Quæ actiones naturæ suæ bonæ aut malæ?

præcipiuntur, necessario, & ante legem latam, inchoato quodam modo bonæ intelliguntur. Alia longe est cōditio earum actionum, quæ jure mere positivo vetantur: hæc ante legem latam non pugnant cum recta habitudine naturæ rationalis ad suum finem, nec proinde eas vetari perfectio Dei exigit; igitur ante legem latam, ne inchoatam quidem habent malitiam. Unde in parcemiam abiit, aliqua esse prohibita, quia sunt mala; aliqua vero esse mala, quia prohibita.

CAPUT III.

De Juris Naturæ Divisione, & Proprietatibus.

XXXI. *J.N. aliud est affirmativum, aliud negativum.* **C**UM actiones humanæ, aliæ ex natura sua opponantur rectæ constitutioni naturæ humanæ & Divinis perfectionibus, aliæ contra ad eam constitutionem & manifestandas Divinas perfectiones sint necessariæ; Deus autem vi suæ perfectionis necessario prohibeat ea, quæ cum hoc fine pugnant, præcipiatque necessario, quæ necessario ad illum requiruntur: inde liquido patet, legem naturæ aliam quidem esse præcipientem, aliam vero prohibentem. Illa vulgo *Affirmativa* dicitur, quod aliquid faciendum esse affirmet; hæc, cum neget aliquid faciendum, *Negativa* vocatur. Utraque semper obligat: quia legem latam & pro-

promulgatam necessario consequitur obligatio, & lex naturæ, cum sit necessaria, nec deficere proinde unquam possit, vigorem suum necessario semper obtinet. Illud tamen inter utramque insigne est discrimen, quod negativa lex ad omne tempus obliget; secus affirmativa: hæc enim, cum actionem præcipiat, supponit materiam, occasionem, & facultatem agendi, quæ sæpe deficiunt. Sic e. g. lex affirmativa, quæ superiori potestati obtemperandum præcipit, semper quidem obligat, sed duntaxat pro occasione accepti imperii. Contra vero per legem negativam, Deum odisse, nullo non tempore nefas fuerit. *

Sunt autem etiam actiones, quæ ex natura sua neque pugnant cum recta constitutione naturæ humanæ & perfectionibus divinis, neque aut ad illam procurandam, aut ad has commendandas sunt necessariae. Has, manifestum est,

XXXII.
Permissivum non datur.

* Videa ergo, quam immerito divisionem hanc Thomasius Jurispr. Div. l. I. c. 2. n. 110. &c. velut quæ pulverem scholasticum oleat, cavillettur? Quam affirmat tamen ipse Puffendorfius, cum de Jur. Nat. & G. l. 2. c. 6. §. 2. & l. 5. c. 12. §. 23. disertè ait: *Eam præcepti affirmativi & negativi naturam esse, quod hujus obligatio sit perpetuo uniformis, & æqualiter efficax; illa ad exercitium actus occasionem, materiam & facultatem præsuponat, quæ sæpe deficit.*

est, jure naturali non contineri, quod ad eas solum actiones præcipiendo aut prohibendo extenditur, quæ ex natura sua ad finem hominis sunt necessariæ, aut illi ad-versantur. Id plerisque omnibus tamen occasionem facit dicendi, ejusmodi actiones esse juris naturalis permissivi; quippe quæ nec præciperentur, nec prohiberentur, sed permetterentur fieri jure naturæ. De nomine disceptare operæ non est pretium; sed interest, ut rem dicamus. Ajo igitur, jus naturæ *permissivum*, proprie loquendo, nullum esse. Nam jus naturæ voluntate necessaria Dei aliquid ordinantis constituitur: quæ mere permittit Deus, circa ea nihil ordinat; nec vult ea, nec non vult fieri: circa hæc ergo juris naturalis nihil est. Hinc obligatio non impediendi aliquem in eo, quod ei permissum est, non ex jure aliquo permissivo, sed ex negativa lege, vetante fieri tale impedimentum, nascitur.

XXXIII. Recepta etiam apud complures AA. est *Nonnullis* divisio juris naturalis in *Absolutum*, & *Con-*
aliud abso- *ditionatum*. Illud immutabile ac *indispensa-*
lutum, a- *bile*, hoc mutationi obnoxium & *dispensa-*
liud condi- *bile* esse ajunt. Eorum, quæ jure naturæ
tionatum. absoluto comprehendantur, exempla adferunt, blasphemiam, contemptum Dei, mendacium &c. quod hæc ita natura suæ sint mala, ac perfectionibus Divinis per se opposita, ut pro omnibus casibus & circumstantiis necessario sint prohibita. Conditionato autem juri subjiciunt homicidium, furtum, polygamiam &c. Nam homicidium quidem, inquiunt, lege naturali est
ve-

vetitum; sed tantum sub conditione, nisi Deus, cujus est summa in vitam hominis dominatio, potestatem alicui faciat hominem occidendi. Sic vetitum etiam est furtum; nempe nisi per Deum, absolutum rerum omnium Dominum, res alienas occupare liceat: ut licuit Israelitis spoliare Ægyptios. (a) Sic vetita polygamia, circa quam tamen Deus in veteri Testamento dispensavit. Ita Autores illi: quos equidem verbis magis, quam sensu, a re ipsa discrepare arbitror. Sed loqui præstat proprie & accurate.

Lex naturæ est necessaria, necessario **XXXIV.**
 præcipiens ea, quæ ex natura sua requiruntur ad hominis finem, seu quæ præcipi Di- *J. N. sem-*
 vina perfectio, ad sapienter & provide gu- *per est ab-*
 bernandam naturam humanam, exigit, & *solutum, &*
 prohibens necessario; quæ cum eo fine pu- *& immutabile.*
 gnant, seu quæ sapientissimi Gubernatoris perfectio exigit prohiberi: igitur lex naturæ semper est absoluta, nunquam mutabilis, nulla conditionata. Nam sub ea ratione qua aliquid per se malum est, semper lege naturali necessario est prohibitum, exigente id non modo fine ac felicitate naturæ, sed ipsa ejus Gubernatoris perfectione: sub qua ratione autem aliquid natura sua malum non est, sed ita comparatum, ut illud prohiberi nec recta naturæ humanæ constitutio, nec perfectio Gubernatoris exigat, nunquam subiectum est legi
 na-

(a) Exod. 3.

naturali. * Res exemplis fiet illustrior.

XXXV.
*Declaratur
exemplo
homicidii.*

Prohibitum est lege naturali homicidium, sed injustum; justum nunquam est prohibitum. Occisio ergo hominis facta ex Dei potestate, cum justa sit, nunquam est prohibita. Neque sic tamen Deus dispensat; sed potestatem dando facit, ut occisio ne sit injusta, Dispensaret, si injustam occisionem, quæ sola prohibetur, faceret esse licitam, seu si licitam faceret occisionem sub ea ratione, sub qua lege naturali vetatur. Hinc si jus naturale daretur conditionatum, injusta occisio foret prohibita tantum sub conditione, nisi videlicet Deus dispenset, id est, nisi Deus fa-

* Παρ' ἀνθρώποις τοῖς τε ὀρθῶς καὶ ὑγιῶς ἔχουσιν, ἐστὶ δίκαιον ἀκίνητον, ὃ φυσικόν λέγεται. εἰ δὲ τοῖς νοσῶσι τὰς φρενὰς καὶ διεστραμμένοις ἢ δοκεῖ δίκαιον, ἑδὲν διαφέρει. ἑδὲ γὰρ ὁ λέγων τὸ μέλι γλυκὸν εἶναι ψεύδεται διότι τοῖς νοσῶσι ἢ τοῖς τὸν δοκεῖ.
Apud homines recta sanaque mente præditos immutabile est jus illud, naturæ quod dicitur. Quod si his, qui morbidò distortoque sunt animo, aliter videtur, nihil id ad rem pertinet. Nam nec mentitur, qui mel dulce esse dicit, ideo quod ægròtis aliter videatur. Andron Rhod. apud Grotium De J. B. & P. l. i. c. i. §. 12.

faciat licitum occidere injuste: quod satis patet fieri nunquam posse. Judex etiam reum neci addicit; & cuique fas est iniquum aggressorem cum moderamine inculpatae tutelae occidere; quin tamen aut in hoc, aut in illo casu legis naturalis ulla intercedat mutatio vel dispensatio: nempe in utroque casu occisio ponitur iusta, quæ nunquam lege naturali est vetita.

Simili ratione lex prohibens furtum ab-
 soluta est ac immutabilis: nec proinde fur-
 tum esse licitum unquam potest. Potest enim vero Deus, ut absolutus rerum omnium Dominus, transferre proprietatem rei ab uno in alterum; sed rem talem auferre non est furtum: furtum enim est ablatio rei alienæ, invito rationabiliter domino. Sic furtum non fuit, quando Israelitæ ab Ægyptiis vasa abstulerunt; non enim abstulerunt rem alienam, sed suam, quippe cujus proprietatem ab Ægyptiis in Israelitas Deus transtulerat: neque Ægyptii rationabiliter inviti esse poterant, quod res non suæ auferrentur. Nihil ergo Deus mutat, nihil dispensat in lege naturali, furtum prohibente: non enim furtum facere potest esse licitum; sed transferendo rei proprietatem ab uno in alium facit, ut ablatio rei non sit furtum, atque ita nec lege naturali, furtum prohibente comprehendatur. Itaque lex furtum prohibens, absoluta est ac immutabilis.

XXXVI.

Furti

Polygamia etiam, sub qua ratione jure
 naturali prohibetur, nunquam potest esse
 licita; neque lex naturalis eam prohibens
 ulli

XXXVII

Polygamia.

ulli est obnoxia mutationi: Prohibetur autem lege naturali polygamia ea duntaxat, quæ est accessus ad non suam, aut traditio juris, quod tradens non habet: hæc ex natura sua est mala, ideoque semper & pro omnibus circumstantiis, lege naturali absolute prohibita. Polygamia vero, quæ esset accessus ad suas, aut traditio juris, quod tradens habet: hæc neque est, neque fuit aut erit unquam lege naturali prohibita. Hinc, licet Deus in veteri Testamento fecerit potestatem uni viro habendi simul plures uxores, non ideo tamen legem naturalem mutavit; neque dispensavit in polygamia illa, quæ lege naturali vetatur. Nam, cum dominium supremum, quemadmodum in vitam & bona fortunæ, ita & in corpora humana obtineat; manifestum est, posse eum dare uni viro jus in plura corpora, & jus pluribus fœminis in corpus unius viri. Tale ergo jus in corpora cum dederit in veteri Testamento; non fecit licitam polygamiam illam, quæ est accessus ad non suam, aut quæ est traditio juris, quod tradens non habet; adeoque non illam, quæ lege naturali semper est prohibita, sed fecit licitam polygamiam, quæ est accessus ad suas, aut quæ est traditio juris, quod tradens habet; adeoque illam, quæ lege naturali nunquam fuit prohibita.

XXXVIIII. Satis ergo liquet, jus naturale non esse ullum conditionatum, omne esse absolutum ac immutabile; quoniam sub ea ratione, sub qua aliquid jure naturali prohibetur, semper est prohibitum. Cum autem Deus
fa-

*An etiam sit
immutabile
quoad mate-
riam?*

facere possit, ut actio aliqua non contineatur lege naturali, dando e. g. jus in vitam, fortunas, corpora: inde videtur nonnullis mutabile esse jus naturæ saltem quoad materiam: quali nimirum actio, quæ est objectum, seu materia legis, a lege eximatur. Sed nugæ! Lex naturæ semper est eadem, semper invariata manet, semper idem habet objectum. Quod semel fuit, idem etiamnum est, eritque semper objectum legis naturalis, neque eximi ab illa unquam poterit; id vero, quod non est jus objectum, quomodo eximetur ab illa, quæ nunquam continebatur? Quando ergo Deus dedit jus in vitam, fortunas, corpora, nequaquam fuit mutatum objectum legis naturalis, multo minus ipsa lex; sed positum fuit aliquid, quod nunquam fuit legis naturalis objectum.

At enim, si jus naturæ omne est absolutum, nullum mutabile; cur mendacium, Cur aliqua odium Dei, blasphemia &c. pro omnibus casibus & circumstantiis necessario sunt prohibita? cur non item furtum, homicidium, polygamia? Ideo quia non omne homicidium, sed tantum injustum; non omnis occupatio rei, sed tantum alienæ; non omnis accessus ad foeminam, sed tantum ad non suam, jure naturali sunt vetita. Cum itaque Deus facere possit, dando jus in vitam, fortunas, corpora, ut homicidium non sit injustum, ut res non sit aliena, ut foemina sit uxor viri; atque sic homicidium, occupatio rei, accessus ad foeminam, non sint objectum legis; hinc consequitur, homicidium, occupatio-

G

nem

XXXIX.

Cur aliqua
prohibeantur
(sub o-
mniratione,
aliqua non?

nem rei, accessum ad foemina, esse quædam genera, quæ diversas species comprehendunt, puta homicidium justum & injustum; occupationem rei propriæ & alienæ, accessum ad suam & non suam; quarum una species jure naturæ semper & pro omnibus circumstantiis, altera nunquam & pro nullis circumstantiis est prohibita. Contra vero mendacium, blasphemia &c. non continent geminas ejusmodi species, quarum una sit objectum legis naturalis, altera non sit; sed sub omni ratione sunt illius objectum, & prohibentur: quia scilicet mendacium sub omni ratione adversatur primæ veracitati, blasphemia sub omni ratione infinitæ bonitati Dei; ideoque Divina perfectio pro omni casu & omnibus circumstantiis illa prohiberi exigit.

*XL.
Immutabile etiam est
potestate
humana.*

Jam si legem naturalem mutare nequit, aut in ea dispensare, ipse ejus autor latorque Deus; multo id quidem minus fieri poterit a potestate humana, quæ supremi Legislatoris potestate longe est inferior, neque sine ea consistere valet. Occurrunt tamen & hic aliqua, quæ contrarium evincere posse videantur: uti sunt quod summus pontifex dispensare possit in votis & juramentis; quod item pater irritum tacere votum aut juramentum filii; quod contrahentes tollere obligationem naturalem, ortam ex inito contractu. Verum, si res penitus consideretur, nulla hic mutatio, nulla reperitur juris naturalis dispensatio. Votum & juramentum obligant quidem jure naturali; naturalis enim ratio

docet, idem Deo datam, & rem, cujus testis ac veluti fidejussor Deus assumitur, religiose esse servandam: verum etiam est, in votis & juramentis Pontificem summum posse dispensare. Attamen dispensare in jure naturali non potest: cum efficere non possit, ut stante voto aut juramento, nulla sit obligatio, quod tamen efficere posse deberet, si in jure naturali potest dispensare. Quid igitur facit, cum in voto aut juramento dispensat? Votum ipsum aut juramentum relaxat ac tollit. Christi enim vices cum gerat, ut creditam sibi recte gubernet Ecclesiam, præditus est jurisdictione in subjectas sibi sacris in rebus hominum voluntates; ideoque eorum actus aut ratos habendi aut rescindendi potestatem obtinet. Pro hac ergo sua potestate rescindit ac retractat actum voluntatis, quo aliquis vovit aut juravit; atque ita in voto aut juramento dispensat, quin tamen dispenset in lege naturali: non enim facit, quod nec facere potest, ut votum aut juramentum valeant, nec tamen obligent. Eodem modo & pater filii, sub patria potestate constituti, vota & juramenta irrita potest facere. Eodem modo & ille, e cujus potestate voti materia pender. Quæ omnia citra ullam mutationem aut dispensationem legis naturalis sunt; cum hæc nunquam præcipiat votum aut juramentum irritum expleri. Contrahentes etiam obligationem naturalem ex contractu ortam dissolvere possunt, quin propterea ulla fiat mutatio aut dispensatio in lege naturali: sicut enim contractum libere

ineunt, sic mutuo consensu possunt illum rescindere; fieret mutatio aut dispensatio in lege naturali, si stante contractu tolleretur obligatio.

XLI. Unum adhuc est, quo immutabilitatem *Immutabile* legis naturæ aliqui labefactare conantur. *item in con-* fieri scilicet posse putant, ut eodem tem- *surju legum* pore concurrant duæ leges affirmativæ inter se pugnantes; quarum si alteri pareas, alteram tibi necesse sit violare, nisi ea solvaris: ut si in extrema egestate succurrendum sit patri simul & homini extraneo, aut reipublicæ & alicui privato; ubi tamen utique opem ferre non possis. Sed nec pugnant inter se unquam leges naturæ, nec fingi potest casus ullus, ubi alterum aut mutari aut violari necesse sit. Cum enim leges affirmativæ non ad omne tempus obligent; si quando concurrat lex fortius obligans, jam vel ideo lex altera nunquam existit, quæ ad illud tempus aliquid faciendum præciperet, quod fieri non potest: Hinc, quia lex naturalis fortius obligat ad succurrendum patri quam extraneo, reipublicæ quam privato; si utrique succurrendi facultatem non habeas, lex naturalis tantum patri, tantum reipublicæ succurrendum præcipit; nec præcepit unquam pro tali circumstantia succurrendum etiam esse extraneo aut privato.

XLII. Mutari cum nequeat lex naturalis, consequens est, ut nec *ἐπιθεσιαν* admittat. *Non ad-* Nam *ἐπιθεσια* proprie dicta est emendatio legis, qua actus lege comprehensus, per benignam interpretationem a lege ac- *mittit* *ἐπιθεσιαν,* *le-*

legislatoris mente eximitur. Si ergo actus aliquis lege naturali comprehensus eximi posset ab illa, atque ita lex ipsa naturalis emendari, illa re ipsa foret mutabilis. Cave tamen, ἐπιεικείων cum illa interpretatione confundas, quæ sit mera declaratio legis, seu quæ explicet, qui actus lege comprehendantur: talem interpretationem lex naturalis admittit; cum multa sint juris naturalis præcepta admodum implicata, multa certis duntaxat temporibus ac circumstantiis affixa, quæ nisi longa ratiocinatione ex primis ac generalibus legibus explicari non possint. Unde etiam, quando actus ita mutatur, ut non sit materia legis naturalis: lex naturalis non emendatur, neque mutatur, sed declaratur tantum, actum talibus circumstantiis vestitum non esse materiam legi naturali subjectam.

licet admittat interpretationem.

Hactenus de immutabilitate legis naturalis; reliquæ ejus proprietates jam sua se sponte manifestant: ut quod lex naturæ sit una, quod æqualis, universalis, evidens. Una est: quamvis enim multa sint naturæ præcepta, quæ ad diversas actiones dirigendas pertinent; ea tamen omnia una constituuntur supremi Legislatoris voluntate, unum omnium est principium, unusque finis; atque ita una lex naturæ, quæ actiones humanas, licet diversissimas, moderatur. *Æqualis* est ac eadem inter omnes homines, omnique tempore; neque ex varietate locorum aut temporum mutationem subit. Patet luculente ex iis, quæ de immutabilitate prius diximus. Unde

XLIII.
Quæ præterea Juris Nat. proprietates?

G 2

quod

quod Aulus Gellius (a) refert, furta apud Ægyptios & Lacedæmonios licita fuisse, id non probat, apud eas gentes furta non fuisse lege naturæ vetita; sed quod pravi mores, aut male imperantium leges, naturæ legem corrupissent. * Proinde & *universalis* est, omnes nimirum homines rationis compotes, cum omnes natura sint paves, & ad finem eundem omnes destinati, obligans. *Evidens* demum, puta quoad primas & generales naturæ leges, sive etiam eas, quæ ex primis facili ratiocinatione ducuntur.

Quæ.

(a) Noct. Attic. l. i. r. c. ult.

† Ægyptiorum Legislator, teste Diodoro Siculo lib. i. Bibl. Hist. cum nunquam fore speraret, ut a furtis omnes abstinerent; iussit eos, qui furtis darent operam, nomen suum apud furum principem profiteri, resque ablatas ad eum perferre, quas postea earum domini quarta pretii parte redimerent; Ut vel hac ratione res ad suos redirent dominos; & dum hi deinceps res suas diligentius curarent, difficilior esset furandi occasio.

† Lacedæmonii quoque Lycurgus furta permisit, ut commemorat Xenophon l. de Rep. & Leg. Laced. non omnibus quidem, neque rerum omnium, sed eduliorum tantum, & juvenibus: ut jam a pueris consueverent vigilare, fallere, insidias struere; quo aptiores deinde, ut rebatur, essent ad militiam adulti.

Quæstio est, an detur etiam lex naturæ *XLIV.*
irritans? Cum enim lex naturæ circa actio- *An, & quæ*
 nes natura sua bonas aut malas versetur, *fit lex na-*
 illas jubendo, has prohibendo; nec tamen *tura irri-*
 actus propterea, quod sit jure naturæ pro- *tans?*
 hibitus, illico & irritus censeretur: non
 apparet facile, existere legem naturæ, quæ
 actus aliquos irritos faciat. Ex adverso
 autem manifestum videtur, & ostendetur
 etiam a nobis in loco, complures actus,
 pacta, contractus, jure naturæ esse irritos.
 Et illi quidem ad duo potissimum genera
 revocantur. Alii enim sunt irriti deficienti-
 te potestate in eo, qui agit: ut si infans,
 amens, vel alius rationis usu destitutus
 contractum ineat. Alii vero deficienti
 objecto, circa quod actus versatur; quan-
 do scilicet illud est *αὐδινατόν*, aut natura
 sua & perpetuo turpe, ut si promittas ali-
 cui velle mentiri. Quid ergo? an existit,
 aut quæ est illa lex naturæ, quæ actus hu-
 jusmodi irritos facit? Consentanea ad
 principium nostrum rursus non est alia,
 quam voluntas Dei, actus ejusmodi neces-
 sario irritos esse jubentis. Nam sicut ad
 sapientissimum naturæ humanæ Gubernatorem
 pertinet, prohibere ea, quæ per se
 mala & rectæ constitutioni hominum sunt
 opposita; ita pertinet ad eundem, actus,
 contractus, pacta, queis aliquid natura sua
 turpe promittitur, irritos esse jubere, ita,
 ut vim nullam obtineant, nec obligatio-
 nem ullam inducere queant; redundaret
 enim imperfectio in ipsum Deum, si talia
 rata haberet, aut obligationem ex iis nasci

permitteret. Similiter, quia pugnat cum recta constitutione humanæ reipublicæ ad suum finem, tenere contractus sine potestate, aut sine libertate initos; exigit perfectio sapientissimi Gubernatoris. ut huiusmodi etiam actus nullius roboris esse velit.

XLV.
*Quomodo
 actus ali-
 qui natura
 sua irrii?*

Actus igitur jure naturæ irriti; habent illi quidem in se fundamentum, quod perit, ut irriti esse jubeantur, adque ideo per se inchoata quadam ratione sunt irriti: cum tamen actus ipsi non sint lex, sed lex omnis a voluntate potestatis superioris proficiscatur; ut actus aliquis jure naturæ sit irritus: opus est lege naturali ab actu distincta, quæ eum irritum esse velit. Cum itaque lex naturæ sit voluntas Dei necessario aliquid jubentis; eatenus est actus aliquis jure naturæ irritus, quatenus ab Autore & Gubernatore naturæ necessario irritus esse jubetur. Ad eum fere modum, quo actus, quos natura sua malos dicimus, in se quidem fundamentum habent, ut prohibeantur, & ideo inchoata quadam ratione per se sunt mali; non tamen a se ipsis, sed a lege naturæ necessaria prohibentur: & quatenus cum ea pugnant, eatenus re ipsa sunt mali.

CA-

CAPUT IV.

De applicatione Normæ &
Juris Naturæ ad Actiones
Humanas.

UT actiones humanæ cum norma seu *XLVI.*
 lege congruere, aut ab ea deflectere *Legem ad*
 cognoscantur, applicatione normæ ad actio *actiones*
 nes opus est. Applicatio hæc fit per com- *applicat*
 parationem: comparando enim inter se *conscientia.*
 normam & actionem intelligimus, con-
 gruatne actio cum norma, an ab ea defle-
 ctat. Facultas, quæ comparisonem hanc
 facit, est ratio humana; ratione etenim
 naturali manifestatur norma actionum, seu
 lex Dei necessaria, ratione etiam actiones
 nostras cognoscimus: cumque facultas hæc
 mentis humanæ sit ratiocinatrix, ea colla-
 tis inter se duabus propositionibus, qua-
 rum altera legem, altera actionem exhibet,
 de actionis denique bonitate aut malitia
 fert sententiam. Prout cognitionem
 præceptorum naturalium complectitur ratio
 humana, dicitur *συντήρησις*: prout vero
 eadem de actione cum lege comparata
 decernit, *Conscientia* vocatur. Conclusio
 demum, quam ratio ex actione & lege in-
 ter se comparatis ducit, appellatur consci-
 entia aut rationis *dictamen*.

Potest autem ratio humana contendere *XLVII.*
 cum lege actionem, tum præteritam, cum *Conscientia*
 futuram, atque de utraque sententiam fer- *vel est an-*
 re: quando de futura, judicat, conscientia *tecedens*

vel conse-
quens.

Antecedens, quando de præterito, *Consequens* nominatur. *Antecedens* conscientia vel est *instigans* sive extimulans ad observandam legem, vel ab ejus transgressione *revocans*. *Consequens* conscientia vel *bona*, vel *mala* est: prout nimirum actionem cum lege aut congruere, aut ei adversari comperit. Hinc rursus alia *accusans*, quæ hominem violatæ legis reum agit; alia vero *excusans*, quæ eum a culpa absolvit, ut quando ex invincibili ignorantia aliquid contra legem gestum est. * Et, quia recte factorum conscientia pacem animi, male factorum perturbationem ac inquietudinem parit; prior *tranquilla & consolans*, posterior *remordens & inquieta* dicitur. **

Cnm

* Unde Apostolus Rom. 2. 15. *συμμετνεύσει, αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξύ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατηγορεῖντων - ἢ καὶ ἀπολογεμένων*
Testimonium reddente illis conscientia ipsorum,
& inter se invicem cogitationibus accusantibus,
aut etiam defendentibus.

** De bona & tranquilla Cicero lib. de Senect.
Conscientia inquit, bene actæ vitæ, multorum-
que benefactorum recordatio jucundissima est.
Et Horat. Epist. 1. lib. 1.

• - - hic murus aeneus esto,
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.

De mala & remordente Juvenalis Satyr. 13.
Poena autem vehemens, ac multo sævior illis,
Puas & Cæditius gravis invenit, aut Rhadamantus,

Nocte dieque suam gestare in pectore testem.

Cum vero conscientia ratiocinando legem ad actionem applicet, & ratiocinatio vel recta vel erronea esse possit: hinc conscientia, si ex lege & actione inter se comparatis, actionem legi consentaneam esse concludat, quæ re ipsa consentit; aut dissentaneam, quæ re ipsa dissentit: ea erit conscientia *Recta* & vera. Contra, si conscientia designat actionem esse consentaneam legi, cum re ipsa non consentiat; aut esse dissentaneam, quæ re ipsa non dissentit; erit conscientia *Erronea*. Error autem conclusionis ex errore antecedentium manat; antecedentia legem & actionem continent; erronea ergo est conclusio, erroneum dictamen conscientia, quando error aliquis aut circa legem aut circa actionem versatur. Cumque omnis error sit quædam ignorantia, sive positiva, ut ajunt, sive negativa; omnis error conclusionis seu dictaminis conscientia ex quadam ignorantia juris aut facti, eaque aut vincibili aut invincibili profiscitur:

XLVIII.
Recta, vel
Erronea,

Ex eadem conscientia natura intelligitur eam alias posse certam, alias dubiam, alias vero probabilem esse: prout nimirum vel de utraque antecedentium parte certo rationi humanæ constat, vel de alterutra saltem probabiliter, vel de alterutra est dubium. *Certa* igitur conscientia est, quæ ex certa legis & actionis cognitione certum item concludit dictamen, *Dubia*, quando ratio humana aut de existentia legis, aut de facto dubitat: tum enim non nisi dubia conclusioni locus relinquatur; imo potius suspenditur quævis judicium, sic, ut nihil

XLIX.
Certa; vel
dubia, vel
probabilis.

de-

definiatur. Pendet autem dubius inter affirmationem & negationem animus, vel quod eum æquale rationum pondus in utramque partem inclinet, vel quod in neutram partem ulla trahat ratio: priore modo dubium *positivum*, posteriore *negativum* dici consuevit; sed negativum hoc dubium nihil diversum ab ignorantia videtur. Conscientia *Probabilis* dicitur, quæ probabilem fert sententiam, ductam ex antecedentibus, quorum alterutrum saltem est probabile. Propositio autem vel sententia probabilis nihil aliud est, quam iudicium aliquod incertum, nixum tamen ratione tum absolute, tum etiam comparate ad rationes oppositas, gravi. Est, inquam, iudicium *incertum*, id est, nec certe verum, nec certe falsum. *Nixum tamen ratione*: alioquin cæcum ac temerarium foret, non probabile. Et quidem nixum ratione *gravi*, magni momenti, quæ per se apta sit ad impetrandum a prudente viro assensum. Gravi autem tum *absolute*: id est secundum se, non quæ intellectui parum perspicaci aut cupiditatibus in transverso actō, gravis esse appareat. Tum etiam gravi *comparate* ad rationes oppositas: elideretur enim omne illius pondus, si oppositæ rationes certæ forent. Cum igitur sententiam probabilem niti oporteat ratione gravi, comparatæ etiam ad rationes oppositas; quemadmodum oppositæ rationes inter se comparate, aliæ aliis majoris aut minoris vel paris fuerint momenti, sic erunt & sententiæ inter se collatæ magis minusve aut æque probabiles. Porro, cum e rationum

mo-

momentis sapientum quoque judicia pondus suum obtineant; sententia, quæ auctoritate sapientum nititur, pro vario auctoritatis illius gradu, similiter majorem minoremque consequitur probabilitatem.

Quoniam secundum qualitatem dictaminis conscientia aut certa est aut dubia, *L. Tuta, vel aut probabilis; dictamina autem hæc, periculosa.* alia quidem objiciunt voluntatem peccandi periculo, alia vero periculum illud remouent; inde conscientia vel est *Periculosa*, vel *Tuta*; non secus, atque ipsa dictamina tuta aut periculosa dicuntur. Cum autem remotior sit a male agendi periculo, qui omnino non agit, quam qui agit, sed citra culpam; sententia, quæ actionem ipsam remouet; *tutior* censetur; *minus tuta* vero, quæ culpam ab actione abstergit. Unde in quaestione juris, sententia affirmans legem existere est tutior, quam negans; & illa favet legi contra libertatem, hæc vero libertati contra legem. Ex quo conficies, non ideo sententiam esse tutiorem, quod sit probabilior; nec ideo minus tutam, quod minus probabilis: sæpe est probabilior sententia; quæ negat legem existere, minus probabilis quæ affirmat; & tamen hæc tutior est, illa minus tuta.

Præterea conscientia alia est *Theoretica*, *LI.* alia *Practica*. Prior ratiocinatur ac judicat *Theoretica* de actione aliqua, separata ab executionis *vel Practica* circumstantiis; posterior vero de actione *ca. Directa* suis in circumstantiis exequenda. Demum *Directa vel Reflexa* est conscientia, vel reflexa. *Directa* fert iudicium de actione cum lege comparata; *Reflexa* de ipso hoc iudicio directo,

recto, ut de actione, prout hæc iudicio directo subiicitur, sententiam dicit. Unde etiam intelligitur, quid dictamen sit Theoreticum, aut Practicum, quid Directum, aut Reflexum.

*LII.
An conscientia sit
norma actionum?*

Quæritur jam, an conscientia sit norma & lex naturalis actionum humanarum: Non esse liquet satis ex iis, quæ capite I. diximus. Normam etenim oportet esse rectam, & ab omni errandi periculo remotam: ratio naturalis seu conscientia est errori obnoxia; adeoque, ut sit recta, indiget alia certiore norma, a qua regatur. Lex item non est, nisi voluntas potestatis superioris, præcipiens aut vetans aliquid, ac inducens obligationem: ratio naturalis seu conscientia, neque superior, neque se ipsa inferior esse potest; non ergo præcipit aut prohibet, sed, quid lege præceptum prohibitumve sit, indicat; nec proinde obligat, sed promulgando legem naturæ facit, ut lex naturæ obliget. Applicat ergo duntaxat normam & legem naturæ, seu voluntatem Dei necessariam, ad actiones humanas conscientia; non vero ipsa est norma actionum aut lex naturæ. Interim tamen id nil prohibet, quo minus dicamus conscientiam esse normam proximam actionum humanarum, & participatam quamdam legem naturæ. Cum enim voluntas Dei necessaria non nisi per dictamen conscientia applicata actiones humanas dirigat, consequens est, ut velit Deus non dictamen conscientia sequi, si dictamen conscientia sequendum, ergo illud est norma proxima actionum; cumque idem legem ne-

necessariam Dei ad actiones applicet, quamquam ipsum legis vim non obtineat, participatio tamen aliqua legis existimari potest.

Si dictamen conscientiae, ut modo diximus, est norma proxima actionum; ut recte, honeste, ac juste agas, dictamen practicum, quod actionem moderatur, de bonitate actionis certum sit, oportet. Nam si anceps hæreat animus, si in utramque partem æquo pondere inclinet, si nihil certi de honestate aut turpitudine actionis decernat, atque in fluctuante hoc animi statu tamen actionem perficias, periculo te offers contra legem agendi: atqui periculo se offerre contra legem agendi, jam hoc ipsum est pugnare contra legem; nam qui ita agit, cum nihil pensi habeat, sitne actio legi conformis, an contraria, vel ideo habet voluntatem cum lege pugnantem: igitur, nisi dictamen ultimum, quo dirigente actio perficitur, de bonitate actionis sit certum, actio non poterit esse bona.

LIII.
Ad recte
agendum
requiritur
Dictamen
certum.

Neque tamen dictamen illud, opus est, ut sit metaphysice certum: satis est esse ger-
tum mora-
liter.
tali. Metaphysice enim certi, nisi de primis ac generalibus naturæ legibus, & paucis, quæ ex illis evidente ratiocinatione ducuntur, esse non possumus: remotiora a primis principiis morum præcepta, quæ vel sapientissimos quosque fugiunt, quis putet evidentiâ metaphysica posse intelligi? Cum itaque actionis bonitas ex ejus cum lege contentione noscatur; si legis cognitio non potest semper esse metaphysice

LIV.

cer-

certa, quomodo dictamen conscientiae de bonitate actionis certum metaphylice semper esse poterit? Sufficit ergo dictamen moraliter certum, id est, dictamen, quod de bonitate actionis te ita certum faciat, ut nihil metuas, ne actio legi adversetur: cum tali enim certitudine qui operatur, vult actionem suam ad praescriptum legis esse compositam, neque periculo se prudens objicit contra legem agendi: ejus ergo actio est bona; atque ita ad recte agendum satis est dictamen moraliter certum.

*I.V.
Illudque
semper est
sequendum.*

Porro, cum actionum proxima norma sit dictamen conscientiae, non quodcumque, sed certum, saltem moraliter; quoties conscientia actionem lege praecipit aut prohibitam certo, saltem certitudine morali, judicaverit; toties eam tanquam ducem sequamur, oportet, agendo, quod illa praecipit judicat, aut praetermittendo, quod judicat esse prohibitum. Cum enim actionum bonitas aut malitia ex earum ad legem habitudine oriatur; si conscientia de actionis cum lege consensione aut dissensione certa sit, & aliquis nihilominus contra hoc dictamen conscientiae agat; is procul dubio male agere vult, ac legem violare: ut igitur actionem bonam ac legi conformem velle censeatur, dictamen conscientiae ei sequendum est. Unde patet, esse legem naturae reflexam, qua omnes jubemur secundum dictamen conscientiae, si quidem certum, moraliter saltem fuerit, operari.

Sed

Sed quid, si quis errore invincibili laboret, si certo existimet actionem esse lege præceptam aut prohibitam, quæ præcepta aut prohibita re ipsa non sit? Et iste secundum dictamen conscientiæ, quamvis erroneum, tenetur agere; atque, si secus agat, delinquit. Namque, si actionem eligat, quam certo judicat cum lege pugnare, profecto vult actionem cum lege pugnantem; igitur delinquit: similiter delinquit omittens actionem, quam certo judicat lege præceptam, quia vult omissionem actionis præceptæ. Contra vero recte ac honeste agit, si faciat, quod faciendum esse; aut omittat, quod omittendum certo, etsi per errorem existimat: sic enim habet voluntatem affectam ad actionem aut omissionem conformem legi. Nempè voluntas tendit in bonitatem aut malitiam actionis, non qualis illa in se est, sed qualis in conscientia proponitur: ergo qui amplectitur actionem, quæ per conscientiam bona proponitur, bonam amplectitur actionem, ac proinde bene agit: contra, qui amplectitur actionem, quæ per conscientiam proponitur mala, malam amplectitur, ideoque male agit. Cujus quidem bonitatis aut malitiæ ea postrema est ratio, quod is, qui errore invincibili captus conscientiam suam sequitur, agat secundum legem naturæ reflexam, quæ jubet homines agere secundum dictamen certum conscientiæ; contra, qui operatur contra conscientiam, contra eandem etiam legem reflexam operetur. * Ex hoc tamen

H

argui

* Fallitur hic Puffendorffius, cum de J. N. &

LVI.
Etiam in
errore in-
vincibili.

argui nequit, Deum præcipere peccatum: præcipit ille, ut secundum dictamen certum conscientiæ agamus, ut erret conscientia in dictamine suo, id neququam præcipit; sed permittit: per accidens ergo fit, quod ajunt, ut conscientiam teneamur erroneam sequi. Sed hæc valent duntaxat in errore, qui superari non potest.

CVII.
Error autem, si potest, vinci debet.

Aliud est de errore, qui potest expelli. Si laboret conscientia errore, quem sibi eximere potest, tenetur illum eximere. Alioquin ex tali errore operans, quidquid agat, delinquet. Delinquet, si agat secundum dictamen erroneum: cum enim error ipse sit voluntarius, is excusare a culpa non poterit actionem, quæ ex illo progignitur, quæque pugnat cum lege directa. Delinquet autem etiam si contra conscientiam agat: quia eliget actionem aut omissionem a conscientia ut malam sibi propositam, & agat contra legem reflex-

G. 1. r. c. 3. §. 4. *Probe notandum ait: conscientia nullo alio respectu, circa dirigendas hominis actiones, locum aliquem tribui, quam quatenus cognitione legis imbuta est. &c.* Nam si ita est, qui errore invincibili tenetur, obligaretur ad agendum contra conscientiam; atque sic obligari nequit; cum nesciat, nec scire possit, se in errore versari. Aliter haud dubie locutus erat Auctor, si ad legem reflexam animum advertisset.

flexam, quæ jubet conscientiam sequi. Neque tamen hæc in utramque partem peccandi necessitas facit, ut sine culpa peccetur: est enim necessitas, quæ errorem consequitur; quemadmodum ergo hic culpa non vacat, propterea quod sit libere voluntarius, sic neque illa necessitas ex tali errore agentem a culpa liberat. * Ad excutiendam ergo tam duram necessitatem illud unum reliquum est, ut mens humana, qua potest diligentia, legum & actionum veritatem exquirat, quibus inter se comparatis rectum ferat judicium.

H 2

Cum

- Ideo ἀναπολόγητοι erant, qui doctrinam Christi abolere, ejusque discipulos interimere nitentur, etsi certo judicarent se recte agere: ἔρχεται ὥρα, inquit Christus Joan. 16. v. 2. ἵνα πᾶς ὁ ἀποκτείνων ὑμᾶς, δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ. Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et causam mox subjicit v. 3. καὶ τὰυτὰ ποιήσουσιν ὑμῖν, ὅτι οὐκ ἔγνωσαν τὸν πατέρα ἰδοῦ με. Et hæc facient vobis, quia non moverunt Patrem, neque me.

Sic rei quoque gravissimi sceleris erant, qui Redemptorem humani generis morti addixerunt, quamvis eos ipse errore aut ignorantia id fecisse fateatur: error quippe erat voluntarius atque culpabilis.

LVIII. Cum ad recte honesteque agendum requiratur conscientia moraliter saltem certa: neque error, qui humana diligentia potest superari, a culpa excuset: si quis ambiguus inter oppositas sententias hæreat, ac definire nequeat, sitne fas agere, an non; profecto tum suspendenda est illi actio, ac rei veritas integra diligentius exquirenda, dum ponderatis in utramque partem rationibus certius comperiat, quid per legem licitum sit facere, quidve prohibitum. Nam, si temere nulloque certo conscientiae ductu alterutram partem complectatur, in discrimen se objicit eam eligendi, quæ legi repugnet; ac proinde non minus eam voluntate complectitur, si prohibita sit, quam si foret permissa: id ergo ne fiat, suspendenda est actio.* Subinde vero diligentius est inquirendum, num actio, circa quam dubium versatur, sit re ipsa prohibita: alioquin, hac indagatione neglecta, æquiparabitur perseverans dubium errori aut ignorantiae culpabili; & redeunte ejusdem actionis occasione, periculum quoque legem violandi redibit.

LIX. Quia vero non semper suspendi potest actio, propterea quod circumstantiæ sæpe non patiantur deliberationis moram, sed
Vel tutior pars eligenda.

* Bene præcipiunt, qui vetant quidquam agere, quod dubites æquum sit, an iniquum, æquitas enim lucet ipsa per se; dubitatio autem cogitationem significat injuria. Cic. Lib. I. de offic.

alterutrum eligere e vestigio compellant: in ejusmodi rerum conditione anceps consilii animus, nequid temere ac perperam agat, eam eligat sententiam oportet, quæ a peccati periculo remotior videatur; tumque obtinet illa actionum regula: *In dubiis pars tutior est eligenda.* Cum enim, nisi ex dictamine moraliter saltem certo, nefas sit operari, pendente autem judicio nihil certi de parte minus tuta constitui valeat; superest, ut si alterutra pars sit eligenda, eligatur tutior: hanc enim partem eligendo certa est conscientia, nihil contra legem committi; eligendo vero minus tutam, cum dubitet, licitumne sit eam amplecti, periculo contra legem agendi volens sese objiceret.

Quod si actione suspensa, ac examinatis diligenter rationum momentis, aut sapientum etiam judiciis in consilium adductis, in medio adhuc relinquatur existentia legis, ac proinde certo cognosci nequeat, præceptumne, vetitum, an permissum sit aliquid; quamvis etiam tunc securius sit legem dubiam servare, tamen nec fundamentum illum reperitur adstruendi obligationem ad ejusmodi legem servandam. Neque enim de possessione libertatis deturbanda est voluntas humana, quando certo non constat eam lege adstringi; atqui, dum lex invicta est dubia, non constat certo voluntatem lege adstringi; tunc igitur de possessione libertatis deturbanda non est voluntas humana, adeoque non adstruenda obligatio ad servandam legem invictæ dubiam. Unde verissimi-

LX.

Lex invictæ dubia non obligat ad tutius.

num est illud axioma. *In dubiis melior est conditio possidentis*. Atque eandem ob causam etiam in theoria; cum vere dubium est de lege, non est obligatio sequendi partem tutiorem. Hinc illæ regulæ: *In obscuris minimum est sequendum* (a); *odia restringenda, favores ampliandi* (b); *semper in dubiis benigniora præferenda* (c). Quæ regulæ etiam in praxi locum habebunt, nisi hic nova aliqua occurat circumstantia, quæ legem in theoria dubiam, in praxi certam esse definiat.

LXI.
An lex probabilior ad tutius obliget?

Facile, hæc ita se habere, intelligitur, quando utrique æquale rationum pondus, pro affirmanda, & pro neganda legis existentia pugnat; aut quando sententia legem negans est probabilior affirmante. Sed quando firmioribus argumentis ostenditur legem existere, non æque autem firmis eam non existere probatur; seu quando concurrunt duæ sententiæ, hinc quidem tutior eadem ac probabilior, hinc vero & minus tuta & minus probabilis: non perinde clarum est, an tunc etiam liceat minus tutam partem eligere. Sunt, qui hoc prohibent propterea quod, qui minus tutam sententiã eligit, periculo sese peccandi obijcere videatur. Sunt vero etiam, qui illud concedunt, cum nihil periculi in sententia minus tuta reperiant. Qua de re ne nihil dicamus, ad illud monemus præcipue advertendum,

an

(a) Reg. 30. in 6.

(b) Reg. 15. in 6.

(c) Reg. 56. ff. de Reg. juris.

an sententia utraque verè sit probabilis: utraque gravibus rationibus nixa. Nam, si sententia negans existentiam legis sit tenuiter tantum probabilis, si talibus nixa rationibus, quarum vim ac robur rationes oppositæ elidant; manifestum est, non licere tam infirmam sententiam sequi; tunc enim rationes affirmantis sententiæ factis essent, ad formandum iudicium moraliter certum, quale ex rationibus sententiæ negantis formari non posset; ideoque secundum opinionem minus tutam operans præfenti se exponeret legis violantiæ periculo. At vero, si negans legem opinio sit vere probabilis, si ejus rationes, comparatæ etiam cum oppositis, re ipsa sint graves; quamvis contraria sententia fuerit probabilior, tamen, propter conflictum rationum utrinque gravium, nihil certi de existentia legis constitui poterit: constabit ergo jus certum possessionis libertati, neque ei jus dubium legis præjudicio erit: ergo poterit formari iudicium reflexum moraliter certum, non existere obligationem ad servandam legem, de cujus existentia cum ratione ambigitur; ergo sequendo hoc iudicium licet partem minus probabilem minusque tutam amplecti. Quod si tamen in executione intercedat circumstantia aliqua, quæ dubitationem dirimat, si e. g. jus alicujus tertiæ exigat, ut opinionem tutiorem sequare; tunc minus tutam sine crimine eligi non posse, per se clarum videtur.

LXII.
*Lex certa
 praevalet
 dubia ex-
 emptioni.*

Universe igitur illud tanquam certum constitui potest, quoties rationibus gravibus utrinque pugnantibus incerta manet existentia legis, toties potiorum esse libertatis, quam legis, conditionem. E contrario vero, si certum sit de lege, dubium autem oriatur, an ea expiravit, sublata sit, aut per exemptionem aliquam emendanda videatur; tunc dubitatio hæc nihil patrocinatur libertati, standumque est unice pro integritate legis; quia universe *In dubiis melior est conditio possidentis*: cum igitur lex jus certum obtinet ad obligandum, ea deturbari de possessione sua per dubiam exemptionem aut cessationem nequaquam potest. Procedit autem hoc duntaxat de legibus libere latis; quia hæc tantum desinere, mutari, per exemptionem laxari aut solvi possunt. In lege naturæ, cum sit necessaria, ideoque cessare, mutari aut laxari nesciat, quæstio hæc locum non habet. Nisi forte aliquis etiam naturalis legis materiam mutari & a lege eximi posse existimet; de qua mutatione aut exemptione si dubium moveatur, eodem modo pro sanctitate legis contra liberalitatem ferenda erit sententia.

CA-

CAPUT V.

De Officiis Hominis erga Deum.

DE Jure naturali in genere cumulare ad huc egimus; proximum est, ut gradum faciamus ad exponenda officia; quæ ex illo proficiuntur. *Officium* Latinis, Græcis δὲ καθήκον, & κατορθώμα dictum, actionem significat, legibus naturalibus conformandam. Et hoc quidem officium dicimus *Perfectum*, actionem scilicet lege naturali præceptam; ex obligatione naturali debitam, adeoque necessariam ad consequendum ultimum finem, veramque felicitatem: cum ex adverso *Imperfectum* appellare officium liceat actionem illam, quæ suadeatur potius, quam præcipiatur, quæ sub obligationem naturalem non veniat, nec proinde ad felicitatem absolute sit necessaria; sed ad incrementum felicitatis conducatur. Unde patet, Jus Naturæ circa officia tantum perfecta versari.*

LXIII.
Quid sit officium hominis?

H 5

Re

* Non absimili ratione Stoici officia distinxisse videntur. Nam καθήκοντα dicebant: ὅσα λόγῳ πρέπει ποιεῖν quæcunque rationi consentaneum est facere, vel ὅσα λόγος αἰρεῖ ποιεῖν, quæcunque ratio facienda dicitur; officia vero perfecta κατορθώματα appellabant. Vid. Buddens Introd. ad Philos. Stoicam Sect. 6.

LXIV. Recte vero ad tria potissimum capita *Officia erga Deum, se ipsum, & alios.* omnia hominis officia revocantur: ad ea scilicet; quæ Deo, quæ sibi ipsi, quæque aliis hominibus jure naturæ quisque debet. Cum enim ex felicitate seu recta constitutione naturæ humanæ, velut e principio proximo, omnia Juris naturalis præcepta noscantur; necesse est, illa jure naturæ præscribi officia, queis procuretur vera naturæ humanæ felicitas; hæc autem procuratur triplici illo officio. Felicitas enim ex generali conceptu in pace ac tranquillitate statuitur: entia vero, quibuscum pacem colere possumus, sunt Deus, nos ipsi, & homines alii: igitur officia, quæ pacem cum Deo, nobiscum ipsis, & cum aliis, eadem & felicitatem procurant; per consequens officia juræ naturæ præcepta, officii erga Deum, erga se ipsum, & alios continentur. De quibus nunc ordine agendum.

LXV. Et imprimis, quod ad officia *Officia erga Deum.* erga Deum attinet: cum ille sit Autor, Conservator, & Governator universæ naturæ, idemque ens supremum ac perfectissimum: cui omnes subjicimur, a quo toti pendemus, sine cujus nutu neque esse, neque operari possumus: ipsa profecto ejus excellentia, summumque imperium exigit, ut omnem submissionem, laudem, & amorem a nobis requirat. Quæ quidem, & reliqua, quæ ex illis fluunt, erga Deum officia, generali vocabulo *Religionem* dicimus. Unde intelligitur, officia hominis erga Deum, esse actiones ex debito conformanda legi naturæ, præcipienti
Re-

Religionem erga Deum, quantum quidem naturalibus viribus eam consequi valeamus.

Cum totus subjectus Deo sit homo, consequens est, ut, secundum omnes facultates suas, religionem exhibere Deo jure naturæ debeat; facultatibus autem præstat duabus, intellectu videlicet, ac voluntate, a qua actiones ipsius liberæ pendent; duplicis ergo generis officia homini erga Deum incumbunt: tum ut agnoscat eum, recteque de illo sentiat; tum ut actiones suas ad ipsius voluntatem componat. Hinc Religio naturalis propositionibus qua theoreticis, qua practicis continetur. *Theoreticæ* sunt: Deum exiitère, esse mundi Conditorum, Rectorem &c. *Practicæ* circa Dei cultum, id est, circa actiones ad voluntatem Dei componendas versantur.

LXVI.
Theoreticæ
& *Practicæ*

Porro, cum actiones humanæ, interiores aliæ, aliæ sint exteriores; totusque, etiam in operando, homo Divinæ majestati subjaceat; utrisque actionibus homo Deum religiose colat, oportet. Itaque tum internus, tum externus Deo cultus juræ naturæ debetur. *Internus* est animi submissio, qua Divinam excellentiam veneramur: *Externus*, quo internum cultum exterioribus actionibus testatum facimus. Enimvero Deus, sibi ipse sufficiens, cultu nostro nequaquam indiget; attamen infinita ejus sapientiæ vis, summaque in humanum genus potestas id exigit, ut quos sibi necessario subjectos habet, ab iisdem etiam coli necessario velit.

LXVII.
Interna, &
externa.

Quem-

Quemadmodum enim, etsi liberrimum ei fuerit creare hominem, creatione tamen posita non potuit non velle illum sibi esse subiectum; ita non potest non velle ab illo coli: alioquin redundaret in eum summa imperfectio, cum creasset & conservaret hominem, sibi & in existendo & in operando necessario subiectum, atque eundem tamen subiectum sibi esse non vellet, quia vellet ab obligatione cultus immunem. Quæ ratio, cum manifeste ostendat utrumque cultum Deo jure naturæ esse debitum; plurimum quoque valet ad refellendum insignem errorem Thomassii, negantis Deum cultu exteriori coli velle, propterea quod, ut ait, (a) Deo opus non sit cultu exteriori; cum tamen idem interiorem cultu Deo jure naturali deberi negare non audeat; perinde scilicet, quasi Deus, qui cultu exteriori non indiget, indigere possit interiore. Neutro plane cultu Deus indiget; sed infinita ejus excellentia exigit, ut cultu utroque coli velit ab aliis, qui & quoad interiores, & quoad exteriores actiones ipsi necessario sunt subiecti. Necdum tamen quiescit Thomassius cultus, ait, exterior est manifestatio cultus interioris: Deus autem, qui intimas humanæ mentis actiones perspiciat, externa illarum manifestatione opus non habet. Non habet opus manifestatione externa Deus; neque ideo tamen vult coli cultu externo, quasi externa manifestatione ad perspiciendum cultum internum egeret: coli vult cul-

(a) Jurispr. l. 2. c. .I

cultu etiam externo, quia, cum etiam quoad exteriores actiones necessario subjectus Deo sit homo, non potest non velle Deus; hominem, etiam quoad exteriores actiones, sibi non esse subjectum, exigente id infinita ejus excellentia ac majestate. Sed hæc jam de officiis erga Deum in genere satis: nunc ea distinctius exponamus.

Theoretica officia primum sibi ordine locum vendicant, fundamentum veluti practitorum. Inter illa primum est Agnitio Dei. * Vera enim hominis felicitas in re-cta ejusdem ad finem suum ultimum habitudine consistit; ejusmodi vero habitudo sine agnitione Dei neque esse, neque intelligi potest: cum igitur Deus necessario præcipiat, quæ ad veram hominis felicitatem requiruntur; evidenter consequitur, eum necessario agnitionem sui præcipere. Imo cum Deus ad Gloriam suam & manifestandas perfectiones hominem condiderit, nec profecto potuerit alium ob finem condere; ipsa ejus perfectio hanc illi necessitatem adfert, ut velit agnosci. Nec veto media ulli desunt ad cognitionem hanc perveniendi: siquidem meditatione veritatum, quas naturalis ratio suggerit, contemplatione universi, rerumque creatarum, quæ eo continentur, &

LXVIII.
Præcipitur
agnitio
Dei.

or-

* *Primus Deorum cultus est, credere Deos; deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla est majestas. Seneca epist. 95.*

ordinis pulcherrimi, ac vicissitudinum admirabili veritate sese excipientium, denique eventuum singularium, & aliorum Divinæ potentia ac sapientia argumentorum consideratione, facile & rudibus ipsis obvia ratione cognoscimus, existere Numen aliquod, existere Autorem universi, eundemque potentia sua conservare omnia, & summa sapientia gubernare. * Tali ergo, tanquam plana via in cognitionem Dei cum possint venire homines, nemo non videt, eos jure naturæ obstringi ad illum investigandum. Unde liquet, perperam a Puffendorffio ejusque sectatoribus, Webero, Kemmerichio &c. agnitionem Dei e jure naturæ expungi, ac rejici ad Theologiam naturalem: investigat Theologia naturalis Deum; sed jus naturæ obligationem parit investigandi.

LXIX.
*Ejusque
perfectio-
num.*

Ex eodem principio conficitur, jure naturali hominem obligari ad noscendas Dei perfectiones, adeoque ad recte de illo sentiendum; ut ne perfectiones, quæ illi con-

ve-

* Hinc Apostolus Τὰ ἀόρατα αὐτῆ ἀποκρίσεως κόσμος τοῖς ποιήμασι νοσμένα καθορᾶται, ἢ τε αἰδῖος αὐτῆ δύναμις, καὶ θεϊότης, εἰς τὸ εἶναι αὐτῆς ἀναπολογήτης
Invisibilia ipsius (Dei) a creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas, ita ut sint (Gentes) inexcusabiles. Rom. I 20.

veniunt, neget; seu attribuat imperfectiones, quæ ab ejus natura abhorrent. * Equidem perfectiones Dei omnes naturali ratione detegi posse nemo contenderit; reconditæ sunt multæ, & procul ab humana intelligentia positæ: sed nec illud ullus negaverit; quas facile ac obvia ratione comperire liceat, ad eas indagandas hominem jure naturali teneri: cum id & hominis vera felicitas, & præcipue ipsa excellentia Dei requirat. Hujusmodi autem sententiæ sunt; Deum existere, eum Autorem, Conservatorem, ac Governatorem esse universi, esse unum, æternum, immensum, intelligentem, sapientissimum, providentissimum, omniscium, volentem liberrime, omnipotentem, sanctissimum, veracem, supremum Legislatorem, justum remuneratorem ac vindicem, esse denique Ens supremum, nullius indigum, perfectissimum, ac optimum: quas perfectiones demonstrare ad Theologiam naturalem pertinet.

Quæ

* Τῆς περὶ τῶν θεῶν εὐσεβείας ἰσθῆι, ὅτι τὸ κυριώτατον ἐκείνῳ ἐστίν, ὁρθῶς ὑπολήψεις περὶ αὐτῶν ἔχειν, ὡς ὄντων, καὶ διοικούντων τὰ ὅλα καλῶς, καὶ δικαίως. *Religionis erga Deos præcipuum illud esse scito, rectas de iis habere opiniones, ut sentias, & esse eos, & bene justeque administrare universa.* Epictet. *Enchirid.* c. 38.

LXX.
*Hinc probi-
 betur Athe-
 ismus.*

Quæ cum ita sint, illud imprimis nemi-
 ni obscurum esse potest. *Atheismum*, omnem-
 que de existentia Dei ignorantiam, jure
 naturæ adversari. Sive enim ex perversita-
 te animi quispiam Deum neget, nolitque
 eum existere, per quem sibi impune servi-
 re cupiditatibus non licet, sive etiam finga-
 tur aliquis Deum omnino ignorare: cum al-
 ter nolit Deum agnoscere, quem non igno-
 rat, alter vero sua culpa ignoret; uterque
 agnitionis officium Deo jure naturali debi-
 tum negat. Unde, quemadmodum notitiam
 Dei parandam & conservandam jure naturæ
 affirmativo præcipi, sic vetari jure negativo
 atheismum & ignorantiam Dei intelligimus.
 Non abest proinde a suspitione atheismi
 Hobbseus, qui atheos imprudentiæ quidem
 arguit, sed ab injustitia absolvit; (a) nixus
 illo psalmi *Dixit insipiens in corde suo: non
 est Deus*; quasi nimirum Psalter, eo quod
 insipientem dicat atheum, neget esse inju-
 stum; aut non omnis injustus, etiam insi-
 piens ex vero dici possit. Hallucinatur
 quoque Kemmerichius, cum scribit (b) *pænis
 atheum, quamdiu tranquille vixit, juste baud af-
 fici: quoniam atheismus speculativus error est in-
 tellectus, errores vero intellectus legibus & pænis
 corrigi nequeunt*. Præterquam enim quod
 athei optent potius non esse Deum, quam
 revera ita judicent; ideoque non tam intel-
 le-

(a) Elem. de Civ. c. 14. §. 19.

(b) In Puffendorffio enucleato c. 4. num.
 57.

lectus, quam perversæ voluntatis laborent vitio; cum fieri non possit, ut obversantibus quotidie ante oculos tot Divinæ existentia argumentis, diu ratio naturalis cœcutiat: si etiam demus aliquem in errore tali intellectus versari, num speculativus tantum erit hic error, non etiam voluntari impūandus, quem cum potuerit quis facili ratione, corrigere tamen ac dissipare neglexerit? *

Adversatur deinde juri naturæ etiam *Polytheismus*. Quamvis enim per se lumine naturali manifestum non sit, tamen ab homine rationis compote, & cui scelera mentem non ademerunt, facili ratiocinatione evidenter intelligi potest, unicum esse Deum. Namque, si Dii essent plures; aut omnibus esset potestas agendi, quod liberet, aut aliquibus tantum, aut nulli? Si nulli; nullus ergo esset Deus: neque enim infirma cogitari potest Divinitas. Si aliqui-

LXXI.
Polytheismus.

- * Certe Apostolus non mere speculativi erroris convincit Ethnicos, quos ἀναπολογητες *inexcusabiles* dicit: οἷοτι γινόντες Θεόν, ἐκ ὧς Θεοῦ ἐδόξασαν *quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt*; licet de iisdem addat ἡμα αὐθήσαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν, καὶ ἰσχυρισθῆ ἡ ἀσύνετος αὐτῶν καρδίαι *evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est inyipiens cor eorum* Rom. I. 21.

quibus; 'omnes possent & velle & facere contraria, ut apud Poetam *Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Appollo*: ergo alter necessario succumberet, alter non vinceret sine jurgiis; hic miser, ille inferior Deus. Iterum, si plures essent Dii; vel omnes æqualiter vel unus emineret supra ceteros? Si unus; ergo ceteri non essent Dii. Si æqualiter omnes; ergo nullus eorum esset Deus: quia nullus summe perfectus, sed quilibet aliorum perfectionibus destitutus.* Tali ergo aut consimili ratione homo cum facile intelligere possit unicum esse DEUM, idemque ad recte de DEO sentiendum, ejusque noscendas perfectiones, quas deprehendere facile negotio potest, jure naturæ teneatur; consequens est, ut eodem jure prohibeatur a polytheismo; &, qui seclus sentiat, eum laborare errore minime excusando.

LXXII, *Idolomaniæ* Similiter & *Idolomania* pugnat cum jure naturali: qua Divinitas tribuitur rei creatæ, adeoque fingitur DEUS mancus, imperfectus, impotens &c. Sic enim perfectionis naturæ divinæ necessario attribuendæ, & ipsa derogatur supremo illi Enti Divinitas; contra vero tribuuntur Divinitati imperfectiones, quæ ipsam Divinita-

* Recte pufendorffius de offic. com. l. I. c. 4. §. 5. *Præterquam, ait. quod admiranda Mundi harmonia unum duntaxat ejus Moderatorem arguat; etiam finitus tunc foret Deus, si plures essent paris potestatis, ab ipso non dependentes &c.*

tatis evertunt naturam: Quæ omnia a Deo quam longissime abhorreere cum ratio naturalis doceat, non ignorantia aut error ultius excusare potest ab injustitia eos, qui numina falsa adstruunt. Quales erant antiqui illi Philosophi, qui, mutuata, forsan ab Hebræis revelatione, intellectuales quasdam potentias pro Diis habuere; aut qui providam naturam, velut parentem ac primum rerum omnium principium existimarent: cum tamen & Intelligentiarum numerus, & ipsa naturæ agendi vis ac efficacia Deum autorem suum ostendant. Multo vero etiam magis delirarunt, qui res ex materia compositas, qui solem, lunam, aliave corpora cœlestia; aut qui sceleratissimos homines, bestias ipsas, imo cepas & alia, & si quid vilius istis Divinitate donarunt.*

Verbo, omnis iure naturæ prohibetur *LXXII.*
Impietas, atque Blasphemia. Siquidem im- *Omnisque*
 pios appellamus, qui Deum, ejusve per- *Impietas;*
 fectiones, aut ex ignoratione voluntaria, *& blasphem-*
 aut præfracta voluntate negant; blasphem- *ia.*
 I 2 mos

* Qui etiam juxta Apostolum ἐμωράθησαν
 stulti facti sunt; quia ἠλλάξαν τὴν δόξαν
 εἰς ἀφάρτην θεοῦ ἐν ὁμοιώματι εἰκότος
 φθαγῆς ἀνθρώπου, καὶ πετερόων, καὶ τε-
 τραπόδων, καὶ ἑρπετῶν Mutaverunt glo-
 riam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis
 corruptibilis hominis, & volucrum & quadrupedum;
 & serpentum. Rom. I. 23.

mos vero, qui imperfectionem aliquam in Deum impingunt, ab eo alienam. Unde non athei solum, polythei, ac idolomani; verum &, qui Deum injustum, aut impotem, qui nolit aut non possit opitulari, aut qui eum in molitione mundi non rite omnia constituisse, aut rebus humanis parum consulere, vel alia *addivata* de illo sentiunt, blasphemii aut impij esse, & contra jus naturæ delinquere cognoscuntur.

LXXIV.
Credendum
Deo reve-
lanti.

Ad theoretica item erga Deum officia ex jure naturæ pertinet, ut fidem Deo habeamus, totoque mentis assensu pro certissimis teneamus, quæ ille pro sua in humanum genus bonitate revelare dignatus est. Equidem status puræ naturæ revelationes Divinas haud complectitur; tamen, cum jus naturæ necessarium sit & nunquam mutabile, illud &, pro statu factæ a Deo revelationis, vim suam obtinere necesse est: atqui posita revelatione Divina jus naturæ præcipit fidem Deo haberi. Nam ratione quidem naturali evidenter cognoscimus, Deum sapientissimum eundem, & veracissimum esse, qui nec falli ipse possit, nec, si quid mortalibus revelet, eosdem fallere: igitur summa Dei sapientia atque veracitas id exigunt, ut, si quidem de revelatione Divina nobis satis constet, necessario velit sibi fidem haberi. Alioquin maxima in ipsum redundaret imperfectio; cum non prohiberet, ut eum aut minus sapientem, aut non omnino veracem existimesmus.

4 Qua-

Quare jure naturali prohibetur etiam **LXXV.**
 omnis *hæresis*, id est, pertinax error men- *Hinc veti-*
 tis, revelatæ divinitus veritati contrarius: *ta omnis*
 tantumque abest, ut jus naturæ sequantur, *hæresis.*
 qui revelationi satis agnitæ contradicunt,
 ut illud etiam, quantum per eos quidem
 stat, penitus eversum eant; quandoqui-
 dem revelatæ veritati refragari nequeunt,
 quin Deum ipsum aut erroris, aut men-
 dacii arguant. Sed neque illi ab hæretica
 impietate excusari possunt, qui volentes in
 ignoratione Divinæ revelationis versantur,
 seu qui negligunt indagare, quæ ipsis præ-
 sto sunt, Divinæ revelationis indicia: sic
 enim ipsorum culpa fit, ut veritati divini-
 tus revelatæ repugnent.

Jam vero, ut ad officia practica propius **LXXVI.**
 accedamus, ipsa quidem Dei cognitio pri- *Debetur*
 mum admirationem in animis nostris ex- *Deo Laus*
 citet, ut eum omnem cogitationem no- *& Honor.*
 stram excedere, eundemque, ob intermi-
 natam suam excellentiam, omni laude ac ve-
 neratione dignissimum fateamur. Cumque
 re ipsa ea sit Divinæ perfectionis dignitas,
 ut necessario exigit a nobis coli & adora-
 ri, dubitare ratio naturalis neutiquam po-
 test, jure naturæ deberi a nobis Deo lau-
 dem, honorem, ac reverentiam: qua eum
 intimo animi sensu supra omnia extolla-
 mus, ejusque Majestati nosmet propensa
 voluntate subjiciamus, ipsisque actionibus
 hoc intellectus ac voluntatis nostræ obse-
 quium contestemur. Quod quidem, hono-
 ris Deo habendi præceptum adeo mortali-
 um omnium mentibus alte inditum est ab
 autore naturæ, ut, quamvis plurimæ gen-

tes divinitatem rebus creatis tribuerent, non fuerit tamen ulla, quin iis, quæ sibi finxerat, numinibus, cultum aliquem exhibendum putaret.

LXXVII Quidquid ergo laudi huic ac honori naturaliter debito adversatur, id citra controversiam eodem jure prohibitum judicamus. Hinc prohibetur inprimis omnis *superstitio*, quo nomine venit *cultus*, qui vel DEO non legitimus, vel rei creatæ indeditus exhibetur. Prioris generis duæ sunt species. Altera, cum DEO exhibetur cultus falsus: ut si quis falso pietatis obtentu prodigia comminiscatur. Altera, cum *superfluus* cultus exhibetur: id est, qui neque ad DEI laudem quidquam faciat, neque ut mens in Deum elevetur, neque ut prævæ cupiditates fræpentur. Utramque hanc superstitionis speciem cultum, quem DEO naturaliter debemus, repugnare, consideranti facile patebit. Posterius superstitionis genus quinque comprehendit species: puta idololatriam, magiam, maleficium, divinationem, & vanam observantiam; quas ordine exponemus.

LXXVIII. Gravissimum superstitionis genus est *Idololatria*, qua supremus * unique DEO debitus cultus ad rem creatam transfertur, sive is cœlestibus astris, sive animantibus brütis, sive hominibus aut vivis aut mortuis, aut eorum simulacris deferatur. Differt eatenus ab *Idolomania*, quod imdio
er-

* Quem Græci *κατ'εὖ* dicunt.

errori impium cultum adjiciat. * Ejus origo describitur Sap. 14. quamvis non plene, ac exempli tantum gratia, Nam præter acerbum illum luctum, qui patrem instigavit, ut cito sibi rapti filii imaginem faceret, & mortuum hominem constitutis sacris sacrificiis tanquam DEUM coli mandaret; reverentia etiam & amor filiorum erga parentes, subditorum erga principes, civium erga rerum utilium inventores; vanus præterea metus, præcedentium temporum ignoratio, admiranda astrorum species; hæc, inquam, omnia cum multis aliis, quæ adduci possent, originem progressumque dederunt idololatriæ, Præcipuam tamen idololatriæ causam, dubitari non potest, malum dæmonem fuisse; qui, ut divinos ad se transferret honores, in idolorum simulacris se colendum exhibuit; in quibus idcirco edebat oracula, & alia non nunquam mirabilia patrabat. * *

I 4

Man

* Sic errorem notat Apostolus, cum de gentibus ait: *μαγήλαξαν τὴν ἀλήθειαν τῆς Θεῆς ἐν τῷ ψεύδει, commutaverunt veritatem Dei in mendacium; cultum vero: dum addit: ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τῶν κτίσαντα, coluerunt, & servierunt creaturæ potius, quam Creatori. Rom. 1. 25.*

** *Omnes Dei gentium dæmonia. Pl. 95. 5.*

LXXIX.
Magia.

Magia generatim quidem nihil est aliud, quam ratio operandi mirā & insolita: idque si per causas naturales duntaxat fiat, *naturalis* magia dicitur, quæ nihil alienum a jure naturæ continet. At vero magia *superstitiosa*, de qua hic agitur, est illa superstitionis species, qua mali dæmonis ope mira quædam ac stupenda patrantur, quæ naturales hominis vires facultatesque excedunt. Hæc si ad ostentationem; propriumve vel alienum commodum referantur, inusitata illa operatio simpliciter *magia*: si vero ad inferendum alicui sive animi sive corporis damnum *Maleficium* appellatur, aut *Veneficium*. Crimen est natura sua cultui Divino oppositum; quippe quod fieri non potest, nisi invocata, vel expresse vel tacite ope cacodæmonis.

LXXX.
Divinatio

Divinatio est vana, curiosa, & superstitiosa inquisitio rerum sive futurarum sive occultarum, quæ naturaliter ab eo, qui inquirat, sciri nequeunt: eaque similiter jure naturæ est prohibita. quod implorationem diaboli, ut ejus ope earum rerum notitia acquiratur, tacitam vel expressam contineat. Expressam implorationem habent *Præstigia*, dum ficta specie oculis hominum a malo dæmone illuditur; *Necromantia* qua a mortuis occulta vel futura discantur; *Geomantia*, per statuas, aliave corpora terrestria; *Hydromantia*, per insolitas figuras in aquis excitatas; *Aeromantia* & *Pyromantia*, per aereas vel igneas figuras; denique *Aruſpicium*, per introspecta viscera animalium, idolis immolatorum.

Ta-

Tacitam vero continet *Astrologia judiciaria*; *Augurium*, ex garritu avium; *Auspicium*, ex earumdem volatu; *Omen* ex verbis temere casuque prolatis: *Chiromantia*, ex inspectione manus, & lineamentorum ejus; *Sortes* denique *divinatoria*, & non nunquam etiam *consultoria*.

Vana observantia est superstitionis illa species, qua per media vana ac inutilia, seu quæ nullam ad expetiturum effectum vim aptam continent, aliquod corporis aut animi bonum expectatur. Repugnat juri naturæ; quia rei creatæ tribuitur honor divinus, dum effectus, qui naturaliter obtineri non potest, explicite vel implicite a malo dæmone expectatur. Alia dicitur *Ars notoria*, qua citra laborem ac studium, adhibitis mediis minime accommodatis, scientia veluti infundenda certissime expectatur. Alia *Observantia sanitatum*, cum ad sanitatem conservandam, recuperandam, aut alteri conferendam, vel ad læsionis immunitatem consequendam, media adhibentur, quæ naturaliter isthuc professe nequeunt. Alia observatio *futurorum eventuum*, cum quis prosperi aliquid vel adversi, ex occurso vel alio fortuito eventu prælagiens, juxta eam expectationem actionum suarum seriem moderatur: ut si domo egressus, ob occursum felis aut canis pedem referat.

Atque hujusmodi quidem sunt actiones, quibus honor divinus ad res creatas transfertur: sunt vero & aliæ, quæ nihilominus debitum Deo honorem detrahunt, etsi non transferant ad rem creatam. Cujusmodi &c.

modi sunt *Tentatio Dei*, cum quis aliquid agit, tentaturus, an DEUS sit potens, omniscius &c. Quo pertinent purgationes illæ, sive probationes vulgares; aquæ frigidæ, ferrique candentis, multis olim locis perperam usitatæ. *Furamentum*, si desit necessitas vel iudicii, vel alterius gravis causæ; si desit res iusta, licita, honesta; si desit veritas saltem animo apprehensa: nam si nihil desit harum conditionum, est iuramentum potius actus religionis, tamquam appellatio religiosa summæ veritatis. *Sacrilegium*, id est, quælibet rei sacræ, aut divino cultui peculiariter consecratæ violatio, sive indigna tractatio. *Blasphemia*, quasi ἀπό τῆς ἐλάπτει τὴν φήμην dicta, quæ, prout officiis practicis adversatur, significat vocem & actionem quamlibet, in contemptum Dei factum, tametsi id fiat nullam ei imperfectionem attribuendo. Denique omnis Dei *Contemptus*, aut rei creatæ, ex cuius despectione aliquid in Deum redundet.

LXXXIII.
*Redende
sunt Deo
gratia.*

Debetur postea jure naturæ Deo *Gratitudo*. Cum enim naturaliter intelligamus, nos nostraque omnia ab illo velut autore bonorum omnium venire, ab illo nos & conditos esse, & in momenta temporis conservari, regi que sapientissime ad naturæ finem ultimum; inde scilicet non possumus non sentire ei nos totos esse devinctos, ut, quam nobis impendit Sapientiam, Potentiam, ac Bonitatem, non modo agnoscamus, & recolamus fidei memoria, verum & gratæ

VO-

voluntatis studio prosequamur, donisque, quæ ejus beneficio accepimus, recte utamur; his enim partibus absolvitur gratitudo, quam etiam homines hominibus rependimus. Necessario igitur Deus gratitudinem a nobis requirit, quos tantis sibi beneficiis obstrictos habet; exigentibus id suis perfectionibus, quas in benefaciendo manifestavit, ut ad easdem commendandas grati animi significatione nitamur. Quapropter etiam intimum quemdam gratitudinis sensum nobis indidit, quem vel maxime efferatæ gentes cum humanitate exuere non potuere, quin adeo falsos Deos, quos in se beneficos sensissent, grati animi causa venerarentur. * Ingratitudo proinde adversus Deum præcepto juris naturæ negativo est prohibita: qualis est abusus beneficiorum contra finem ultimum; aut si quis agnoscens, vitam & cetera a Deo se habere, cogitaret nullam se propterea debere illi gratiam; aut exprobari largienti.

Magnitudo boni illius, cujus causa conditi sumus, ad se expetendum desideria nostra provocat. Cumque DEUM & omnipotentem esse intelligamus, ut possit ejus compotes nos facere, & tam bonum, ut etiam velit; naturali jure nos obligari conficitur, ut illud cum fiducia a Deo expecte-

* Sic Ægyptii, teste Vossio Theol. Gent. adorant Ibin avem, & felem; quod illa serpentes ex inundatione Nili relictos, hæc mures devoraret.

pectemus. Requirit ergo ejus potentia, requirit bonitas, ut spem omnem adipiscendæ perpetuæ beatitudinis in eo reponamus: unde, qui desperant, gravissima DEUM afficiunt injuria; cum animum ab illo ita avertant, ut si eos ad finem suum perducere aut non posset, aut nollet. Quia vero, ut ea felicitate potiamur, ad eam per actiones liberas finique consentaneas nos tendere oportet; nec tamen sic tendere sine præsentē Dei ope possumus, quippe a quo toti pendemus etiam in agendo: qui eam aut suis tantum confisus viribus; aut nullo conatu obtinendam speraret, nã is temerarius in Deum ac impius fuerit! Creatæ etiam bona, sicut nobis expetenda sunt, quatenus ad maximi boni affectionem requiruntur; ita & cum fiducia a Deo, veluti fonte honorum omnium, sunt expectanda; neque citra ejus injuriam fieri potest, ut eo neglecto, spem boni alicujus in nobismet ipsis, vel alio homine unice collocemus.

LXXXV. Quod si spes nostræ in Deo sitæ esse debent, consequens est, ut, quæ ab illo nobis expectanda sunt bona, ea supplices ab illo deprecari teneamur. Enim vero nobis relictæ, nihil eorum consequi valeamus, quo studia nostra tendere debent: omnia in potentia ac bonitate Dei, sunt reposita: necessario ergo jure Deus exigit, ut potens ejus auxilium imploremus. Precandæ autem imprimis est semper duratura post mortalem hanc vitam felicitas; ad quam ut naturali appetentia ferimur, sic naturali jure tendere obligamur. Precandæ

da deinde media, quæ necessaria sint ad ejus boni consecutionem: aliena vero ab ultimo fine deprecari, id nihil aliud foret, quam Deum injustitiæ autorem facere. Postcenda sunt denique auxilia, quibus instructi pericula felicitati nostræ inimica repellere, aut iis opportune occurrere valeamus. *

Tam eximiam Dei erga se voluntatem qui considerat, non potest eum non amore tuo dignissimum putare. Immo, vel submotis omnibus beneficiis, nihil est, quod in eo ad amandum ultra desideret: summa ejus in omni genere perfectio infinita quadam ratione in se complectitur, quidquid ad conciliandum sibi mentis creatæ amorem valeat. Quocirca jure naturali ad Deum amandum adstringimur, tum quia bonus nobis, tum quia in semetipso optimus;

LXXXVI.
Idemque
amandus.

* Id quod vel Ethnici Philosophi intellexerunt, non utique ex revelatione, sed lumine naturali. Sic Plato lib. 9. de Lege eum, quem sacrilegiis tentatio subierat, admonens, ait: *Cum talis oboritur in animo cogitatio, confuge ad expiationes, obsecro; confuge ad liberatorum Deorum sacrificia supplicis.* Sic Seleucus apud Stobæum Serm. 44. *Si quis a malo genio assistente sibi ad injustitiam instigetur, is ad templa, aras & delubra vertatur -- & Deos oret, ut opem ad propellendam ipsam sibi ferant.* Similia fere habet Arrianus lib. 4. Epictetus &c.

mus; & committere per suam bonitatem ne Deus quidem ipse potest, quin a nobis diligi velit. Cumque diligere nihil aliud sit, quam bonum velle amato; consequens est, ut Deo velimus bonum suum, id est, perfectionem suam, gloriam suam, estimationem nominis sui, in se ipso, in nobis, in omnibus. Quemadmodam autem res creatæ pro perfectionis suæ ratione sunt amabiles; ita, cum Deus sit fons inexhaustus honorum omnium, qui in se omnes rerum omnium perfectiones infinito modo possidet; dubitare non possumus, eum *super omnia* diligendum esse: ita, ut bonum nullum creatum cum eo in comparisonem adducamus, nedum præferamus ei rem aliquam creatam, quantumvis amabilem. Denique amandus est Deus *ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus,* (a) Cum enim toti quanti sumus, Deo timus obnoxii, eumque amore infinito dignum sciamus; exigit plane infinita ejus perfectio, ut quem diligere non possumus, quantum dignus est, diligamus certe, quoad valemus. *

Jam

(a) Math. 22. 37. & Luc. 10. 27.

* Quod Augustinus lib. 1. Doctr. Christ. c. 22. ita exponit. *Hæc regula dilectionis constituta est - - ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, omnem intellectum in eum conferas, a quo habes ea ipsa, quæ confers. Cum autem ait: toto corde, tota anima, tota mente, nullam vitæ nostræ partem relinquit, quæ*

va-

Jam vero amor otiosus non est: operatur, si amor est; si non operatur, amor non est. Qui ergo Deum amare, amorem etiam hunc operibus probare lege naturali jubemur. Probatur autem amor operibus ad voluntatem ejus, qui amatur, compositis; neque aliud certius est amoris indicium, quam facere voluntatem amati: * quare, quidquid voluntas Dei præcipit, id nobis faciendum; quidquid prohibet, id fugiendum est. Atque hinc patet, in præcepto amoris Dei omnia, quæ Deo debemus, officia contineri: omnia ex illo velut e principio suo proximo fluere; atque ad illum tamquam ad caput redire. Cum vero voluntas Dei sit voluntas supremæ potestatis, cui natura nostra subjicimur; actiones autem ad voluntatem potestatis superioris componere sit officium illud, quod obedientiam appellamus; liquet, jure naturali nos urgeri ad voluntati Divinæ obtemperandum. Voluntas porro Dei aut necessaria est aut libera: hæc positivam, illa naturalem legem constituit: cum igitur

vacare debebat, & quasi locum dare, ut alia re vendit frui: sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit,

- * Diserte Christus Joan. 14. 21. ὁ ἔχων inquit, τὰς ἐντολάς μὲν, καὶ τηρῶν αὐτάς, ἐκεῖνός ἐστιν ὁ ἀγαπῶν με. Qui habet mandata mea & servat ea, ille est, qui diligit me.

tur semel certum fit, voluntati Divinæ ex jure naturæ obtemperandum esse; sequitur, ut non modo legi Divinæ naturali, verum & positivæ, vi ejusdem juris naturalis obsequi teneamur.

LXXX-
VIII.
Est Timor
filialis.

Obedientiam comitatur timor, vel is, qui servo, vel qui filio est proprius. Immen- sitas Dei ubique nobis præsentis; scientia, dicta, facta, & cogitata omnia intime perspicientis*; ejusdem ad ulciscendum justitia; quid nisi timorem a nobis postulant, quo a violatione ejus mandatorum cohibeamur? Verum servilis timor est; qui metu solius pœnæ ad facienda imperata impellit; timor filialis cum amore conjungitur, & offensam magis, quam pœnam metuit: cum igitur & amorem bonitas, & timorem Justitia Dei a nobis requirat; verendus est nobis Deus non tam servorum more, quam filiorum.

Ut

- * No Gentiles quidem Philosophos ratio naturalis id celavit. Thales Milesius rogatus, εἰ ἄγνοι θεὸν ἀνθρώπος ἀδικῶν, num lateret Deum homo injuste agens? reposuit: Ἄλλ' ἔδὲ διακρίμενος, immo ne cogitans quidem. Clem. Alex. Strom. 5. Et Epictetus apud Arrian. I. 14. ὅταν κλεισθῆτε τὰς θύρας, καὶ σκεπτός ἐνδὸν ποιήσῃτε, μέμνηθε μηδέποτε λέγειν, ὅτι μόνοι ἐστέ, κ' ἢ ἐστέ, ἀλλ' ὁ θεὸς ἐνδὸν ἐστί. *Clausis januis, cum in tenebris fueritis, nolite dicere vos solos esse: non estis, sed Deus intus est.*

Ut ad facienda imperata, sic post *LXXXIX.*
missam culpam ad poenitudinem idem ti *Reconcilia-*
mor extimulat: estque juris naturalis præ *tio p st cul-*
ceptum, ut, quem læsi Numinis con- *pam.*
scientia reum agit, propitium sibi illud
reddere expiatione satagat. Naturali enim
lege ad finem ultimum contendere jube-
mur, neque hac lege ullum sua culpa ab-
solvit: in viam ergo redeat oportet, qui
ab ea semel deflexit, ut recto deinceps
curfu contendat; id vero sine detestatio-
ne criminis, sine poenitentia & veniæ de-
precatione haud fieri, ipsa contentionis ad
ultimum finem ratio satis ostendit.

Hæc fere sunt officia Deo Jure natura- *XC.*
li debita, atque, ut superius diximus, non *Cujusmodi*
modo actionibus internis, quæ quidem *esse oportet*
nervus & veluti anima sunt cultus Divi- *at cultum*
ni, verum & exterioribus exhibenda. Sed *externum.*
quod ad exteriora signa attinet, jus natu-
ræ non ritum, non rationem ullam cer-
tam definit; neque enim vel ad veram fe-
licitatem hominis, vel ad commendandas
Divinas perfectiones necessarium est, ut
interiorem amorem, fiduciam &c. his po-
tius, quam aliis indiciis contestemur: ar-
bitraria ergo illa sunt, & qualibet ratione
suscipienda, modo ne repugnent legi na-
turæ, certas aliquas actiones externas pro-
hibenti. Quia tamen ea, quæ jus naturæ
præterit, legibus positivis definienda reli-
cta sunt; ubi Divina, aut humana pote-
stas legitima, certos aliquos ritus cultus
Divini constituit, restrictum est arbitrium
illud naturæ, & obligatio naturalis exori-
tur præscripta ratione cultum exteriorem

K

ex-

exhibendi. Ceterum actiones externæ, quæ cultum Deo exhibemus, ita comparatæ sint, ut ex interiore cultu proficiantur: nudus cultus exterior, ubi interea alienus a Deo est animus, non pietas, verum simulatio est pietatis; neque id foret Deum colere, sed ei imponere velle, tanquam si illi non sint aperti omnes humanæ mentis recessus; quod sine piaculo committi non posse facile intelligit, cui notum est, docente ipsa ratione naturali, omnia nuda & aperta esse in conspectu Dei.

CAPUT VI.

De Officiis Hominis erga se ipsum.

XCI.
*Officia erga
eniet sunt
Juris na-
tura.*

Officia Hominis erga se ipsum dicimus actiones, quas ex præscripto juris naturalis quisque sibi ipsi debet. Unde ea jure naturali comprehendendi manifestum est: * cum sint ejusmodi, quæ ab Autore naturæ & sapientissimo Governatore necessario præcipi, &, quæ illis sunt contraria, necessario prohiberi exigunt. Et quamvis secundum rigorem loquendi dicere non possumus, hominem aliquid sibi ipsi ex
justi-

* Contra, ac voluerit Fleischerus cum suo male correcto Thomasio, dum Instit. J. N. & G. 1. 2. c. 2. §. 4. *Officia Hominis erga se, ait, ad Jus naturæ striete dictum plane non spectant, sed tantum locum inveniunt in regulis honesti.*

justitia debere, propterea quod jus & justitia sit ad alterum; ideoque officia erga se ipsum homo Deo potius quam sibi ipsi debet: tamen, quia obligatio eorum officiorum ex voluntate Dei necessaria, id est, ex jure naturæ homini incumbit; & homo factam fictione juris, ut ajunt, sit alter a semet ipso, veluti custos ac depositarius bonorum a Deo sibi concessorum; vere ac proprie, licet sensu mirus rigido, ex justitia homo sibi ipsi debet ea officia, ad quæ jure naturali tenetur. Certe, qui se ipsum lædit, aut negligit præcepta erga sese officia, quamquam non tam sibi, quam Deo sit injurius; est tamen & sibi, cum ita removeat a se felicitatem, & poenam sibi accersat.

Genera autem officiorum hominis erga se ipsum tam sunt varia, quam variæ sunt partes, quibus ille componitur, & quam variæ facultates, quibus partes hominis singulæ sunt instructæ. Quare, cum homo animo constet & corpore, suasque facultates corpus, suas & animus habeat; deesse homini Divina Autoris naturæ providentia non potuit, quin sapientissimis legibus ejus actiones, circa hæc omnia versantes, moderaretur: alioquin parum provide Deus hominem ad finem suum dirigeret. Sunt ergo officia, quæ homo erga suum animum, ejusque facultates, intellectum scilicet ac voluntatem; sunt, quæ etiam erga corpus, & sentientes ejus facultates debent. Præterea vero, cum alia sint, quæ exterius quidem adjacent, sed proxime tamen attingunt hominem, uti

XCII.
Pertinent ad animum, corpus, & statum externum.

sunt fortunæ & fama ; atque etiam circa hæc actiones humanæ versentur ; oportuit etiam de istis certa a Deo officia homini definiri. Itaque hominis officia erga semet, alia ad corpus, alia ad animum, alia ad statum externum pertinent.

XCIII.

Horum principium proximum est felicitas hominis

Ne quid vero temere de hujusmodi officiiis decernamus ; præ oculis habenda sunt, quæ semel constitutumus principia cognoscendi juris naturæ. Proximum est vera hominis felicitas : ut adeo, quæcunque hominis erga se ipsum officia ad veram ejusdem felicitatem sunt necessaria, ea jure naturali præcepta ; quæcunque vero cum ea pugnant, prohibita esse censeantur. Perinet autem ad hoc principium etiam iustus amor sui ipsius : nam velle accedere ad felicitatem suam, certe nihil aliud est, quam se ipsum amare : igitur ex iusto sui ipsius amore perinde, atque ex vera felicitate, per certam consequentiam officia hominis erga se ipsum inferuntur. Verum, quia nec iustus sui amor a spurio, nec felicitas vera a falsa discerni queunt, nisi principio certiore nitantur ; idcirco & hic recurrendum denique est ad perfectiones Divinas, quæ exigunt actiones aliquas humanas erga se ipsum necessario præcipi, alias prohiberi.

XCIV.

Ultimum vero, supremum Dei Dominium.

Quantum ad officia Hominis erga se ipsum debita, principium ultimum est supremum nullisque circumscriptum limitibus Dei in hominem, ejusque partes ac facultates, & res exterius ad eum attinentes Dominium, ac interminata potestas. Abiactum hoc Dei in nos Dominium, nemo

nemo est, quin ratione naturali agnoscere possit: ipsa Entis supremi ac perfectissimi natura, ipsa Creatoris, Conservatoris, & Gubernatoris conditio, id satis evincunt: ex quo consequitur, hominem necessario esse Deo subjectum, neque obtinere plenum sui rerumque ad se attinentium Dominium, sed duntaxat veluti usum fructum; &, licet arbitrii libertate polleat, non ideo eum ab hac servitute absolvi; sed alligari perfectius; cum dona Dei, quo excellentiora sunt ac perfectionibus Divinis similia, eo fortius hominem ligent, Deoque subjiciant. Hoc jacto fundamenta, evidente consecutione inferitur, quidquid in usu & administratione honorum animi & corporis, famæ ac fortunæ, supremo Dominio Dei derogat, id jure naturali vetitum; quidquid autem officii citra læsionem Domini Divini negligi non potest, præceptum esse; exigit enim ipsa Dei perfectio, ut ne licitum faciat negligi quidquam eorum, quæ fieri ad commendandum supremum ejus Dominium, nostramque erga illum contestandam servitutem necessario pertinent: aut aliquid committi, quo Domini ejus jura violentu.*

K 3

Hinc

* Nil movet nos Puffendorffius: qui hominis officia erga seipsum ex celebri illa socialitate derivare nititur: offendimus jam superius n. 28. remota licet omni societate, hominem tamen legibus naturalibus ad officia erga se ipsum ligari. Recte igitur hac par-

XCV.
*Præcipitur
 conservatio
 & rectus
 usus bono-
 rum.*

Hinc ad duo fere capita hominis erga se ipsum officia reducuntur: ad conservacionem videlicet bonorum a Deo sibi concessorum, & rectum eorundem usum. Etenim, cum eorum supremum Dominium penes Deum sit, hominisque curæ ac fidei ea Deus crediderit; nefas fuerit homini ea perditum ire, aut ab interitu non prohibere; quin iustissimum potius, ut ea magna cura ac fide conservet. Dein, cum eorum bonorum non custodiam modo nobis Deus mandaverit, sed concesserit etiam usum; nec potuerit tamen ad ejusmodi usum potestatem nobis facere, qui nos vera felicitate privaret: hinc, quatenus eorum usus ad veram consequendam felicitatem est necessarius, jure naturæ præceptus; omnis vero ab ea hominem excludens, eodem jure vetitus, supremoque Dominio Dei injuriosus intelligitur. Quod si etiam officia erga se ipsum e principio proximo repetantur; nemini dubium esse poterit, quin repugnet
 amanti

parte Fleischerus Instit. J. N. & G. l. 2. c. 2. §. 2.
Non sine maximis ambagibus officia hominis erga se cum Puffendorffio aliisque ex socialitate deduci videntur; cum horum omissione non modo neminem lædamus, sed etiam, sine omni respectu ad Socialitatem habito, ad ea observanda sumus obligati. Sed nec Fleischerò assentiri possumus, cum officia hominis erga se ex-urbat ex jure naturæ, & pro eorum principio honestatem constituit: non enim honestatis tantum, sed juris naturalis etiam proprie dicti hæc officia esse, patet ex n. 91.

amori naturaliter sibi debito, destruere ea, aut perperam iis uti, sine quibus felix esse non pollit: adeoque eorum conservationem, rectumque usum, ad justum sui amorem pertinere.

Verum ea bona non parem omnia bonitatis gradum habent: præstant aliis alia, prout Divinam perfectionem vario modo participant: igitur quæ nobiliora sunt, potiore sibi curam vendicant. Nec dubitari potest, eam supremi etiam Domini esse voluntatem, ut, quo præstantiora ab illo dona accepimus, eo majore fide ea servemus: siquidem & injuria hoc gravior Domino infertur, quo excellentius id fuerit, quod violatur. Unde, quia bona interiora præstant externis, animus corpore, fama fortunis; officia etiam hominis erga se ipsum hoc ordine se consequantur, oportet; ita, ut princeps cura debeat animo, tum corpori, * postea famæ, denique fortunis: &, si quando contingat, ut necesse sit (si ita dicere fas est) officio nostro altera ex parte deesse, inferiora potius, quam nobiliora negligamus. Quem quidem officiorum ordinem & amor sui recte ordinatus præscribit; cujus ea est natura, ut majus bonum præ minore expetamus,

K 4

XCVL
Quis ordo officiorum erga se.

* Quoniam omnis nostra vis in animo & corpore sita est, alterum nobis commune cum Diis; alterum cum belluis commune est; aniqui imperio, corporis servitio magis uti debemus. *Salust. Catil. cap. I.*

&, ubi utrumque obtineri non potest, minore, quam majore bono libentius careamus.

XCVII. *Quis ordo officiorum, erga Deum, se, ac alios?* Ordinem, quem officia hominis erga se ipsum inter sese habent, eundem & inter officia, quæ homo Deo, sibi ipsi, & aliis debet, tenendum esse, ex iisdem principiis conficitur. Nempe, cum omnia bona creata Deo sint longe inferiora; officia Deo debita utique præferenda sunt iis, quæ nobis, quæque aliis debemus. Deinde, etsi bona unius comparata cum bonis alterius, nihilo illis præstantiora esse reperiantur: tamen quæ Deus unicuique peculiari esse voluit, eorum etiam peculiarem curam ipsi mandasse, extra dubitationem est: quare officio sibi ipsi debita, antecellunt iis, quæ alteri debentur. Puta, quæ debentur alteri privato; nam officiis patriæ aut societati debitis cedunt officia debita sibi ipsi: cum, sicut membrum unum minoris est, quam totum corpus; ita felicitas communis potior sit felicitate cujusque propria. His ita in genere constitutis, ad exponenda particulatim officia hominis erga se ipsum progredimur, quo dilucidius fiat, quid circa hæc jure naturæ homini præceptum, prohibitumve sit, aut permissum: quamquam ingenue fateamur, majoris esse rem operis, quam ut in iis recensendis nihil a nobis neglectum præstare possimus.

XCVIII.

Excolendus est primum intellectus

Rem ordiri placet ab officiis, quæ animum spectant, partem hominis meliorem, Is duabus commendatur facultatibus, intel-

telleſtu ac voluntate: ſua utrique de-
 tur cultura, utraque emendanda eſt ac p̄-
 ſicienda. Intellectus denſa circumfuſus ca-
 ligine non ſemper diſcernit recta a pravis,
 vera a falſis, malorum bonorumque ſape
 imponit illi ſpecies: igitur medicina illi
 ferenda eſt, & cura adhibenda, ut purge-
 tur ab erroribus, liberetur ab ignorantia,
 & cognitione rerum, quæ ad officium ho-
 minis pertinent, imbuatur. Imbuendus au-
 tem eſt cognitione rerum cum Theoretica
 tum Practica. Theoretica eſt, quæ verum a
 falſo, diſcernit: hinc paranda eſt agnitio Dei,
 recteque de illo ſentiendum: paranda item
 notitia eorum, quæ divinitus revelata ſunt,
 & ſteſtendus intellectus, ut ea toto aſſenſu
 complectatur: ipſæ adeo humanæ ac natu-
 rales ſcientiæ, quæ tum in ſe ipſo, tum in
 aliis rebus pernoſcendis verſantur, quatenus
 ad veram felicitatem neceſſariæ ſunt, ex
 juris naturalis præſcripto ſunt comparan-
 dæ. Practica cognitio eſt, quæ bonum
 diſtinguit a malo, eaque ſententias dog-
 maticas, & paræneticas comprehendit: il-
 læ depellunt ignorantiam, ut ſciat homo,
 quid agere debeat: hæ cunſtantem aut re-
 nitentem impellunt quaſi trahuntque, ut
 velit. Quare probe excolendus eſt intel-
 lectus iis præceptionibus, queis officia ho-
 minis erga Deum, ſe ipſum, & alios con-
 tinentur, tum ea, quæ omnibus homini-
 bus ſunt communia, tum etiam propriæ
 ſuæ cujuſque conditioni ac ſtatui: cumque
 refractariæ voluntati parum ſit noſſe præ-
 cepta, quin ſape deteriora ſequatur, utut
 meliora intellectus videat: inſtruendus eſt

hic paræneticis etiam sententiis, quas in promptu semper habeat, & velut quosdam stimulos admoveat voluntati.* Omnia hæc ex dictis principis fluunt: sine cultura ejusmodi male consultum foret vitæ humanæ ad normam justî componendæ. a qua pendet felicitas; negligeretur amor naturaliter sibi debitus; & DEUS, eam non præcipiendo, parum provide hominem ad finem suum dirigeret; præsertim cum supremum ejus Dominium exigat, ut, quam nobis concessit intelligendi facultatem, ea ad propositum naturæ finem utamur.

Non

* Sapienter id jam dudum monuerunt Stoici Antonius l. 3. de dogmatibus: *ὡςπερ*, inquit, *ἢ ἰατροὶ αἰεὶ τὰ ὄργανα καὶ σιδήρια πρόχειρα ἔχουσι πρὸς τὰ ἀίφνδια τῶν θεραπευμάτων, ἢ τὸ δόγματα σὺ στοιμα ἔχει πρὸς τὸ τὰ θεῖα καὶ ἀνθρώπινα εἰδέναι. Quemadmodum medici ad subita mala curanda, in promptu sua instrumenta habent atque ferramenta: sic tu præcepta instructa habe, parata ad res divinas humanasque cognoscendas. De parænesibus vero, quas Dacierius gallice *maximes* vocat, idem Ant. l. 4. *Ἐπαγέα δὲ αἰετ ἔσω καὶ συχειώδη, ἃ εὐθὺς ἀπαντιστάντα ἀπέσει. Breves autem sint, & elementorum vicem obtinentes, quæ statim occurrentes sufficiant.**

Non immerito ergo existimamus, juri **XCIX.**
 naturæ advertari eos, qui turpi otio ac ces- *Cuius ne-*
 satione intellectum obsolescere patiuntur, *glestus &*
 aut qui negligunt illum excolere earum re- *abusus est*
 rum scientia, quas perspectas habere sive *vetitus.*
 communis omnium hominum, sive peculia-
 ris cujusque officii ratio ac status postulat.
 Nec minus eos quoque tibi Deoque inju-
 rios esse, qui, cum otiosi minime sint, inu-
 tilibus tamen, aut ab officio suo alienis re-
 bus condiscendis ætatem conterunt, negle-
 ctis interea iis, quas scire pluris interfit,
 & ad bene beateque vivendum magis ne-
 cessarium.* Multo vero etiam gravius de-
 linquere, qui mentem imbuunt opinionibus
 & dogmatis pravis, a vero & honesto abhor-
 rentibus, sibi ac reipublicæ perniciosis, quas
 vel ex tuopte ingenio cupiditatibus deprava-
 to depromserint, vel hauserint a pestilen-
 tibus magistris scriptisve libris. Denique
 & ii injustitiæ arguendi sunt, qui ebrieta-
 te aut ingluvie, voluptatibus aut quolibet
 immoderato usu, ingenii aciem ita obtundunt,
 ut minus idonei ad discernendum
 verum

* Recte Tullius offic. i. In hoc genere & naturali
 & honesto duo vitia vitanda sunt. Unum, ne
 incognita pro cognitis habeamus, hisque temere
 assentiamur. Quod vitium effugere qui volet
 (omnes autem velle debent) adhibebit ad confi-
 derandas res & tempus, & diligentiam. Alte-
 rum est vitium, quod quidam nimis magnum
 studium, multamque operam in res obscuras
 atque difficiles conferunt, easdemque non ne-
 cessarias.

verum a falso, bonum a malo reddantur. Certiora hæc sunt, quam ut probatione indigeant: repugnant enim amorī naturaliter debito, repugnant felicitati humanæ, repugnant supremo Dei Dominio, quod conservationem & rectum facultatum usum a nobis requirit.

C.
*Excolenda
dein voluntas.*

Proximam ab intellectu curam deposcit sibi voluntas, eo quidem majorem, quo magis ad bene vivendum interest, ut recte agas, quam ut multa noveris; unde pervertunt juris naturalis ordinem, qui cum toti sint in expoliendo intellectu, voluntatis culturam fere in postremis habent. Duabus autem partibus cultura voluntatis absolvitur: ut malum averfari. & consecrari bonum assuescat; in quo summa est felicitatis vitæ humanæ, ac tota voluntatis perfectio. Isthuc porro duplici item voluntas eget præsidio: cognitionis altero, altero propriæ actionis. Nam, cum averfari aut prosequi non possit, nisi quæ boni aut mali speciem præ se ferunt, multa vero speciem ejusmodi sæpenumero mentiantur; fidei intellectus ministerio opus est, qui diligenter verum a falso bono secernat: dein, cum appetitiones sensuum voluntatem abstrahant ab eo, quod recta ratio suggesterit; præsto hic iterum sit oportet intellectus, qui idoneis argumentis dormitantem excitet, & reluctantem perurgeat voluntatem. Frustra autem fuerit intellectus, nisi voluntas ipsa operi manum admoveat: in eo igitur præcipuum sit voluntatis studium, ut appetitiones in potestate habeat, eas ex honesta-

statis legibus moderetur, ac veluti frigus quoddam earundem procuret; subjectis vero ita rationi affectibus, exercebit se in actionibus virtutum ad veram felicitatem necessariis, iis cumprimis, quas maxime in se desiderari perspexerit, quasque tum communis omnium, tum peculiaris sibi officii ratio præscribit: quo usu ac exercitatione fiet, ut virtutes in naturam abeant, & voluntas ita ad finem suam comparata sinceram homini pariat tranquillitatem. Qua vero pace perfrui poterit ille, qui expers virtutum, pravæ appetitionis dominatum sustineat? non illi cum Deo, non secum ipso, non cum aliis bene conveniet: non cum Deo, cujus voluntati obnititur: non secum ipso, scindentibus animum, & intestinam, rationem inter ac voluntatem, seditionem excitantibus pravis affectibus: non cum aliis, quia fieri non potest, quin latens intra præcordia malum foras in actus societati humanæ perniciosos aliquando erumpat. *

Adde,

* Pulchrum est hic monitum illud Statii Theb.
I. 10. v. 626.

- - *Ne Frænos animo permittite calenti:
Da spatium, tenuemque moram, male cuncta
ministrat*

Impetus

Nempe, ut ait Seneca de Ira l. 7. Ratio ipsa, cui fræna traduntur, tandiu potens est, quamdiu diducta est ab affectibus. Si miscuit se illis, & inquinavit, non potest continere, quos submovere potuisset. Commota enim semel & concussa mens non servit, a quo impellitur.

Adde, quod caput est, incultam ac vitiis innutritam voluntatem supremo Dei Domino, qui eam non nisi ad ultimum finem utendam ac exercendam concessit, repugnare. Hæc de animi cultura nunc fatis; plura alibi.

CI. Ad corpus jam quod attinet, cujus præcipua bona reputantur vita, integritas, ac valetudo: cum illud non arbitrii nostri, Divini autem sit Domini, ad nos vero tamquam ad servos duntaxat & custodes pertineat; consequens est, nos jure naturæ teneri, ut vitæ & incolumitati corporis, membrorumque integritati conservandæ studeamus; arceamus vero mortem, morbos, amissionem membrorum, & quæcunque detrimento sunt corpori, sollicitè a nobis removeamus. Et, quia humani corporis ea est conditio, ut, nisi congruis mediis sustentatum, salvum diu ac incolume consistere nequeat; curandum est ex jure naturæ unicuique, ne quid eorum, quæ isthuc sunt necessaria, desideretur. Quare & alimenta reparandis viribus necessaria identidem erunt subministranda, & moderato labore quandoque exercendi artus, rursusque sua quieti ac remissioni tempora concedenda; ut alterna hac vicissitudine & animi tædium levetur, & corpus nec immodico labore atteratur, nec continuato otio emolliatur ac marcescat. Eandemque ob causam danda est opera, ut, si corpus vitari aut ægritudine affici contigerit, adhibitis opportunis medicamentis ejus incolumitati consulatur. Verum
ni

in his omnibus modo ac temperantia opus; alioquin, quæ subsidio esse debebant, danno erunt corpori: ingluvies, & voluptates, non modo animi vigorem hebetant, sed vires etiam corporis manuunt, ut inde morbi, agri- tudines, & alia incommoda oriantur.*

Inter bona externa maximum est famæ *CII.*
pretium; quo nomine venit bona aliorum *Paranda,*
hominum de nobis existimatio. Cum hæc *Et conser-*
rebus bene gestis paretur, eatenus ad eam *vanda fa-*
contendere debemus, quatenus jure naturali *ma.*
obligamur agere laude digna. Unde, qui
sceleribus nomini suo labem asperserunt,
eam castigatiorē viā eluere, & quam vi-
tio suo amittere famam, virtute reparare te-
nentur. Deinde vero & adversus obtrecta-
torum seu malitiam seu errorem tuenda &
conservanda est fama: quamvis enim beata
vita in virtute, non in virtutis opinione
consistat, ideoque & amor naturaliter sibi
debitus illam quidem necessario, non istam
exigat; tamen, quia sua cujusque fama,
non hominis, sed absoluto Dei subest Domi-
nio, eam procul dubio quisque velut rem
Domini, fidei suæ creditam, tueri & con-
servare tēnetur.

Fortunæ alterum in bonis externis lo- *CIII.*
cum obtinent. Obligatio eas justis mediis *Paranda*
quærendi ac conservandi, ex illa servandæ *item Et*
vitæ *conservan-*
da facultas.

- * Valetudo enim sustentatur notitia sui corporis, & observatione, quæ res aut prodesse solebant, aut obesse, & continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi causa, & præternittendis voluptatibus. Cic. Offic. lib. 2. cap. 24.

dæ vitæ & virium corporis obligatione fluit. Cum enim alimenta & alia vitæ humanæ præsidia in apparatus rerum isthuc necessariorum consistant; facile quisque intelligit, satisfieri obligationi illi, quæ homini circa corpus incumbit, neutiquam posse, quin cura impendatur facultatibus exterioribus procurandis, partisque ad usus posteriores servandis. Adhæc peculiaria quædam sunt officia, quæ expleri nequeunt sine facultatum suppetiis; & alia quidem majores, alia minores requirunt: pro varia igitur officiorum ratione eas quisque sibi facultates parabit, quæ necessariæ erunt, ut officio suo rite fungatur. Plerisque autem hominum facultates non forte fortuna; sed multo labore proveniunt: qui hujusmodi sunt conditione, eos certe vel hoc etiam titulo oportet in eo, quod semel susceperunt vitæ genere, gnaviter laborare.

CIV.
*Non licet
 ergo se di-
 recte occi-
 dere,*

De affirmativis præceptis hætenus: nunc de negativis. Et imprimis quidem, cum per n. 101. conservanda sit vita; nefas esto quemquam violentas sibi ipsi manus inferre, mortemque directe consciscere. Repugnat id non modo amori, quo naturaliter homo vitam suam prosequitur; & amori societatis humanæ, cui gravis infertur injuria, spoliando illam suo membro: sed præcipue supremo Dei Dominio, quando nulla ab eo facta potestate, illius servus e medio tollitur. *

Et-

* Argumento hoc usus est Socrates; ita enim apud Platonem in Phædone differit:

CV.

Estque hoc juris naturæ præceptum adeo univertale, ut non cujuscunque boni assequendi aut effugiendi mali causa, non ad faciendum finem ærumnis hujus vitæ, non ad evitandam servitutem aut infamiam, non ad pudicitiam servandam, ad expiandum proprium crimen, ad impedienda deinceps graviora scelera, non fortitudinis aut virtutis cujuscunque amore interficere semet directe liceat. Servitus, egestas, infamia, & aliæ mortalis hujus vitæ miseræ inferiora sunt mala, & ad tempus duratura; mors naturalium malorum est maximum, & humanis viribus irreparabile malum: iniquum ergo est, ad vitandam miseram vitam, miseriolem mortem sibi accersere; cum præsertim ex inferioribus malis argui neutiquam possit, ad ea repellenda concedi a Deo homini potestatem in vitam. Hinc iniqui & crudeles in se ipsos fuere cives Numantini, & Xanthii, Cato Uticensis, Antonius, Cleopatra, qui, ut servitutem evade-

Quamcumque ob causam?

L

rent,

rit: *Id mihi o Cebes, recte dici videtur, Deum quidem curam habere nostri, nos vero homines, unam quandam ex possessionibus esse Deorum. --- Nonne igitur & tu si quod ex mancipiis tuis se ipsum perimeret, cum tu minime significasses velle te, ut e vita excederet, irascereris illi, & si potestatem haberes, poena quadam afficereris? omnino, inquis. Fortasse igitur hoc modo non præter rationem est, non prius decere se ipsum interficere, quam Deus necessitatem aliquam imposuerit:*

rent, sibi ipsis necem intulerunt. Gravius etiam est malum autochiria, quam violatio pudoris; neque est crimen mulieri, si citra consensum per viam corrumpatur, sed crimen est in violante: non ergo committendum est mulieri crimen in se ipsam maximum, ut impediatur minus crimen alienum. Unde reprehendendum factum Lucretiæ, quæ vitam sibi ferro exigere, quam violentas Lenonis manus sustinere maluit. Denique nec ad pœnas de se ipso sumendas quisquam jure se occiderit; cum nemo suus ad puniendum sit iudex: nec avertenda scelera, non fortitudinis aut cujuslibet virtutis studio; non enim aut committenda sunt mala, ut inde bona proveniant; aut mala certa eligenda, ut evitentur incerta. Quare illa Catonis, Bruti, Cleopatræ &c. *Facinora non fortitudinis laudanda, sed pusillanimitatis seu ambitionis vituperanda testimonia sunt.* (a)

CVI. Major difficultas est in eo definiendo, *Neque ex imperio humano:* an reo necem a iudicibus decretam inferre sibi liceat, & magistratus imperio suum ipsius esse carnificem? Id enim nec juri Societatis, quæ membrum ejusmodi per sententiam ipsam resecurit, nec juri naturali Dei, qui magistratibus potestatem in vitam sceleratorum dedit, repugnare videtur; cum perinde sit, sua, an licitoris manu reus occidat. Sed præterquam quod hujusmodi facinus a naturali hominis, & vel ipsis animantibus brutis communi propensione multum abhorreat; tamen de-

mus

(a) Aug. l. 1. de Civ. Dei. c. 22.

mus juri Societatis nihil adversari, pugnet certe cum jure naturali Divino; cum nusquam constet eam a Deo vel magistratibus factam esse potestatem, ut necis, quam decrevissent, reum ipsum ministrum esse juberent; vel reo, ut vitam auferendam per alium ipse sibi adimat. Nec est, cur aliter sentiendum suadeant aut exemplum Socratis, imperatam ab Atheniensibus cicutam exhaurire paratis aut Senecæ, qui accepta a Nerone sententia ipse sibi in Balneo venas rupit; aut denique gentium barbararum, apud quas illud in usu est, ut reis porrigantur gladii, quibus ipsi sibi ventrem conscindant: quæ fere semper cum repugnantia naturæ fieri historiæ meminerunt, nec unquam sine horrore a nobis leguntur. Illi Philosophi fortassis errore capti fortiter se facturos putarunt, si imperatam cædem ipsi in semet perpetrarent; * fortassis non ab simili errore & aliæ gentes aguntur. Sed quæ ab aliis errore gesta sunt, quis jure fieri posse contendat? Quis vero audendum existimet, quod inhumana tyrannorum crudelitas sibi arrogavit?

L 2

Cum

- * Socrates enim loco cit. cum dixisset, non prius decere se ipsum interficere, quam Deus necessitatem aliquam imposuerit; addit: qualem (necessitatem) nobis imposuit in præsentia. Et Seneca epist. 69. Exerce te inquit, ut mortem excipias: & , si ita res suadeat, accerses: interest nihil, an illa ad nos veniat, an nos ad illam.

CVII.
*Nisi Deo
 iubente.*

Cum igitur nullo unquam tempore, nullamque ob causam, sese interimere directe liceat, propterea quod penes Deum sit absoluta vitæ potestas; inde manifeste consequitur, si quando potestatem illam homini Deus faceret, mortemque violentam mandaret, eam sui occisionem licitam ac justam fore; quippe quam homo non suo arbitrio, sed autoritate divina perficeret. Posse id Deum, dubitare non licet: absolutus est vitæ Dominus; pro absoluto ergo suo jure potest præcipere, ut ea per quemcunque auferatur. Verum non temere putandum est, eum tale quid imperare; cum absolutum ejus dominium argumentis evidentibus constet, nisi divinum imperium morali saltem evidentiæ homini manifestetur, nemo citra periculum juris supremi violandi tale in sese facinus attentarit. * Ex tali imperio divinitus inspirato creditur Samson, se cum aliquot millibus Philisthæorum ruina domus oppressisse; eodem spiritu acta in rogam insiliisse D. Appollonia, & plures alii veritatis Christianæ pugiles ruisse in mortem.

CVIII.
Non mutilare se, non sanitatem destruere.

Non molo autem vitam, sed integritatem etiam ac sanitatem corporis nobis custodiendam esse, eodem n. 101. diximus. Quare peccaret contra jus naturæ, qui oculum volens elideret, qui præcideret mem-

* Cum autem Deus jubet, sequi debere sine ullis ambagibus intimat, quis obedientiam in ordine vocat? Aug. l. 1. Civ. Dei c. 26.

membrum, aut sanitatem corporis quomodo libet destructum iret. Equidem iustas ob causas licitam esse mutilationem corporis, licitam sanitatis, atque adeo vitæ incuriam, inferius ostendemus: sed ubi nulla causæ patrocinetur iustitia, manifestum est hæc juri naturæ adversari; quia adversatur amori naturaliter sibi debito, se ipsum lædere; adversatur bono societatis, lædere ejus membrum; adversatur vero maxime supremo Dei domino, cujus rem ac possessionem vitare. Porro cum actiones, quæ sanitati vitium adferunt, vel propriam habent malitiam, vel alioquin sint licitæ: qui actionibus prioris generis, puta vehementi ira, libidine &c. sanitatem destruunt, duplicem in una actione conjungunt injustitiam; qui vero actionibus generis posterioris, ut nimia ciborum varietate, nimium crebro medicinarum usu, immodico labore &c. corpori nocent, nihilominus peccant; quia actiones hujusmodi licitas, quando per immoderatum usum corpori perniciosæ fiunt, jus naturæ prohibet. Præterea non minus accersitur malum corpori, negando ei necessaria, quam noxia concedendo; vitæ ergo & sanitatis incuria, cum eo pervenerit, ut necessaria, quamvis inventu facilia, corpori negentur præsidia, ut si quis parabilem victum, obvia medicamenta &c. negligat, similiter pugnat cum jure naturæ.

Bona etiam externa, famam scilicet *Non projice famam* ac facultates, sicut parari ac tueri per n. *aut facultates.* 102. & 103, jubemur; ita iniquum fuerit,

rit, ea nullam justam ob causam projicere aut neglectui habere. Unde, quantum ad famam, ii quidem cumprimis contra jus naturæ agunt, qui perfricta fronte in quælibet facinora, quamvis ignominiosa, profiliunt, tum vero etiam illi, qui impactas sibi calumnias ignavo premunt silentio; nisi forte altiore id consiliò faciant, ut infra dicemus. Enim vero manifestæ calumniæ suis ipsæ mendaciis se perimunt ac refutant; sed calumniæ speciosæ; seu quæ aliquam veri speciem præse ferunt, silentio confirmantur & crescunt: illas igitur satius est prudenter dissimulare, has re ac verbis refellere jus naturæ præscribit. Præterquam enim quod id supremum jus Dæi existat, existit per sæpe etiam jus aliorum hominum, quorum permagni interest, famam nobis integram constare. Eadem prope ratione adversatur juri naturæ facultatum effusio atque neglectio: & harum enim dominium supremum ad Deum pertinet, & sæpe citra injuriam aliis inferendam negligi non possunt; temere autem & ultra modum erogatæ egestatem, conservationi sui suorumque inimicam, inducunt.

CX. Licet vero hæc ita sint, & vitam, membra, famam, fortunas, absolute considerata abjicere jure naturæ prohibeamur; tamen quando ea bona cum bono aliquo majore in comparisonem veniunt, dubitare non possumus fas esse, ut minus bonum majori posthabeatur. Consentaneum

id

id est amoris naturali, quo minus bonum præ minore expetimus; nec derogat supremo Dei dominio, qui non ita jubet bona inferiora conservare, ut prohibeat iis neglectis sectari excellentiora. Præterea variæ temporum ac rerum circumstantiæ eam quandoque homini imponunt necessitatem, ut optabilior ei sit amissio bonorum naturalium, quam eorundem conservatio: dum id continget, quia præcepta affirmantia de conservatione sui non ad omne tempus obligant, certe non pro casu extremæ, aut gravis necessitatis, licebit in tali rerum conditione bonorum naturalium jacturam facere.

Quamvis igitur directe se occidere, **CXL** nisi jubente Deo, nunquam liceat, ut *Licita est* n. 104 &c. ostendimus; occidere tamen *indirecta* se indirecte, & vitam periculo objice-*sui occisio.* re, gravioris mali effugiendi aut majoris boni consequendi gratia, vel urgente gravi necessitate, jure naturæ nequam vetitum existimamus: præsertim, cum sic non tam accersatur mors positive, ut ajunt, quam alioquin consecutura permittatur, id enim per occisionem sui indirectam notamus, actionem videlicet, aut omissionem aliquam, ex qua præter intentionem agentis, aut omittentis mors alioquin consequitur. Hinc licet religionis tuendæ, profitemdæ, ac amplificandæ studio, periculum necis subire, offerre se tyranno, vitamque

fundere ; * licet vel cum amissione vitæ mortalis æternam duraturam sibi aliisve redimere ; immo & ad mortalem alterius vitam servandam , suam in discrimen objicere pietatis aut charitatis ergo licet : sic potest aliquis in naufragio non modo patri , sed cuique etiam alteri tabulam suam cedere ; potest laborantibus contagio opem ferre ; potest in bello partem innocentem cum certo mortis periculo adjuvare. ** Similiter pericula suscipere , & vitam dare licet pro salute & bono reipublicæ : sic potest miles pectus telis objicere , ut imperatorem servet ; potest stationem tenere , etsi globos in se contorquendos prævideat ; potest cuniculo ignem subjicere , eadem ruina cum hostibus involvendus ; sic possunt & mercatores mari se committere , metallorum

fos-

* Perplexe Puffendorffius l. de offic. Hom. c. 5. §. 9. in naturæ legem esse injurios ait , qui vitam projiciunt *per vanam fidei jactantiam* , Quod si hac phrasi fugillaret *Christianos primitivæ Ecclesiæ* ac etiam *Martyres* , ut notat ejus interpretes Weberus ; & ipse in jus naturale simul ac Divinum foret injurios , & in SS. Christi athletas calumniosus.

** Unde Weberus in Puffend. c. 5. §. 8. male negat , posse unum pro altero se se morti offerre. Melius ex Puffendorffio statuit Kemmerichius c. 5. de off. hom. ad §. 9. mortem pro aliis oppetere jure naturæ non præceptum quidem , sed nec vetitum esse.

fossiles noxias exhalationes in fodinis haurire, Doctores artium & scientiarum studiis ac vigiliis se se atterere; nam, ut recte advertit Puffendorffius, honestius est, brevioris vitæ periculo aliis servire, quam domi desidem canos attingere. Eadem ratione licet vel per ipsa vitæ pericula quærere vitam: sic potest æger admittere periculosam cruris abscissionem, ut reliquum corpus servet; potest aliquis e tecto desilire, alias incendii flammis periturus; potest comprehendendus a piratis dare se præcipitem in mare, spe enatandi: ita licuit Cypriæ virgini navem Turcarum, qua ipsa vehebatur, incendere, cum sperare potuerit tabulam ad evadendum. Denique virtuti cuilibet vitam postponere licet: sic licitum est puellæ, ut mori, quam fœdari malit; licitum poenitentæ, aut carnis subigendæ studio, jejunia, καμεινία, aliasque corporis afflictationes suscipere, etsi hæc periculo accelerandæ mortis non vacent.

Jam si gravis necessitatis aut majoris **CXII.** boni gratia agere ea licet, e quibus præ-Sanitatis, ter intentionem agentis mors consequatur; multo quidem magis iisdem ex cau-^{Et vitæ in-} curia. sis licebit ea negligere, quæ ad sanitatis ac vitæ conservationem pertineant,

Non tenetur ergo reus fuga sibi consulere, aut resistere injicienti sibi manus licitori, non virgo aut verecunda matrona admittere chirurgum; non sanctioris vitæ, quod semel quis suscepit, institutum deserere, vel abhorrentibus ab illo instituto corpo-

ris præfidiis uti ; etsi periculum sit morbi aut mortis maturandæ : majus enim est justitiæ , pudoris , & sanctimonix pretium quam ut eo sanitatem aut vitam emi oporteat. Sic necessitas etiam favet ægroto , ne teneatur pro vita ferrum , ignem , &c. sustinere , vel adhibere medicamina pretiosa & statum suum excedentia : remedia cum tanto corporis cruciatu , aut gravi rei familiaris damno conjuncta , vel fortissimo viro terrorem injicere possunt , & morte ipsa esse acerbiora sæpe etiam incertam spem vitæ faciunt , sæpe cum periculo mortis sunt conjuncta : quis ergo non videat , moralem quamdam esse impotentiam , tam arduis & periculosis remediis , ad vitam & sanitatem conservandam , utendi ?

CXIII.
*Neglectio
fama , &
facultatum.*

Fama , & facultates , quo inferiora sunt bona , quam vita , eo potiore jure necessitati aut majori bono concedunt. Tametsi igitur nunquam liceat vel perpetrare ea , quæ reprehensionem mereantur , vel talia adversus semet comminisci ; prode tamen occulta sua vitia , & permittere , ut ea ab aliis prodantur , salutaris medelæ accipiendæ causa licet : immo & calumniatorum ferre mendacia , eaque modesto silentio premere , virtutis exercendæ suique contemnendi studio , non modo nihil in se se injuriosum , sed laude etiam dignum censendum est ; dum ne fiat cum injuria aliorum , quibus famæ nostræ conservationem debemus ; aut cum majoris alicujus boni jactura. Pari ratione , ut vitam , aut libertatem redemas , ut alienæ sub-

subvenias egestati, ut curas a privatis commodis ad publica; vel a caducis transferas ad æterna, fas atque honestum fuerit, te facultatibus abdicare.

Satis ergo liquet, non esse jure naturæ **CXIV.** vetitum, quando vel rerum ita fert necessitas, vel præstantioris boni adipiscendi *Immo quandoque* facultas offeratur, famam & fortunas, *etiam est* nitatem & vitam negligere. Jam vero *præcepta;* non immerito quærat aliquis, arbitrio ne id hominum relinquatur, an contra jure naturæ etiam sit præceptum? Sæpe præceptum esse; sæpe duntaxat permillum, ipsa legum ac officiorum, quæ in contentionem veniunt, natura ostendet. * Quod ut accuratius doceamus, juvat rem suis distinctam regulis exhibere. I. Quando lex naturæ, prohibens actionem sub omni ratione malam, concurrat cum legè de conservatione sui ipsius; potior habenda est legis illius negantis, quam sui conservandi

- * Utrumque Cicero l. 3. de Fin. generatim ita decernit: *Cum ab his, quæ secundum naturam sunt, omnia proficiantur officia; non sine causa dicitur, ad ea referri omnes nostras cogitationes, in his & excessum e vita, & in vita mansionem. In quo enim plura sunt, quæ secundum naturam sunt, hujus officium est in vita manere; in quo autem sunt plura contraria, aut fore videntur, hujus officium est ex vita excedere. Ex quo apparet, & sapientis aliquando esse officium, excedere e vita, cum beatus sit, & stulti, manere in vita, cum miser sit,*

di ratio. Etenim cum actiones illæ numquam non tendant in Dei injuriam, omnia vero mala naturalia inferiora sint injuria Deo illata; consequens est, nullam esse, aut fingi posse necessitatem, quæ a lege naturæ, tales actiones prohibente, excuset. Idcirco famæ, fortunarum, & ipsius vitæ jactura facienda est potius, quam ut falsi Numinis cultus, blasphemia, mendacium, vel aliud quodvis facinus natura sua perpetuo malum committatur. * II. Leges naturæ, quæ ad officia erga Deum pertinent, nulli cedunt, ne extremæ quidem necessitati; cum sint ejusmodi, ut sine ignorantia Dei nunquam intermitteri valeant. III. In officiis erga nos ipsos, si necessitas ineluctabilis duo conjungat mala physica, ex illis quod minimum est, eligendum; si physicum & morale, illud præ isto erit subeundum. Hinc nulla honorum, nulla vitæ perdendæ necessitas præhabenda necessitati sempiternæ salutis, IV. In officiis erga alios, quando ea colliduntur cum officiis erga se ipsum, si gravius malum alteri, quam tibi immineat, nec aliter reparabile, quam tuo malo minore; hoc tu subire ad majus alterius malum depellendum tenebe-

* Manifestum id vel ipsis erat Ethnicis. Hinc præter alios Juvenalis sat. 8.

-- *Ambiguæ si quando citabere testis*

Incertæque rei, Phalaris licet imperet, ut sis

Falsus, & admoto dicet perjuriam tauro,

Summum crede nefas, animam præferre pudori,

Et propter vitam vivendi perdere causam.

bere, dum ne ille volens hanc tibi necessitatem imposuerit. V. Postponenda est vel ipsa vita bono & saluti reipublicæ, quando ita lex humana imperat. Esse hanc penes Rempublicam aut Principem potestatem, ut actionem aliquam vel cum periculo vitæ, suscipiendam imperet, e. g. expeditionem bellicam cædibus, navigationem naufragiis obnoxiam, patet ex eo, quia secus male consultum foret Reipublicæ ad conservationem sui rectamque gubernationem; &, cum jus naturæ ad defensionem Reipublicæ non singulos, sed omnes indeterminate duntaxat obliget, reliquum est, ut possit Respublica ex omnibus certos aliquos designare, quibus eam obligationem imponat. Posita vero tali obligatione, cum homo privatus Reipublicæ sit magis quam suus, & malum commune gravius sit quam privatum: dubitari non potest, pro salute & bono Reipublicæ vitam ipsam periculis objiciendam esse. **

Regulas porro, quæ ostendant, quando nulla sit obligatio, famam & fortunas, sanitatem & vitam objiciendi, hæc statuimus. I. Quando majus illud bonum, cujus gratia licitum sit periculo sese exponere, nullo jure est præceptum; manifeste-

CXV.
Attamen
baud semper.

** Ex quibus regulis patet, non semper verum esse quod vulgo jactant, necessitatem non habere legem; & falsum illud Claudiani in Eutr. l. 2. v. 596.

- - - Suprema pericula semper
Dant veniam culpæ.

manifestum est, neque id jure naturæ præceptum esse, ut temet periculo exponas bonum aliquod naturale amittendi. II. Leges affirmantes etiam naturales, non obligant in periculo amittendæ vitæ, famæ, fortunarum. Hujusmodi namque leges, cum supponant occasionem, materiam, & facultatem exequendæ actionis præceptæ; non potest imputari homini prætermisso actionis, si ei desit occasio, vel facultas agendi: deesse autem censetur moraliter, si actionem efficere non possit, quin ipse pereat, aut grande malum sibi consciscat; cum amorem & curam sui abjicere fere inter *adversata*, & quæ communem hominum constantiam superant, habeatur. Quod si tamen res ita comparata foret, ut intermissio actionis vergeret in Dei injuriam: dira quæque subeunda essent potius, quam ut præcepta actio intermittatur: tum enim concurreret lex negativa, vi cujus nihil faciendum in Dei contemptum vel ignominiam. III. Multo minus lex humana regulariter loquendo (demto videlicet casu, quo ejus violatio cederet in Dei contumeliam, aut grave damnum Reipublicæ) cum periculo vitæ, famæ, aut fortunarum obligat. Legislatori enim humano vel potestas deest obligandi pro circumstantiis extremæ aut gravis necessitatis obstantis; eo quod non habeat potestatem absolutam in cives, sed circumscriptam ad usum convenientem ex pacto coeuntium in Rempubicam: vel deest ei voluntas, quod duranimis obligatio observantiam legum moraliter

fa-

faceret impossibilem. IV. In officiis erga se ipsum, si gravis necessitas duo mala physica inter se committat, non est obligatio ad majus malum minore depellendum, quando hoc tantum habet difficultatem, ut in æstimatione morali par malo alteri censeatur: tum enim, ut inter duo mala omnino aequalia, non est ratio, cur unum potius, quam alterum repellatur. V. In pari proximi, & tuo periculo, non teneris tuo damno alterius necessitati succurrere, neque enim amoris lex obligat, ut alterum magis, quam nos ipsos amemus; Atque hoc sensu verum est illud axioma: *Proximus egomet sum mihi*, ut & illud Scholasticorum: *Ordinata charitas incipit a se ipsa*. Hinc in pari periculo naufragii, si tuam alteri cedas tabulam, honeste quidem, sed citra obligationem id feceris. * Item si alter sua malitia eam necessitatem fecit, ut aut tibi, aut illi pereundum sit; cum alium, nedum pravum hominem, præ temet amare non teneris; quamvis illi longe gravius etiam malum, quam tibi immineat, merito excusandus eris, si illum quam te ipsum perire malis.

Atque

* In hunc sensum Seneca l. 2. c. 15. de beneficiis: *Dabo egenti, sed ut ipse non egeam; succurram perituro, sed ut ipse non peream.*

CXVI.
*Cura sui
 moderata
 sit oportet.*

Atque ex his, quæ hætenus diximus, perspicuum esse videtur, quando curam suimet abjicere vetitum, quando præceptum, quando vero permissum sit; nunc illud expediendum, quatenus conservationi sui ipsius studere liceat. Quæ in re hoc universè pro certo constituendum est, omnem immodicam corporis, famæ, & fortunarum curam jure naturæ adversari: immodica vero est, quæ repugnat legibus ac officiis, a quibus nulla necessitas secundum regulas paulo ante, traditas excusat. Hinc merito damnandus est nimius cuticulæ amor, nimix in corporis cultu munditiæ, & sanitatis anxia quædam sollicitudo, quibus rebus pulcherrimum temperantiæ nitor extinguitur, ac effoemnantur vires, ut labores atque ærumnas, sæpe ex debito subeundas recusent. Famæ etiam ac honoris cura, ut justa est suos contenta intra limites: ita cum ad tumorem usque mentis creverit, ut partem laudis Deo debitæ tibi vindices, ut alios infra te despicias, & in exultatione tui conquiescas; Deo, aliis, & tibi ipsi erit injuriosa. Vetita demum est nimia facultatum cura, quæ vel in luxum, vel in avaritiam abit: luxus alit superbiam, & generat egestatem; avaritiæ sordēs officia sibi aliisque debita negant; utrumque autem vitium mentem a perpetuis bonis ad caduca avertit. Nulla ergo

ho-

honestæ est ratio res suas curandi, quæ cum injustitia conjungitur. *

Quamobrem contrariam etiam juri naturæ existimamus anthropophagiam, tanquam perniciosam naturæ humanæ: nam, si liceret mortuorum hominum carnibus vesci, quid pronius foret, quam ut stimulante ingluvie allicerentur homines ad cædes mutuas, immo ut animantium brutorum instar in alimentum hominis hominem conditum esse, ideoque licite interfici posse existimarent? Extrema tamen fame urgente, nihil alienum esse videtur, vel humanis carnibus

CXVII.
An licita anthropophagia?

* Auream hanc mediocritatem multis commendarunt Veteres. Apulejus in apol. *Fortunam, velut tunicam, magis concinnam quam longam probo: etenim in omnibus ad vitæ munia, quidquid aptam moderationem supergreditur, oneri potius quam usui exuberat. Igitur & immodicæ divitiæ, velut ingentia gubernacula, facilius mergunt, quam regunt; quod habent irritam copiam, anxiam nimietatem.* Claudianus in Rufin. 1.

*Vivitur exiguo melius: natura beatis
Omnibus esse dedit, si quis cognoverit
uti.*

Juvenalis Sat. 14. - - *Manifesta phrenesis,
Ut locuples moriaris, egenti vivere fato.*

Et Sat. 15. laudat Stoicor. dogma - - *Melius nos
Zenonis præcepta docent: neque enim
omnia, quædam
pro vita facienda monent.*

M

nibus mortem arcere: in tali enim rerum articulo, per hujusmodi cibi genus, non infertur præjudicium naturæ humanæ: sed ejusdem servandæ emolumentum procuratur. * Quod autem id liceat fame extrema, non ideo præceptum etiam esse putandum est: tam difficilia & sensui adeo repugnantia vitæ conservandæ remedia jus naturæ nunquam præscribit; cum ea nihil minus ipsa morte acerbum habeant. Uti vero medicamentis humana carne paratis, etiam extra ultimam necessitatem fas esse, eo manifestius est, quo minus ab illis sensus naturæ abhorret, nec via ad faciendam homicidiorum licentiam aperitur. Occidere tamen hominem, cujus carnibus miseram tibi vitam producas, ne in summa quidem fame licitum esse inde conficitur, quod nunquam alteri inferenda sit injuria, quo nobis consulamus. Sed quid, si omnes pari necessitate pressi, communi consilio rem sorti committant, ut prout quisque forte lectus fuerit, in cibum aliorum cedat? Ne tum quidem affirmare ausim licitam fore cædem: quamvis enim honeste is egerit, qui misericordia in ceteros motus se conditioni huic subjiciat; non ideo tamen ceteris jus nascitur eum perdendi. Neque hic tenet argumentum ductum ab alio casu, ubi pluribus in eandem scapham insipientibus, tam multis

* Consentit Thomafius Jurisprud. Div. 1. 2. c. 2. num. 159. *Tempore famis (Supple extremæ) ex carne humanorum cadaverum nutrimentum capere, miserandus cibus est, non nefarius.*

multis ferendis imparem, licitum esse videtur, ut ad plures servandos pauci forte ducti in altum præcipites agantur: hic enim qualiscunque, aliqua tamen spes enatandi relinquatur; ibi actum est de salute hominis in cibum parandi.

Innumeri seu fingi, sive etiam existere possunt ejusmodi casus; in quibus ambigas, an per alterius interitum se ipsum servare jus naturæ concedat. Apprehendis in naufragio tabulam, pluribus haud suffecturam; sed alijs pariter naufragus eam tibi extorquere nititur? tuto eum repuleris, quamvis mergendum. Natandi imperitus aliquis te peritum in naufragio stringit? si utrique pereundum esset, nihil vetat, quin eum a te abjicias. Imminentem cervicibus hostem fugientes milites in castrum se recipiunt? possunt hi tardiore gressu sequentes socios, dejecto ponte, vel clausis januis, hosti prædam relinquere, secus una cum sociis ab hoste perituri. Omnibus his casibus non est par utrinque ratio: nam qui natandi peritus est, qui prior tabulam apprehendit, qui in castrum se recipiunt; possessionem obtinent, de qua ab alijs, quamvis cum pari periculo luctantibus, citra injuriam deturbari nequeunt; & accedit ferendum esse magis, ut pauci, quam ut omnes pereant. Fac vero innocentem aliquem, ut præsentem mortem evadat, fuga sibi consulere: an poterit alium in via sibi obstantem proterere, quando nulla alia spes salutis superest? si alter consulto iter fugienti intercludat, poterit jure: neque enim obstanti

CXVIII.
An licitum
alterius
cadere vitam
servare?

sua malitia favere, aut obesse fugienti debet; ideoque non hujus, sed illius culpa accidet, si proteratur. At quid, si alter pedibus captus cedere via nequeat? neque hic discedendum a priorē sententia putem: cum enim nemo alterum quam se diligere magis tenetur, & jure possit salutē suā præ aliena consulere; si quis innocenti in necessaria fuga moram quomodolibet injiciat, quis neget illum posse injuriosam adeo sibi remoram submovere? Adde in proposito casu non omnino parem utrobique esse rationem periculi: fugientem proximum a tergo, fatum sequitur; qui viam obsidet, potest favente fortuna, aut fugientis industria, innoxio saltu præteriri.

CXIX.

An contrectare res alienas?

Non minore jure videtur posse, cui extrema fame pereundem esset, nisi sua omnia vendat, aut servituti sese addicat, necquidquam etiam implorata aliorum ope aut judicium æquitate, clanculum aliquid escæ Domino auferre. qui non perinde egeat: cum enim tam caro vitam emere non teneatur, leviorē medio sibi consulit, idque citra Domini injuriam, qui cum ratione invitus esse non potest, quin extremæ alterius necessitati cedat. Illud certum, qui, nullo proxius suppetente fami extremæ remedio, rem alienam contrectat, nullius injuria id agere; sive dein hisce in circumstantiis res censeantur in medio politæ & in prima distributione exceptæ, ut adeo earum Dominium perfectum obtineat, uti vult Grotius; *
five

* De J. P. & P. l. 2. c. 2. §. 6.

sive acquirat duntaxat jus imperfectum, & subjectum oneri restitutionis, si qua lapsu temporis possit fieri: quamquam modicis in rebus restitutionem ex gratitudine tantum, non iustitia debitam Puffendorffius contendat.* Idem dicendum, si quis imminente naufragio alienas merces in altum projiciat: ex duobus enim malis physicis minus eligit; cum non ignoret, aut sibi cum mercibus pereundum, aut mercium ejectarum æstimationem esse præstandam, si quidem earum ventionem suo periculo suscepit; si vero eam suscepit periculo Domini, hujus certe nihil interest, merces cum vectore, an sine illo pereant.

Sed redeundum est ad conservationem sui, cæde alterius procurandam. Cum non debeamus amorem alteri quam nobis majorem; si quis nullo jure nos adgrediatur, ut vitam auferat, quælibet honesta erit ratio expediendæ salutis, ideoque licebit per legem naturæ vim vi repellere, ac intentatam necem in adversarium retorquere. Dat nobis hoc jus in vitam iniqui adgressoris supremus vitæ Dominus, qui cum nobis vitam utendam tuendamque crediderit, fecit etiam potestatem iis mediis utendi, sine quibus illa non staret. Neque id pugnat cum amore naturaliter aliis debito:

CXX.

An occidere iniquum adgressorem vitæ?

M 3

cum

* De Jur. Nat. & Gent. l. 2. c. 6. §. 6. Et l. 1. de Homine c. 5. §. 28. Ubi Weberum habet contrarium, qui ex Grotii mente jus egenti perfectum tribuit.

cum omnes pari ad vim repellendam jure gaudeant. Et parum cautum esset felicitati hominum, si justitia damno, injuria commo-
modo esse deberet. Vel cæcus etiam ille vitæ amor, quem animantibus omnibus natura indidit, & arma, quibus eas ad se defendendas instruxit, quorsum spectant, nisi ad vitam & cum cæde inimici tuendam? *
Nec multum interest, volens an imprudens aliquis jugulum tuum petat: si volens & consulto id agat, suæ tribuendum habet malitiæ, quod malum in autorem suum recidat: sin ignarus aut mentis impos, cur ejus dementia vel error tuum tibi jus vitæ conservandæ eripiat? **

Hæc

* *Generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueantur, declinentque, quæ nocitura videntur.* Cic. de Offic. 1. 1.

** *Mire consentiunt hic jura omnia.* Cic. pro Mil. *Est hæc non scripta, sed nata lex, - - ut si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, in tela, aut latronum, aut inimicorum manus incidisset, omnis honesta ratio esset expediendæ salutis. - - Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos Gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, a corpore a capite & vita sua propularent.* C. Jus Naturale 7. Dist. 1. *Instinctu naturæ habetur violentiæ per vim repulsio.* C. si vero 3. de sent. excomm. *vim vi repellere omnes leges omniaque jura permittunt.* L. ut vim. 3. ff. de J. & J. *Nam jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure secisse existimetur.*

Hæc utut certa sint, suos tamen habent **CXXI.** limites: adhibendum est nempe *moderamen* *Limites inculpatæ tutelæ*, nè quid ultra jus & fas *hujus defensionis.* committatur. Qui ergo sua culpa periculum sibi accersit, ut justam ab altero vim sustineat, non gaudet defensionis jure: nam per eum stetit, ne periculum subiret, & alter laceffitus jure suo utitur. Deinde non est provolandum ad cædem, quando benignior alia suppetit ratio expediendæ salutis: ut si quis de periculo admonitus domi se continere, aut in tutiorem locum recipere potuit, si possit vibratum ictum dextre eludere, si consulere sibi fuga, si intentatis minis, levioere vulnere, aut mutilatione aggressoris impetum cohibere: non enim jus acquiritur homini in vitam alterius, nisi quando ita fert necessitas, ut alterutri pereundum esset; qualis necessitas necdum urget, dum nullo aut levioere aggressoris damno sibi quis consulere potest.*

M 4

Quam-

* Apte Theocrit. Idyll. 23. ὀλίγω τοι ἔοικακῶ. μέγα νείκος ἀνείρεϊν. *Par est, exiguo malo magnam litem tollere.* Errat vero Puffendorffius, dum l. 2. Jur. Nat. & Gent. c. 5. læso tribuit jus in lædentem *in infinitum*, sit ut modicam quamvis injuriam *per extrema quæque* repellere possit. Quæ enim proportio inter levem injuriam, & defensionem violentissimam? Proportio tamen aliqua esse debet, saltem moralis; manente penes lædentem jure, ut ne ob levem injuriam extrema

Quamquam in ancipiti illo articulo non tenetur, qui injuriam accipit, dubiæ aleæ vitam committere, cum non sit deteroris conditionis quam aggressor: arripere leniora remedia tantum tenetur, si certa in iis tuendæ salutis spes appareat. Ubi demum quis omni periculo semel defunctus est, postquam e. g. hostem armis exuit, in fugam egit, aut is facti pœnitens a cœpto desistit; non est jus defensionis ad cædem usque porrigendum: illud enim conceditur duntaxat eo usque, dum propria salus periclitatur. Præterea angustiores sunt limites defendendæ vitæ in statu civitatis, atque in statu naturæ: in civili statu, quia tutela contra iniquam adgressionem impetrari potest apud magistratum, vim e vestigio vi repellere tum modo licebit, quando periculum nullam judicis implorandi moram patitur: contra in statu naturæ non esset magistratus, qui nobis ab injuria caveret; igitur jus se defendendi tam diu obtineret, quam diu in adversario perseveraret animus & facultas nocendi.

Hos

trema quæque in ipsum statui queant) & læsum stringente lege caritatis, ut ne sæviat ultra modum,

Hos intra fines jus naturæ violentam defensionem concedit, quando præfens est periculum. Sed quid, si hostis mortem quidem machinetur, eosque apparatus faciat, qui ad vim ac cædem spectent, nec dum tamen ad manus ventum sit? Licetumne erit, nefaria ejus consilia occupare, an expectandum, dum impetum primum faciat? Non esse experiendum summum periculum, inde conficitur, quod nemo teneatur, eo usque alienæ salutis parcere, ut securitatem suam negligat; & nihilominus tamen non esse profiliendum etiam ad cædes, quando mitiora alia suppetunt salutis præsidia, paullo ante docuimus. Quare dum remotum satis adhuc est periculum, tentandæ sunt quidem aliæ viæ, quibus malum a cervicibus nostris amoliamur: deferri possunt invidiæ ad magistratum, possunt ad defensionem idonei apparatus fieri, minis arceri aut blanditiis conciliari inimicus potest. Sed si hæc frustra sint, ac proinde certum immineat ab hoste exitium, non aliter quam ejus nece avertendum; tum enim vero jus naturæ concedit, ut occupemus assultum, ut adversarius prior se accipere noxam sentiat, quam incipiat inferre. Tota hujus occupationis justitia in eo nititur, quod studere alterius quam nostræ salutis non magis teneamur; ideoque fiat nobis a supremo Domino jus in vitam illius, quo superstite salvis nobis esse non licet. Illud hic advertendum, in privatorum odiis vix unquam futurum, ut omnia alia remedia periculum removendi deficient; * ac

CXXII.

An licitum
antevertere
iniquam ad-
gressiorem?

M 5

proinde

* Plerumque enim, ut ait Grotius lib. 2. J. B. & P.

proinde caute dispiciendum esse, an inextricabilis nobis necessitas imponatur, hostilem adgressionem avertendi: alioquin aperta foret ad iniquissimas cædes licentia, ubi homines ira incensi aut suspiciosi timoribus agitati facile sibi persuasum velent, causæ justitiam sibi favere ad prævertendum.* Difficilior plerumque est ratio, citra vim occurrendi malis reipublicæ ab hoste imminentibus; ideoque sæpius contingere potest, ut respublica licite invadat hostium fines, non modo quando de militum delectu & aliis belli molitionibus constat, verum etiam quando compertum habet, certum ac deliberatum jam esse hostibus arma movere; neque tunc necessario operienda est aut denunciatio belli, aut incursio hostilis: quamquam & in bello tum demum locus occupationi jure naturæ conceditur, cum alia deficiunt media belli declinandi, & aliter, nisi præveniando, damna reipublicæ certo inferenda depelli nequeunt.

De

cap. I. §. 5. *interposita temporis mora ad multa remedia, ad multos etiam casus patet, ut dici solet, inter os & offam.*

* Ita Clearchus apud Xenophontem: *Multos ergo novi, qui calumnia adducti aut suspicione, dum metuunt alios, & prævenire malunt quam peti, atrocissimis malis eos affecerunt, qui nihil tale facturi fuerant, ac ne cogitaverant quidem.*

De Jure tuendæ contra iniquam adgreſſionem vitæ hætenus. Cum vero bona naturalia membra, libertas, pudicitia, non tantumquam vita cuſtodix nostræ ſint credita, & in humana æſtimatione ei æquivalentia, immo perſæpe ipſa vita ſint cariora; conſequens eſt, & hæc bona jure defendi vel cum occiſione iniqui eorundem adgreſſoris poſſe, & ſimiliter poſſe defendi bona quoque fortunæ, utpote neceſſaria ad vitam ſuſtentandam ac conſervandam. * *
 Accedit quoad fortunæ, hoc jus defendendi ſpectato ſtatu naturæ, præſertim lapſæ, neceſſarium eſſe ad eas ſervandas ac recuperandas, vagamque hominum in bona aliena licentiam comprimendam medium: foveretur enim ſecus nequiſſimorum furum audacia, nihilque jam tutum in humana ſocietate ab eorum libidine foret. Sed ruruſ hoc jus circumſcribitur ſuis limitibus, quos ſupra oſtendimus; & arctioribus quidem in civili,

CXXIII.
*An occide-
 re adgreſ-
 ſorem bono-
 rum natu-
 raræ, & for-
 tuna?*

* Proxima ab his ſunt, ſine quibus poſſumus quidem vivere, ſed ut mors potior ſit, tamquam libertas, & pudicitia, & mens bona. Seneca lib. 1. de benef. cap. 11.

** Non pugnat hæc doctrina cum Evangelio; illud enim, *percutienti dextram porrige finiſtram quoque maxillam, auferenti pallium da quoque tunicam*, conſilii, non præcepti eſt. Inique ergo Grotius laxatæ diſciplinæ Evangelicæ lib. 2. J. B. & P. cap. 1. §. 13. arguit Doctores Catholicos, male confundens legem cum conſilio.

civili, quam in naturali statu. In statu naturali fas esset occidere quemlibet furem, quando alia non suppeteret ratio eum ab injuria prohibendi, aut recuperandi ablata: nunc leges potestatem hanc ad furem nocturnum aut diurnum etiam, sed armatum restringunt; * eo quod res ablatae facilius autoritate magistratus recuperari possint, praesertim a fure diurno, quia cognito, non armato, adeoque facile repellendo. In naturali statu non modo furem cum spoliis fugientem persequi, eumque eminus aut cominus ferire, sed & pacifice jam, quamvis longo tempore, spolia possidentem trucidare liceret: non ita in statu civili, ubi spatium justae defensionis terminatur, quando iniquus raptor res ablatas pacifice possidere incipit: tum enim laeso apud judicem erit agendum. In neutro tamen statu licitum esse reor per eandem tueri ea bona (e. g. opimam hereditatem) ad quae spem duntaxat, aut jus inchoatum sive *jus ad rem* habeas. Tale jus necdum est certum, & suppetunt aliae viae illud tuendi: in statu naturae suppetunt transactiones, aliaeque media leniora: in statu civili via juris. Dein ejusmodi licentia aditum ad plurimas caedes faceret, quod homines cupiditate occaecati, nunc hos, nunc alios suis spebus aut juri inchoato sive quaesito adversari, facile sibi persuaderent; id

* Cic. pro Mil. XII. *Tabulae nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem, si se telo defenderit, interfici impune voluerunt. Idem habetur c. 3. de homicidio.*

id quod societatis humanæ pacem in utroque statu magnopere perturbaret: quare, tametsi daretur casus, ubi nullus esset remedio alteri locus, certe quidem bonum privatum communi concedere deberet. Quantam vero esse oporteat eam jacturam, quam jure liceat violenta cæde impedire. in tam varia hominum conditione vix quisquam definierit: illud certum, tantam esse debere, ut moralem proportionem habeat cum cæde iniqui aggressoris; nec proin satis esse levem injuriam, quod Puffendorffius ajebat, nisi forte leves injuriæ sæpius repetitæ in unam gravem coalescant.

Erit nunc, qui existimet, cædem iniqui aggressoris, quæ licita est ad defendendas fortunas, jure potiore licitam ad famam & honorem tuendum fore: fama enim ac honor præstant fortunis; &, si harum tam acerba esse potest jactura, quam vitæ, multo etiam acerbior famæ ac honoris erit. Ita quidem, hac duntaxat ratione spectata, in theoria videri posset; attamen in præxi longe dispar est ratio: ut fortunæ in præiens aut certo futurum periculum incidant, non nisi insidiatoris nece impediendam, accidere non raro potest; qua ratione fama in tale discrimen adduci possit, non video. An enim certum est fore, ut calumniator nomini tuo injuriam faciat, nec interea animi sui mutet sententiam? An certum, ut calumnia impingenda tibi adhæreat? cum sæpe contingat obtrectatoribus nullam fidem haberi, adeoque ex calumnia plus honoris accedere quam detrahi. An certum, occasione calumnia-

CXXIV.

Au iniquum aggressorem honoris & famæ?

lumniatoris famam integram servatum iri, & non potius periculo objiciendam? Cum, ut sunt prona ad suspicandum hominum ingenia, nihil sit proclivius, quam ut, dum cædis causas investigant, eam tibi inurant maculam, quam a calumniatore metuebas; nec jam ad declinandam calumniam, sed ad verum crimen tegendum, te eam cædem perpetrasse, existiment. Jam si ad impediendam infamiam ineptum est cædes calumniatoris remedium; multo minus erit idoneum ad famam reparandam: non enim, ut interemto fure facultates ad Dominum; sic fama & honor post cædem calumniatoris redire possunt; &, si calumnia, ut fieri assollet, ad plurium aures pervenerat, tantum abest, ut ea notitia deleatur, ut confirmetur etiam & latius fundatur per cædem. * Quod si ad Societatem etiam humanam hic advertamus, quantum ei perniciem adferri necessum est ea honoris vindicandi licentia, dum animi qualicunque famæ aut honoris læsione plus æquo exulcerati, passim justam sibi ad cædes causam adesse putarent! At fortasse invidis hominibus via perinde aperiretur ad libere criminandum, nisi eorum libido metu necis cohiberetur? non arbitrator: nam suppetunt alia remedia tuendi hono-

* Adde, cædem post amissum honorem non defensionis, sed meræ vindictæ esse: *meram* autem *vindictam*, ut recte ait Puffendorffius l. 2. J. N. & G. cap. 5. §. 3. *quæ nihil aliud præter lædentis perniciem quærit, sub crudelitatis vitio natura proscripsit.*

honoris, puta refutatio mendaciorum, aliorum auxilium, cum charitatis lege omnes ad mutua officia teneantur, & in civili statu magistratuum etiam autoritas; atque, si hæc omnia deficere supponantur, cedere tamen majori, minus bonum deberet, ut vel cum periculo famæ coerceatur homicidiorum licentia.

Opportune hic aliquid subjiciemus de monomachia sive duello, quo nomine intelligimus singulare inter duos certamen, ex privatis causis ab utraque parte sponte & ex condicito susceptum, designato loco ac tempore, ad occisionem vel mutilationem aut gravia vulnera infligenda. Cum uni sibi vitæ ac membrorum jus DEUS reseravit, eumque amorem nobis & aliis debeamus, ut non nostram, non alienam vitam aut membra objiciamus discrimini; nisi plane constet potestatem nobis a Deo in vitam & membra fieri, eamque ordinato nostri & aliorum amori haud repugnare, non erit fas ulli aut offerre singulare certamen, aut oblatum admittere. Jam vero unde constat, ad repellendam infamiam aut vindicandum honorem hanc nobis concedi a DEO potestatem? Non ratio naturalis, non Sacræ Litteræ, non instinctus aliquis universalis id edocent. Quomodo vero amori ordinato consentanea esse potest sanguinolenta defensio? cum suppeditent leniora honoris defendendi præsidia, & cruentum illud certamen non tam ad vindicandum, quam projiciendum honorem inferviat, ut intelligere est ex num. præcedente.

CXXV.
An licitum honoris tuendi causa Duel- lum?

Quo-

Quomodo dein consentanea bono humanæ Societatis, quam innumeris cædibus affligi ac perturbari necesse est, si jus duelli ad vindicandum honorem aliquando obtineat? quam faciles in statu naturæ ad cædes ac funera futuri essent homines, qui nunc in recte ordinatis civitatibus tot sanctissimarum legum religione, vix continentur! * Nec possum in animum inducere, ut credam satis cautum fore humanæ societati a cædibus, si vel simulare duellum honoris causa, vel ferio quidam suscipere, non ultra

* Severissimæ sunt leges & pœnæ gravissimæ in monomachos sacro ac profano jure constitutæ *Jure Canonico* Trid. Sess. 25. cap. 19. *de Reformatione*. Constit. Pii IV. *Ea quæ* an. 1506. Constit. Greg. XIII. *Ad tollendum* an. 1582. & Constit. *Illius vires* an. 1592. Plures aliorum Pontificum Constitutiones, & Conciliorum Canones videre est in *Dicæomachia Seyboldiana* part. 2. Novissime patet ex damnatione quarundam propositionum de duello, lata a Benedicto XIV. IV. idus Novembr. anno 1752. *Jure civili Romano vetere* L. un. C. *de gladiator.* l. II. *Jure Romano novo* Constit. August. Leopoldi Imp. anno 1668. apud Gobat *Theol. exper.* Tom. I. P. I. Tract. 7. num. 573. in appendice duellari. Statuta Galliæ, prioræ sæculo edita, tam sunt severa, quam necessaria: nam teste Theophilo Raynaudo Tom. 3. de virtut.

ultra certum tamen ictuum numerum aut leviora vulnera porrigendum fas esset: simulatio illa offensionem daret cæteris, & viam ad feriam duellam panderet; homines vero ambitionis æstu semel perciti vix imperare sibi possent, ut defensionem intra eos limites paterentur consistere: maneret ergo usque periculum multarum cædium, humanæ societati semper exitiosum. At quid, si vir nobilis, armis, opibus, dignitate conspicuus in fatalem eam necessitatem incidat, ut convitiis lacessito cedendum sit honoribus, fortunis, ac spebus omnibus, vitæque obscura ac miserrima trahenda, ni honorem duello redimere malit? Quamquam vix futurum existimo, ut quid ejusmodi unquam eveniat; tamen si forte aliqua contingeret, non reor, eam rerum ac temporum fore conditionem, ut omne aliud delit famæ ac fortunæ reparandæ remedium. Non in statu naturæ implorari posset æqualium fides? non in civili autoritas ac justitia Magistratum? non posset læsus jure defensionis cum moderatione uti, si forte a lædente eam vim experiatur, ut ei hoc jure uti liceat? Ac demum, si omnino actum

N

de

& vitis l. 5. Sect. 3. c. 3. intra annos triginta tot hoc ferali modo in hoc uno Regno cecidere, ut ex iis numerosissimus exercitus potuisset constari, quo & incolumitas Regni conservari, & Turcæ Christianorum damnis auctor, non modice vexari potuisset.

de honore deque fortunis omnibus supponatur, nonne posthabendum est singulare bonum communi, & ferenda læso sua jactura potius, quam ut potestas humano generi adeo perniciofa effingatur?*

CXXVI.

*An violenta
ui
defensio jure
nature
præcepta?*

Tametsi vero licita sit violenta sui defensio, si quidem moderationis limites non excedat; eam tamen homini fere permissam potius, quam jure præceptam existimamus. Jus illud ad vim vi repellendam favor est, commodus ille quidem amori, quo nosmet ipsos diligimus; at tamen haud ita ad nostram communemve felicitatem necessarius, ut eo uti lege naturæ jubeamur. Quamvis enim misera fo-

* Exitialis hic passim Protestantium est doctrina. Hobbes in Leviathane c. 10. duella ut potentia indicia extollit. Grotius l. 2. l. B. & P. c. 20. §. 8. eorum licentiam pro statu nudæ naturæ asserit. Hunc sequitur Vitriarius &c. Unus repugnat illis Puffendorffius I N. & G. l. 8. c. 4. §. 8. ubi inter alia, majorem enasci ait honorem excelfo animo injuriam aspernante, quam ex illo Neoptolemi apud Curtium l. 9. *τεθναίνην μάλλον, ἢ ἀπὸ λεμὸς καλεοίμην.* *Emoriar potius, quam nomen ignavi feram.* Sed iterum Puffendorffium male corrigunt Hertius in l. c. lit. a & Weberus in Puf. de off. hom. l. 1. c. 5. §. 11.

foret humana conditio, ni ad se indemnem quisque servandum potestate illa gauderet; non ideo tamen minus felix, si cum scenore, nullius vero damno, suo jure decedat. Diximus jam alibi, non ita obligari nos ad conservationem bonorum naturalium, quin ea majoris boni consequendi gratia negligere possimus: neque ita, ut eam procurare arduis quibuslibet mediis teneamur: id ad præsentem etiam quæstionem valet. Insignis est virtutis, caduca omnia infra se ducere, & major fortitudinis laus in iis contemnendis quam defendendis relucet: quis ergo dubitet fas esse, bonorum naturalium jacturam fortiter tolerare potius, quam ea cædibus & sanguine alieno servare? dum ne pulchrum virtutis nomen alicui imponat, & sub fortitudinis specie abjectæ lateat mentis vitium. Est deinde violenta sui defensio ex eo genere mediocri, quæ fieri non posse in æstimatione morali reputantur: tam difficile ergo medium arripere non tenemur ad nos ipsos resque nostras servandas; cum leges affirmantes non obligent ad illud tempus, ubi facultas ad exequendam actionem, quæ præcipitur, deest. Hæc ita se habent, præscisso alio obligationis jure; at si e salute unius felicitas pendeat aliorum, quamvis illa non sui causa, tenebitur tamen propter alios justa defensione uti: injuriosius enim quam fortius agit, qui rem alieno juri obnoxiam, quam honeste defendere

N

pe-

potest, contemnit *. Verum de officiis erga se ipsum jam satis, quæ rite omnia adferre non potuimus, quin multa de officiis erga alios antingeremus: si quid porro implicate dictum, id expeditius ex sequentibus fiet.

CAPUT VII.

De Officiis erga alios perfectis & absolutis.

CXXVII.
Principium
Officiorum
erga alios.

Quoniam ea, quæ diximus bona Deus homini utenda fruendaque concessit; sequitur, eorum jus penes hominem esse, non illud quidem directum ac interminatam, quod uni DEO competit, sed circumscriptum aliquod, sive ut ajunt, dominium utile, vi cuius, quæ ad conservationem rectumque usum illorum sunt necessaria, jure ab aliis exigere possit. Igitur quæ sic exiguntur, jure aliis debemus: quamquam Deo magis, quam aliis; quia ille Dominus directus, hi custodes tantum & administratores ejus bonorum sunt; ac proinde, si quid debiti aliis negemus, illis quidem injuriam, sed ma-

* Sic miles Reipublicæ, sic Pater familias conjugis ac liberorum causa, permessa qualibet ratione hostilem impetum propulsare tenetur. Quibus convenit illud Senecæ: *Vitam tibi ipsi si negas, multis negas.*

majorem DEI inferimus. Hinc patet, & quid sint, & unde cognoscenda sint hominis erga alios officia: sunt nempe actiones aut omissiones illæ, quæ lege naturæ, i. e. voluntate DEI necessaria omnibus præscribuntur, exigente id aliorum in sua bona jure, tum vero præcipue supremo DEI in res creatas omnes dominio. Atque hoc quidem, præter alias DEI perfectiones, secundum doctrinam alibi stabilitam, principium esto ultimum. Proximum est felicitas humana, cujus procurandæ medium necessarium est amor, sibi aliisque naturaliter debitus. Nempe jure naturæ, ut ad veram felicitatem nostram eniti sic etiam amorem, qui nihil aliud est, quam studium adipiscendæ felicitatis, impendere nobis tenemur: pars non minima nostræ felicitatis est, ut nobis cum aliis bene conveniat; convenire autem bene cum aliis nobis non potest, nisi eorum quoque felicitati consulamus, adeoque amore eos prosequamur: igitur nostra aliorumque felicitas, nostri aliorumque amor id postulant, ut quæ aliis jure debemus, faciamus officia, & quæ debeamus, ostendunt. Unum illud, quod sæpe alias, iterum monemus, ne cui amoris aut felicitatis species aliqua imponat, in perfectione DEI, in ejus sapientia ac providentia, in supremo ejus dominio situm esse fundamentum, unde principia illa robur ad firmitatem accipiunt.

CXXVIII

Ea perfecta vel imperfecta; absoluta vel hypothetica sunt.

Duo autem sunt præcipue, quæ alii a nobis jure quodam exigere possunt: primum ne eos lædamus, neu cuiquam, quod suum est, negemus; dein ut ope nostra egentibus succurrere studeamus. Quemadmodum enim jus unusquisque habet in sua bona servanda, ita jure exigit, ne quis ei damnum inferat: dein, quia sæpe numero homo sibi unus non sufficit, exigit etiam jure aliquo naturali opem alienam. Ambo hæc officiorum genera ex amoris etiam principio fluunt: nam qui amant, nec lædunt, quos amant, & quatenus possunt, eos juvant. Hinc illæ naturæ voces: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; & Fac aliis, quæ tibi facta voles*, quibus duplex isthoc officii genus continetur. Prioris generis officia *Perfecta & justitia*; posterioris *Imperfecta, humanitatis, & beneficentiæ* appellari sueverunt. Et discrimen inter utraque illud interest, quod officia perfecta jure stricto, ex justitia, ac per modum coactionis aliis debeamus; imperfecta vero ex jure minus stricto, ex naturali æquitate, ac citra coactionem: illa necessitatem nobis imponant, ne alterum infelicem, hæc ut felicem reddamus. Perfecta duas iterum comprehendunt officiorum species. Cum enim jus, quod homo in sua bona habet, vel congenitum illi sit, vel ex facto aliquo acquisitum; officia, quæ exigere vi prioris juris potest, *Absoluta*: quæ autem vi juris posterioris, *Hypothetica* dicuntur. Ut igitur hæc omnia rite ac ordine exponamus,

pri-

primum de perfectis & absolutis, deinde de perfectis hypotheticis, postremo de imperfectis agemus.

In absolutis officiis ad illud cumprimis advertendam, cum homines natura omnes sint æquales, æqualibus omnibus donis a natura instructi, iidemque æquali omnibus jure gaudeant, & supremo DEI Dominio æqualiter omnes subjiciantur; consequens esse, ut, quamvis homo prius se, non minus tamen alios quam se, diligere ac felices velle, ideoque officia, quæ sibi, eadem exhibere & aliis teneatur; nullo etiam inter illos factò discrimine, qui inter se natura nihil differunt. Æqualis enim est lex naturæ; æqualiter ergo omnes respicere, & consulere omnibus ex æquo debet. Equidem perfectionum gradibus inter se plurimum sunt diversi homines, ingenio, moribus, forma exteriorè alii aliis præstant; sed ea varietas ex diversa corporis temperie, educatione, climate, aliisque causis externis accidit, naturam non mutat: nam, ut idem quoad substantiam homo est infans, adultus, & senex, licet pro ratione ætatis varias subeat vicissitudines; ita eadem est in stupidis ac perspicacibus, ingenuis ac obscuris naturæ humanæ species. Differentiam præterea inter homines invehit varietas statuum, qua fit, ut alii sint patres, alii filii, alii heri, alii servi &c, sed hæc rursus æqualitati, qua omnes nascimur, nihil officit. Quare, licet peculiararia hominum sint officia, pro

CXXIX.
*Absoluta
 erga omnes,
 ac erga se
 sunt æqualia,*

varia ipsorum conditione, ac statu; quæ tamen naturam omnibus communem spectant, ad omnes ex æquo pertinent.

CXXX.
*Primum
 ergo nemo
 lædendus.*

Primum ergo nostrum erga alios officium illud est: *Quod tibi non vis fieri; alteri ne feceris*, i. e. ne quemquam lædamus*. Nam si diligere alios ex æquo ac nos ipsos tenemur, ut modo ostendimus: quemadmodum nemo nostrum est, qui bonis seu naturalibus seu juste acquisitis spoliari, aut res suas deteriores fieri velit; sic contra amorem aliis debitum etiam fuerit, eos suis bonis privare, aut ea deteriora efficere. Est deinde eiusmodi læsio inimica cum propriæ, tum communi felicitati: propriæ; nam qui lædit alios, ne ipse quidem tutus a læsione esse potest, nec proinde tranquille vivere: communi; quamvis enim societatem colere utcunque possimus cum iis, qui nobis humanitatis officia negant, certe tamen paratos ad lædendum homines in vita sociali nemo est qui ferat**. Inimica est de-

* Natura hanc legem nationes omnes docuit, In ea illustranda multi fuere Plato, Aristoteles, Cicero l. i. de off. aliique veteres Philosophi. Eam Alexander Severus teste Lampridio non modo in palatio & publicis operibus præscribi, verum etiam cum aliquem ob illatam alteri injuriam castigaret, per præconem elata voce clamari voluit.

** Præclare Seneca de Benef. *Nefas est, nocere*

demum & aliorum hominum juri, & supremo DEI Dominio: non enim sine injuria auferri aut vitari potest, quod alii velut custodes ac depositarii jure sibi vendicant: & injuriosum cumprimis directo Domino, dum id contra ejus imperium attentatur. Jam vero, cum bona hominis alia ad animum, alia ad corpus, alia ad statum externum pertineant, & proinde quodlibet horum in aliis tollere aut violare primæ naturæ legi repugnet, de singulis aliquid in præsentia dicendum venit.

Atque ut ab animo initium faciamus, **CXXXI.**
 intellectus, prima ejus perfectio, duplici *Non rare*
 fere modo læditur: neglectu culturæ, si *tione neglectus.*
 ad eam alteri impendendam aut natura aut
 conventionem quis obligetur; & pravis doctrinis. Et natura quidem id parentibus officium incumbit, ut teneras liberorum mentes aut ipsi excolant, aut excolendas idoneis committant doctoribus, ut suo loco uberius exponemus. Dein vero ex con-

N 5

ven-

cere patriæ, ergo civi quoque; nam hic pars patriæ est, sanctæ partes, si universum venerabile est, ergo & homini; nam hic in majori tibi urbe civis est. Quid si nocere velint manus pedibus, pedibus oculi? Ut omnia inter se membra consentiant, quia singula servari totius interest; ita homines singulis parcent; quia ad cætum geniti sunt: salva enim esse societas, nisi amore & concordia partium non potest.

ventionem artium & disciplinarum magistris elaborandum est, ut creditos sibi discipulos probe instituant. Quare si ipsi non satis comparati fuerunt ab earum rerum notitia quas aliis tradunt, aut excolere se ipsos prius debent, aut partes institutionis omnino deprecari: alioquin rei neglecti officii erunt, & ad reparationem damni illati, quam læsio omnis exigit, tenebuntur. Porro quibus potissimum doctrinis ac præceptionibus imbuendus sit intellectus: docuimus superiore cap. n. 18. Abesse vero ab institutione omnino debet fraus atque mendacium, immo quoad fieri possit, omnis etiam error: quibus rebus abducuntur a cognoscenda veritate animi, & quod in morum disciplina consecrarium est, ad pravitatem flectuntur. Unde haud scio, an ullum sit perniciosius genus hominum, quam quorum doctrina Epicurum, Spinozam, Machiavellum, vel alias id genus pestes redolet; quanto enim animus præstat ceteris bonis naturæ, tanto exitiales sunt, qui eum depravant. In quorum censu & illi veniunt, qui ejusmodi doctrinas manfuris vulgant literis; hoc etiam deteriores prioribus, quo venenum latius fundunt.

CXXXII.
*Nec ratio-
 ne volun-
 tatis.*

Jam qui voluntatem lædant, pronum est intelligere. Fieri enim non potest, quin illapsa in animos pravæ doctrinæ femina voluntatem corrumpant, & mores progenerent, vix unquam per omnem vitam emendandos. Postea & illi longissime dis-

ce.

cedunt ab officio, qui alios ad voluptatem, libidinem, aliaque vitia, lenociniis pelliciunt, jussu, consilio, terroribus impellunt, verbis aut exemplis ad illa præeunt; nam & id lædunt, quod in homine præcipuum, eique maxime est proprium, & quos ita pervertunt, in discrimen objiciunt amittendæ in omne ævum beatitatis. Agunt denique contra justitiam, qui cum alios a vitiis prohibere & ad frugem reducere possent, ac officii ratione deberent, cujusmodi sunt Magistratus, parentes, morumque moderatores, id aut omnino intermittunt, aut non ea, qua par est, contentione faciunt: non minus enim lædit alterum, qui ei malum infert, quam qui malum, pro eo ac potest atque debet, amoliri ab illo negligit.

Secundum ab immortalis animo bonum est vita mortalis, tum alia corporis bona. Itaque alteri vitam eripere, aut periculum mortis concire, officere sanitati, verbera & plagas infligere, membris aut membrorum parte mutilare, excruciare vinculis, tormentis, inedia, rebus vitæ sustendendæ necessariis privare, & si quæ sunt alia, quibus usus corporis, quod sanum ac integrum aliquis a natura acceperat, alterius dolo redditur deterior, jus naturæ prohibet; præcipitque, ut qui talia egerit, quoad scit ac potest, resarciat. Enimvero hæc omnia ex juris naturalis principiis consequuntur. Cum enim alium perinde ac nos diligere teneamur, nec minore alter in sua, atque nos in nostra bo-

CXXXIII.

Nemo lædendus in vita, nemo in corpore.

na,

na, jure gaudeat: consequens est, ut eodem studio ab ejusmodi injuriis alteri inferendis abstinere, quo id ab aliis poscimus, debeamus: atque si res ad ultimum principium reducat, injuria denique irrogatur supremo vitæ, corporis, ac membrorum domino, dum hæc citra ejus voluntatem tolluntur aut deteriora redduntur. Concedit equidem eam potestatem DEUS non nunquam hominibus in corpus ac vitam aliorum; at nec omnibus, nec qualibet in causa. Primum summi Imperantes jus vitæ & necis habent, ut suo loco explicabimus; sed illud cum demum jure exercent, cum nulla alia superest via, qua aut reus emendari, aut damna a Republica averti possint. Non idem jus est parentibus in liberos, nisi idem fuerint imperantes, ut in statu naturæ: & quamvis poenas corpori acerbis infligendi potestatem habeant; tamen nec illas fas est adhibere, dum benignior suppetit emendandi ratio; & cum adhibentur, ita sunt moderandæ, ut nec vita, nec sanitas in periculum vocetur. Idem dictum esto de Magistris, quibus jus poenarum ex pacto convenit; quos tamen eo jure ad voluntatis tantum, non etiam intellectus vitia castiganda uti posse existimo: ut enim opportunæ sunt ad flectendam voluntatem moderatæ poenæ corporis, ac sæpe necessariæ; sic ad emendandum intellectum, nec necessarium, & ineptum etiam esse medium videntur. Omnibus demum competit jus defensionis, sed illud suis circumscriptum limitibus, ut ostendi-

dimus priore cap. n. 120. seqq. Extra hos status & causas, quia nulli jus in alterius vitam aut corpus tribuitur; a læsionis & iniustitiæ crimine excusari non possunt, qui ea corruptum aut perditum eunt.

Porro nec fama vel existimatio cujus- CXXXIV.
quam est lædanda, qua nihil pretiosius post *Nullius*
vitam putant homines, ac ipsa vita habent *lædenda*
cariorem: sive illa tantum *simplex* sit, i. e. *fama*.
talis. ut quis pro non malo habeatur: sive
intensiva, quam rebus præclare gestis, aut
egregiis virtutibus sibi quis peperit. Quem-
admodum ergo nostri amore ducti eam no-
bis integram constare volumus, & a læsio-
ne jure tuemur; ita cum alteri quoque jus
suum tribuere, Deumque ut nos ipsos dili-
gere teneamur, proscindere sanè alienum
nomen, illudve extenuare non possumus,
quin amoris justitiæque leges violemus.
Duobus autem modis fama læditur: vel
calumniis, eam inurendo imaculam, qua
alter purus est; vel prodicione, quæ igno-
ta aliis erant, vitia detegendo. Qui priore
modo existimationem lædunt, procul dubio
violatæ justitiæ rei sunt, & ad reparatio-
nem, quamvis non sine proprii nominis ja-
ctura faciendam, tenentur: id enim justitiæ
est proprium, ut ad sarcendum da-
mnum eum, qui læsit, obliget: & si ille,
qui aliis in bonis mihi damno fuit, in prio-
rem statum vel suo malo me restituere te-
netur; nihilo magis in reparanda famæ le-
ges naturæ connivere possunt. Sed quid-

fi

si fama, nisi cum vitæ periculo, restitui nequeat? Cum præstantius bonum sit vita, quam ut cum ullo alio præsentem bono commutari valeat, non arbitror tantam alienam famam redimendam esse: nisi forte atrocissima sit infamia, ac morte ipsa durior; tum enim, quia lex naturæ omnino reparationem exigit, suæ tribuere debet calumniator malitiæ eam necessitatem, quam sibi volens imposuit. Jam illum, qui vera, sed occulta adhuc, detexit crimina, sunt qui peccare adversus amorem, non contra iustitiam existiment, ideoque absolvant ab reparationis onere. Verum, cum jus famæ servandæ quisque tam diu obtineat, dum illud suo facto amiserit; nec amittat vero, donec vulgetur*: extradubitationem putaverim, eum, qui alteri hoc jus vulgando adimat, ei injuriam, & ad reparandam famam obnoxium esse. Quis vero modos omnes innumeret, quos nefaria obtrectandi libido invenit? convitiis, dictariis, gestis ironicis, & nescio quibus aliis modis fama minuitur & laceratur: de quibus nihil præterea addimus, cum ad priora duo genera revocentur.

CXXXV.
*Nullius
 pudicitia.*

Quantum ad existimationem momenti habeat pudicitiae fama, nemo est, qui ignoret: inest homini intima quædam ejus cupiditas, nec fere acerbior ullus animum urit

* Unde tritum illud: *Quilibet præsumitur bonus, donec probetur contrarium.*

urit dolor (nisi quis turpissimis flagitiis eum sensum extinxerit) quam qui ex amissa pudicitiae laude enascitur. Igitur qui alienae pudicitiae insidias struunt, eamque stupris vel adulteriis violant, gravissimam committunt injuriam: nam & labem aspergunt alterius nomini longe turpissimam, & id, quod unum e præstantioribus est bonis, eripiunt. Quocirca & hic jure exigitur damni ex ejusmodi læsione emergentis reparatio, si quidem res per vim aut malo dolo gesta fuerit: namque si pars altera sciens voiens consentiat, cum volenti non fiat injuria, nulla ad satisfaciendum erit necessitas. Sed quamvis absit injuria a tali facinore, non abest tamen læsionis crimen, quod cum amore pugnet: primum enim blanditiis aut sollicitatione flectitur ad libidinem alterius voluntas: deinde id perpetratur in alium, quod sibi fieri lege naturali amoris nemo velit.

Neminem ergo lædendum esse in bonis naturalibus, satis, opinor, explicatum est: nam quod ad opes & fortunas attingit, cum hæc sine dominis intelligi nequeant, in proxima capita rejiciendum putamus. Illud hic advertendum, triplicem esse rationem lædendi; cogitatu verbis, aut gestibus verborum vicem obeuntibus, & factis. In foro humano gravissima est læsio, quæ factis aut verbis efficitur, homines enim, nisi exterioribus docti indicibus, de internis animi sensibus ex-

CXXXVI.

Læditur
aliquis cogitatione,
verbis, &
factis.

stimare nihil possumus. At cum Deus intimos animi motus perspiciat, & lex naturæ internas non minus quam externas actiones moderetur; conuequens est, ut ab homine non modo læsio externa, verum & animus lædendi abesse debeat; ac propterea lege naturæ odium, contemptum, invidiam, omnemque animi sententiam ad lædendum aliquem comparatam, quantumvis illa in sinu duntaxat lateat, prohiberi. Fatendum quidem, animi illam voluntatem nec coactioni alicui externæ subesse, nec obligationem ad satisfaciendum parere: attamen cum repugnet amori naturaliter aliis debito, & ad id violandum tendat, quod alter stricto jure exigit; officiis perfectis merito etiam accensendum est, ut ne animum quidem erga alios inimicum geramus.

CXXXVII.

*Sermonis
indoles,
finis, &
usus.*

Sed jam de verborum officiis distinctius agendum. Peculiari homo præ ceteris animantibus facultate pollet, qua non modo cogitare, appetere & versari, suarumque cogitationum conscius sibi esse, sed & animi sui sentia expromere aliisque manifestare, idque non incondito tantum aliquo sono, sed ordinata etiam vocum distinctione possit. Quod prærogativæ genus ad societatis potissimum usum Divinæ providentiæ munere nobis concessum videtur: est enim sermo præcipuum societatis ineundæ & conservandæ vinculum, &, si unicus in terris degeret homo, is quidem loquendi facultate facile ca-

re-

careret, quippe nec ad officium erga Deum, nec erga se ipsum necessaria; at in societate vivere, eo adminiculo destituti vix possumus. Ut vero eum in finem apta esset sermonis ratio; illud fieri oportuit, quod & factum esse jam inde a primis mundi initiis, & deinceps per tempora variis modis auctum novimus, ut homines communione quadam voluntatum certas aliquas voces effingerent, easque suis insignirent notionibus, quo alter alteri cogitata sua pandere, & quid sentiat, quidve aut velit aut nolit, communicare posset. Sunt tamen & alii præterea mentem explicandi modi: est sua vox oculis, vocem gestus & nutus habent, notis & figuris ex arbitraria hominum institutione certum aliquid significamus: sed ea indicia verborum vocem obtinent; ac propterea de illis quoque accipiendum erit, quod de sermonis officio dicemus.

Cum ergo eo potissimum fine providentissimum Numen loquendi facultatem concesserit, ut haberent homines, quo societatem inter se inire & conservare possint; perspicuum esse videtur, eatenus nobis sermone utendum, quatenus aliorum, quibuscum vivimus, interest, ut eo utamur. Itaque cum nullius, nec perfecto nec imperfecto jure interest nos loqui, tum silentio rem tegere crimini verti nequit; jure vero vertitur crimini taciturnitas, cum alterius interest nos loqui; nihilo enim secius tacendo atque loquendo alter lædirur, si contra fiat, quam sit necessarium ad ejus felicitatem.

O

citatem. * Hæc tamen ira dicta sunt, ut potior Dei quam hominum ratio habeatur: nempe si quando locutum esse Divinæ adverteretur perfectioni, nulla tanta esse potest humanæ felicitatis necessitas, quæ locutionem imperet, eamve a crimine excuset: rursus quantumvis aliorum interfit, ut taceas, si contra Divina perfectio exigat, nefas fuerit veritatem dissimulare: nec vero existimari potest vera felicitas, quæ cum Divinis perfectionibus pugnet; siquidem hæc ita est comparata, ut in manifestanda Dei gloria & commendanda perfectione verifetur.

CXXX X. Loquentium ergo hoc primum esto officium, animi sui sensa exprimere, cum id alteri jure debetur, adeoque neminem lædere dissimulando. Dissimulare enim, ubi agitur de alterius bono vel non lædendo vel promovendo, quorum alterum jure perfectio, alterum imperfectio quisque exigit, contra justitiam est ac æquitatem. Sunt vero, qui eos tantum justitiam tacendo lædere contendunt, qui peculiari conventionem aut pacto loqui tenentur, cujusmodi sunt administri publici, Reipublicæ gubernatores, testes publica autoritate interrogati, eosdemque propterea ad reparandum damnum ex ipsorum taciturnitate natum obligari; cæteros, qui taceant, contra caritatem tantum delinquere,

* Quo spectare videtur illud Æschyli: Σιγῶν, ὅς οὐκ ὀρεῖ, καὶ λείπειν τὰ κατὰ οἶον. *Tacere quando oportet, & dicere opportuna.*

quere, nec proinde reparationis lege teneri, quamvis aliorum interesser, ut loquerentur. Non placet ista opinio. Homines, cum in societatem convenirent, eam certe conditionem aut discrete aut tacite omnes inivere; ut quæ interessent communis felicitatis, ad ea se mutuo obstrictos vellent: alioquin societas inter eos coalescere & servari neutiquam potuisset. Inter hæc non postremum est sermonis officium, ubi hoc ad impediendam alterius læsionem exigitur. Ergo qui alterum silentio suo perdidit, aut ejus bona lædi permittit, violavit leges justitiæ, ac proinde ad reparationem damni obligatur. Illud verum est, neminem suo damno ad loquendum teneri, quando id jure tantum imperfecto exigitur: nam humanitatis quidem jura exigunt, ut alterius felicitatem provehamus, sed non ita, ut lædamus nostram.

Alterum officium est, neminem lædere *CXL.*
loquendo. Loquendo autem alter læditur. *Nemo item*
vel cum dicitur quidpiam a vero alienum, *lædendus*
quod ei damnum interat, vel cum ea vul- *sermone.*
gantur, quæ licet ex vero dicta sint, silentio tamen involvi alterius interesset. Sed quod ad posteriorem officii hujus partem attinet, potest non raro ea rerum esse conditio, ut, dum unius interest rem celari, alteri contra fiat injuria eam non revelando. Id si contingat, cum nulli conveniat jus ad illud officium, quod cum alterius injuria sit conjunctum, committendum profecto nunquam est, ut falso justitiæ obtentu rem dissimulemus. Quare tum demum contra justitiam fuerit rem prodere, cum id ali-

cui perniciosum, tacere vero nemini damno foret. Prior autem officii pars excludit mendacium. Est mendacium locutio discrepans a mente loquentis, ad fallendum alterum comparata. Hæc si fuerit ejusmodi, ut ex ea damnum alicui in bonis animi aut corporis, famæ aut fortunarum nascatur, procul dubio repugnabit justitiæ; & qui ea ratione quemquam læserit, ad reparationem tenebitur: omnes quippe homines jus perfectum habent, ut ne circumveniantur sermone, ex quo damni aliquid accipere possint. Unde patet, legem naturæ ipsius esse, ut verbis cum iis notionibus utamur, quas inter eos, quibus cum loquimur, obtinent; saltem certe ne discedamus a recepto verborum sensu, quando alicujus interest, ne eum lædamus, vel ut feliciorum reddamus: hoc enim imperfecto, illud perfecto etiam jure petitur.

CXLI.
*Nunquam-
 ne mentiri
 licitum?*

Facilem hæc apud omnes approbationem inveniunt: nemo enim est, qui fallacem orationem, cum læsione alterius conjunctam, permittendam putet. Sed non eadem Auctorum est consensio, ubi agitur de mendacio, quod non ad inferendam, sed avertendam perniciem profertur; aut etiam illo, quod nulli quidem utilitati, sed nec damno sit. Sunt, qui hoc postremum jure naturæ licitum, primum illud etiam præceptum esse contendunt; sunt vero & qui utrumque prohibeant.* Horum plerique eo

* S. Augustinus ad Cosentium quæstionem hanc vocat *latebrosam*, & inter doctos alternantem.
 Gro-

eo ducuntur argumento, quod omne mendacium advertetur cum propriæ cujusque, tum communi omnium felicitati. Ad cuiusque, ajunt, felicitatem pertinet, non lædi suum intellectum: lædit vero intellectum alterius, qui ei errorem offundit. Interest dein, inquirunt, societatis, sanctum constare inter homines commercium: illud turbaretur, si vel sui vel alterius gratia quemquam decipere liceret; nusquam enim tuta esset fides, & daretur usque locus timori, ne is, qui affirmare loquitur, nobis imponat. Est aliquod, non inficior, huic argumento pondus, si error intellectus, vel turbatio humani commercii, absolute ac secundum se considerentur: sic enim revera sunt mala, & inimica humanæ felicitati. Sed si ea cum gravioribus malis in contentionem veniant, bona potius ac expetenda homini

O 3

vide-

Grotius ep. 218. in ea se multum æstuasse scribit. Puffendorffius negat eum mentiri, qui contra mentem loquitur, quando ad eam cognoscendam alter jus nullum habet. Eaque hic utriusque sunt principia, ut mendaciorum, quæ officiosa & jocosa dicuntur, licentia ex iis necessario inferatur. Hinc illa Thomasil & Fleischeri apud Ignat. Schwarzium: *Tace, loquere, vera dic, falsiloquio utere, quoties, & quo modo opus est ad promovenda aliorum commoda, aut jura non lædenda.* Verum etiam quorundam apud S. Augustinum erat opinio, *mendacio instar hellebori homines uti posse, si nempe necessitas cogat, aut magna utilitas suadeat.*

videbuntur. Quid enim, si necessitas jacturam vitæ cum mendacio collidat? quis non levius, alterum sine damno falli, quam se perire, putet? Quid si communis salus ex uno pendeat mendacio? quæ erit humana societas, quin modicam commercii labem quam extremum sui exitium, ferre malit? Parum ergo apta est hujusmodi ratio ad prohibendum mendacium; neque jam miror, qui ea usi sunt, eo impulsos fuisse, ut ienoxiis mendaciis licentiam facerent, officiosa vero etiam usurpanda putarent. Equidem ita plane sentio, omne lege naturæ prohiberi mendacium, neque ullam fingi posse tantam necessitatem, quæ illud a culpa excuset; sed id propterea, quod repugnet primæ ac summæ Dei veracitati.* Enimvero Deus, cum ad manifestandam suam gloriam & commendandas perfectiones nos condiderit, facere non potest, quin prohibeat ea, quæ pugnant cum ejus perfectionibus: pugnare vero cum ejus veracitate mendacium, res longe est manifestissima: illud ergo non potest non prohibere. *Confer. P. II. num. 21. & 25.* Adde, si ob insigne aliquod commodum mentiri liceat, non esse, cur non mendacia & jurejurando firmare concedatur; nam istud quoque ad avertendam peculiarem vel communem perniciem unicum potest aliquando esse remedium: igitur si hoc nefas esse existimant, vel qui maxime partes men-

* Est argumentum, quo utitur S. Basilius Reg. 76. & S. Augustinus L. I. contra mendacium c. 8.

mendacii defendendas suscipiunt, propterea quod id perfectioni Divinæ adversetur; quid est, cur in pari causâ non parem feramus sententiam?

Nihil differt a mendaci, qui sensum verum mente retinet, falsum eloquitur, seu qui, ut vulgo ajunt, *utitur restrictione pure mentali*: ejusmodi ergo termo pariter lege naturæ interdicitur. Quod si locutio ita sit comparata, ut ex nutibus, ratione dicendi, aliisve indiciis cautus auditor mentem loquentis assequi possit, quæ dicitur *restrictio non pure mentalis*, dummodo absit etiam fallendi animus, ea nihil commune habet cum mendacio; & auditor tuam tantum accusare potest imprudentiam, si fallatur.* Hinc apologi, Poetarum fabulæ, ironiæ, orationes exaggeratæ, innocuis salibus respersa dicta, & aliæ verborum ambiguitates, quarum sensum in mente loquentis reconditum ex adjunctis aliis metiri licet, e mendaciorum censu eximendæ sunt, & citra culpam usurpantur.** Id quod etiam

CXLII.
*An licitum
verbis am-
biguis uti?*

O 4 multo

- * Minime vero mentitur, qui præfatur se falsa dicturum: ut Ovid. *Metamorph.* 302.

Desit in hac mihi parte fides, nec credite factum.

- ** Sic per hyperbolem dictum est: *Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & sicut arenam, quæ est in littore maris.* Mystice illud Raphaëlis: *Ego sum Azarias, magni Ananiæ filius.* Per typum: *Ego sum Esau.* Christum etiam

multo certius videtur, quando ita loquendum gravis aliqua causa suadet: ut si quis nullo jure de occulto crimine interrogetur, aut quærat de re, quam scire alterius nihil interfit, aut loquenti denique vel aliis eam discrete non manifestare expediat.* Et illud addo, eum de proprio vel alieno, singulari vel communi periculo avertendo, aut de procurando commodo, quod jure perfecto vel imperfecto debeamus, agitur, non licitum modo, sed præceptum etiam esse dubiis verbis uti; nam si defensionem cæde aggressoris faciendam jura concedunt, & nonnunquam præcipiunt; quanto magis simili in causa deceptionem alterius, non tam a loquente intentam, quam duntaxat non impeditam? Quare nec vetari possunt solitæ Imperatorum artes & stratagemata, immo adhiberi non nunquam etiam debent: sunt enim signa, quorum vis ac potestas inter partes pugnantes usu ipso est cogni-

etiam constat sæpe locutum esse parabolas, finxisse se longius ire, & usum verbis ambiguis; qualia sunt illa: *Solvite templum hoc &c. Lazarus amicus noster dormit. - - Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendo. - - De die autem illa & hora nemo scit; neque filius &c.*

* Notum est illud S. Athanasii, cum de Athanasio rogaretur, eum prope abesse respondentis. Et S. Felicis Nolani, negantis sibi notum esse felicem, utpote infelicem, quia ad necem conquistum.

cognita; & sunt genus belli gerendi mitissimum, præ cruentis præliis expetendum, idemque salutis publicæ non raro necessarium. Non dissimulandum tamen, quandoque legi naturæ adversari locutionem ambiguum. Primum non licet ea uti, cum quis de religione confitenda rogatur: tunc enim dubia confessio in DEI cedit ignominiam, lege naturæ quoquo modo prohibitam. Deinde, si locutione ambigua malum aliquod alteri innocenti, aut humanæ societati consciscatur: ut si quis jura vel injuria criminis postulatus, ancipiti defensione innocentem alium in criminis suspicionem adducat, aut jure interrogatus de crimine alieno, incertis responsis id efficiat, ut reus in Reipublicæ perniciem absolvatur: nam si alterive consulere cum aliorum injuria omnia jura vetant. Multi demum existimant nefas esse reo, jure interrogato, judicibus obscura responsione imponere: quem ego tamen damnare non aulam, dum id citra ullius damnum faciat; nam ratione secundum se licita ad sui defensionem utitur; neque tam severa judicum esse videtur autoritas, ut reum ad confessionem apertam, cum proprii capitis discrimine faciendam, obliget.

Proximum jam ad jurantium officia gradum facimus *Jurjurandum* est asseveratio, **CXLIII.** *Quid jur-* interposita Divinæ veritatis autoritate, *jurandum,* confirmata; cum videlicet, ut dictis nostris & quotu- fidem faciamus, eorum testem aut etiam *plex?* vindicem Deum esse volumus. Est per aliud *Affertorium*, quo utimur ad rei præ- sentis

sentis aut præteritæ asseverationem firmandam : aliud *Promissorium* appellatur, cum de re futura sacramenti religione fidem nostram obstringimus. Diversas quoque appellationes sortitur, pro varia personarum & causarum ratione. Sic *Testimoniale* dicitur, quod de alieno, *Litis decisorium*, quod de proprio facto datur. Et hoc quidem si a iudice defertur super facto ipso, est vel *Suppletorium*, vel *Purgatorium*, utrumque autem *Necessarium* : si super quantitate obligationis, *Jusjurandum in litem* ; si super conscientia litigatoris, *Jusjurandum malitiæ vel calumniæ* : denique si extra iudicium defertur, *Voluntarium* ; si vero in iudicio, *Judiciale* nominari consuevit.

CXLIV.
Imprimis
verum sit,
oportet.

Cujuscunque autem nominis fuerit jusjurandum, ut eo uti liceat, *Verum* imprimis sit, oportet. Jurans enim Deum testem adpellat, ejusque summa veritate ad confirmanda dicta utitur : ergo ignominia Deum gravissima afficit, si autoritate ejus ad conciliandam mendacio fidem abutatur. Quare semper vetitum est omne perjurium, quo nomine illud præcipue jusjurandum intelligitur, quod veritate caret ; quia nunquam non Deo ignominiosum. Ergo & ii perjuri sunt, qui, quod sciunt, existimant ; vel ambigunt falsum esse, jurejurando nihilominus confirmant ; tamen si forte res ita sit, ut dicunt : contra animi enim loquuntur sententiam. Tum & illi pejerant, quibus non est animus implendi id, cujus juratam dant fidem : similiter enim contra ajunt, quam sentiant. De-
mum,

mum, quia locutio, cuius verus sensus mente reconditur, nil differt a mendacio; qui ad eam firmandam Deum obtestantur, aut qui sine animo jurandi conceptis verbis sacramentum dicunt, perjurii nihilo secius ac priores rei censendi sunt. Nempe jusjurandum ejus locutionis, cujus confirmandæ gratia adhibetur, naturam sequitur: ut adeo, prout illa menti loquentis congruit aut repugnat, ita hoc aut verum sit, aut mendax sive perjurium. Unde & illud conficitur, quemadmodum verba ambigua nihil commune habent cum mendacio, sic adjectum etiam iis jusjurandum perjurii crimine vacare.

Altera conditio est, ut ne temere juremus, sed necessitas seu gravis aliqua causa *CXLV. Dein non* urgeat: puta, ut interlit boni publici, vel *temere eo* agatur de vita, fama, fortunis, vel denique *utendum.* judiciorum autoritate compellamur. Enimvero, quamvis jurijurando sua non desit veritas, tamen Divini testimonii ea est excellentia, ut ad res levissimas invocari non possit, quin debitus ei honor aliquid labis accipiat.* Quo in genere illi quidem maxime

* *Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumerit nomen Domini DEI sui frustra. Eccl. 28. 9. Sapienter Epictetus c. 44. Jusjurandum recusa, si fieri potest, omnino; sin minus, quantum potes. Addit Simplicius: jusjurandum enim Deum citat testem, & sequestrem, ac sponsores facit eorum, quæ dicuntur. Ob res humanus autem (quod perinde est, ac si parvas*

maxime Divinam auctoritatem profanant, qui jurandi formás, velut sermonis quamdam elegantiam affectantes, singulis prope sententiis, suisque passim nugis confirmandis adjiciunt: quo subinde illud etiam fit, ut jurandi usu in morem abeunte, nil jam pensi habeant, verene an falso jurent, & utrumvis jurejurando affirmare consuescant. Majore præterea necessitate opus esse putaverim, ut ambiguo jurejurando uti liceat, quam satis videatur ad dubiæ locutionis licentiam: alioquin, etsi perjurium non sit, tamen eam, quam Deo debemus, observantiam lædit.

CXLVI. Postremo nefas est, super re inhonesta *Neque, nisi* fidem suam jurejurando abstringere. Nam *de re honesta.* si crimini datur homini, id se facturum recipere, quod honeste fieri non potest: profecto, cum sacramenti verba promissionis naturam imitentur, eadem in eis adhibitis erit malitia, quæ esset in promisso: ac præterea violatæ religionis accedit flagitium, quod ad malam promissionem firmandam pejora ausu Divina auctoritas appelletur. Honesta immo etiam sit res, quam jurato promittimus; neque adeo satis fuerit esse indifferentem, nisi ea forte aut ex fine aut circum-

ac viles dicas) Deum producere, contemptum ejus quemdam inruit. Recusandum igitur est jusjurandum, si quidem fieri potest, omnino. S. Thomas q. 89. a. 5. jusjurandum recte comparat medicinæ, cujus in necessitate ita tenendus est usus, ut semper caveatur abusus.

circumstantiis aliis honestatem accipiat : quamvis enim multo sceleratius agit, qui rem turpem jurejurando promittit; nec tamen ille à religionis vilipensæ culpa omnino excusandus, qui ad res otiosas atque inutilis autoritate Dei abutitur.

His ergo, quas diximus, tribus conditionibus prædictum jusjurandum, licitum atque honestum putamus. Tantum enim abest, ut eo nomen Divinum profanetur, ut commendetur etiam ac religiosæ honoretur : etenim advocando Deum testem veritatis ac voluntatis nostræ, eum præfitemur omniscium, summe veracem, omnipotentem, rerum omnium Gubernatorem, justumque mendacii & scelerum vindicem; quod certe honorificum est, Deoque dignum. Illud certum, Jovem, Solem, aliave falsa Numina jurare, legi naturæ adversari; quia est cultus impius : at verum Deum testem laudare (dum ne id falso, ne temere, ne de re turpi fiat) non modo non impium, sed etiam religiosum esse, ipsa jurisjurandi natura ostendit.* Quod, quod ita fieri societati

* Quod ergo Matth. 5. 34. legitur : *Ego autem dico vobis, non jurare omnino, iis verbis jusjurandum mendax, temerarium, inhonestum, interdictum esse censendum est.* S. August. ep. 104. ad Publicolam : *In novo testamento dictum est, ne omnino juremus : quod mihi non propterea dictum videtur, quia verum jurare peccatum est, sed quia pejerare immane peccatum est, a quo longe nos abesse voluit, qui*

cietati quoque expediat : est enim jusjurandum, opportunum valde humanæ imbecillitati subsidium, tum ut sua inter homines constet fides ac veritas, cum etiam ut litibus, quæ in vita sociali eveniunt, alias non facile terminandis, finis ponatur.

CXLVIII.

Quæ obligatio ex eo nascatur.

Cum igitur jusjurandum sit actus religiosus, quo Deus tamquam testis aut vindex assumitur, dubitare non possumus, quin ad confirmandam pollicitationem adhibitam obligationem religionis pariat, adeoque religiose etiam sit servandum. Quare, qui juratis promissis non stetit, & injuriosus est illi, cui fidem suam obstrinxerat; & perjurus in Deum, quem, cum sponso rem fidei suæ esse voluerit, eam violando in contemptum adducit. Ceterum jusjurandum promissionis, cui adjicitur, naturam imitatur; nec proinde religionis invehit obligationem, nisi, quando obligatio aliqua ex promissione ipsa nascitur: hanc nempe religionis vinculo firmiter adstringit, quia ad eam duntaxat firmandam adhibetur; ergo ubi promissio irrita est ac nullius roboris, adjectum jus-

omnino; ne juremus, admonuit. Et l. de mend. c. 15. Juravit autem ipse Apostolus (Paulus) in epistolis suis; & sic ostendit, quomodo accipiendum esset, quod dictum est, dico vobis, non jurare omnino: nec scilicet jurando ad facilitatem jurandi veniatur, ex facilitate ad consuetudinem, atque ita ex consuetudine in perjurium decedatur.

iusjurandum nihil invenit, quod confirmet. Ex quo facile quisque intelliget, eum, qui ex animi sententia juravit, obligari ad servandam fidem: contra, qui simulavit tantum iusjurandum, etsi teneatur ob læsionem factam, non teneri tamen promissionis religione. Item, qui juravit metu, quamvis gravi, ac iniuste etiam injecto compulsus, eum teneri; quia metus libertatem non adimit: non vero eum, quem error ad substantiam rei pertinens decepit. Denique implendam omnino esse fidem super re honesta datam: at turpe aliquid, quamvis jurejurando promissum, exequi, id vero nihil aliud fore, quam scelus scelere cumulare; ac proinde actum religionis non posse vinculum esse iniquitatis.*

Quantumvis autem sanctum sit iusjurandi vinculum; quia tamen naturam promissionis sequitur, hæc vero non tam arcte ligat, quin solvi aliquando possit; consequens est, ut hac soluta illud quoque solvatur. Solvitur ergo *mutatione rei, irritatione, relaxatione, dispensatione, commutatione*. Primum *mutatione rei* solvitur, si, quod quis facturum se jurejurando receperat, cum possibile atque honestum esset, lapsu tem-

CXI.IX.

An, & qua ratione solvi possit?

* Hinc David, qui temere juraverat in sanguinem Nabal, per Abigail admonitus vindictæ propositum, uti debuit, dereliquit. Contra Herodes stultissima impietate quod iusjurandum, quod fecerat, abscindi iussit caput Joannis.

temporis illicitum reddatur, vanum, aut impossibile: ut enim initio nullam vim habet jurata promissio rei impossibilis, aut inhonestæ; ita eam amittat, necesse est, quando materia talem mutationem subit. Non tamen e converso roboratur etiam, si res ex turpi postea honesta, aut possibilis ex impossibili evadat: onerosa enim res est jusjurandum, & ad mentem jurantis stricte interpretanda; ergo ad aliam rem extendi non debet.* Solvitur dein *irritatione*, cum is, qui subjectam sibi habet jurantis voluntatem, ejus promissionem, quamvis juratam, irritam esse vult atque pronunciat: cum enim nullius violandum sit dominium, possitque omnis Dominus suo jure uti; procul dubio etiam eorum promissiones, quorum voluntates ipsius arbitrio subjacent, irritas velle potest. Præterea irritum potest reddere alterius jusjurandum Dominus rei, quæ in promissum venerat, negando ejus usum: non enim tenetur eam cedere illi, qui jus de ea disponendi non habet. *Relaxatione* vero solvitur, dum is, in cujus favorem juratum est, obligationem remittit: in ejus namque potestate est, datam sibi fidem vel exigere, vel, quoad voluerit, condonare. Quo etiam referri potest relaxatio necessaria, cum scilicet mutuo datam fidem altera paciscentium pars violarit: tum enim

* Unde natum est illud: *Non firmatur tractu temporis, quod initio non subsistit.* Reg. jur. 18. in 6.

enim pars læsa stare pacto, licet iurato, neutiquam tenetur; quippe quod perfidia alterius solutum est. *Dispensatione* item solvi potest ab eo, cui voluntas jurantis sacris etiam in rebus subjecta est: quod quidem absolutionis genus, ubi agitur de obligatione naturali, qualis est, quæ ex iurejurando nascitur, nisi per irritationem fieri nequit. Vid. *P. 2. n. 40.* *Commutatione* demum non tam solvitur, quam commutatur iurisjurandi obligatio, cum videlicet ejus materiæ alia honesta sufficitur; id quod facere non modo ii possunt, qui in potestate sua habent voluntatem jurantis, sed etiam ipse jurans melius aliquid subrogando, si quidem id citra læsionem ejus, cui juvarat, possit fieri.

CAPUT VIII.

De Officiis erga alios Hypotheticis, ubi de Dominio, ejusque acquirendi modis.

Duas in classes *Perfecta* hominis erga alios officia dividimus, in quarum alteram retulimus *Absoluta*, in alteram *Hypothetica* officia. Postquam igitur illa prioris generis superiore capite expeditimus; doctrinæ ordo postulat, ut jam hæc generis posterioris persequamur. Cum vero Hypotheticorum officiorum præcipua ratio in eo sit reposita: ut ne quemquam

CL
Connexio.

P

læ-

lædamus in iis bonis, quorum ex facto aliquo dominium acquisivit; prius, quam illa exponamus, de rerum dominio differendum videtur.

CLI.
 Quid Do-
 minium,
 proprietas,
 Communio?

Illud primum scire interest, quid Domini nuncupatione veniat. Missis ambagibus & inutilibus verborum tricis, quas ex jure civili ortas simplex natura refugit, præcisse ajo, in quod facile omnes tandem convenient. *dominium* esse jus seu facultatem, alios usu rei alicujus excludendi. Detentio vero rei, cujus usu alios exclusos volumus, *Possessio* appellatur. Jam vel competit alicui jus omnes alios ab usu rei excludendi, vel exceptis quibusdam omnes reliquos: si primum, res in *Proprietate*; si secundum, in *Communione positiva* esse dicitur. Hæc aut *Æqualis* est, cum ex æquo omnibus jus in re communi convenit; aut *inequalis*, cum alter altero plus minusve juris in illa habet. Quæ autem ita sunt in medio omnibus exposita, ut nec uni nec pluribus jus conveniat alios usu eorum excludendi, ea in *communione negativa*, quia in nullius dominio, posita dicuntur. Ex quibus intelligi potest, quid perfectum, quid imperfectum sit dominium. *Perfectum* nempe, quod alias *insolidum* dicitur, est jus & utendi re, i. e. omnem utilitatem ex ea capiendi, & alios omnes ejus usu excludendi: adeoque tum proprietatem, tum etiam usum fructum complectitur: unde tanquam effectus nascitur jus rem vindicandi, alienandi, & quomodolibet de ea disponendi. Contra vero *imperfectum*

Etiam dici solet, quod alterutram tantum perfecti domini partem continet: & quidem, si proprietatem contineat sine usu fructu, dicitur dominium *Directum*; sine usum fructum sine proprietate integra, vel ejus parte, *Utile* appellatur.

Quod igitur ad dominium rerum, quod hominibus convenire potest, attinet, illud imprimis extra dubitationem esse videtur, providentissimum Autorem naturæ jus quoddam hominibus utendi rebus, quas tellus habet, concessisse. Cum enim homines, quos condidit, existere ac conservari, velit, procul dubio etiam vult eos mediis uti, quæ necessaria sint ad semet conservandos: jam vero hominum ea est conditio, ut se conservare nequeant, quin rebus externis utantur: quis ergo iis jus utendi rebus creatis neget? Nec modo quæ ad simpliciter vivendum, sed etiam quæ ad commode vivendum faciunt: iis homines jure uti posse, ex bonitate Dei conficimus; qui ut hominem cæteris rebus præstantiorem sibi que similiorem efformavit, ita etiam præ cæteris amant, ac propterea liberalius jus concedit, dum ne homo eo abutatur. * Illud quidam olim in dubium revocabant, an brutis etiam vesci homini ad se conservandum liceret; propterea quod illa citra injuriam videantur

CLII.
Quid juris
homini in
res crea-
tas.

P 2

tur

* Perस्पекте Cicero libro 1. de leg. *Ad hominum commoditates & usus tantam rerum utilitatem natura largita est, ut ea, quæ gignuntur, donata consulo nobis, non fortuito nata videantur.*

tur trucidari non posse, * neque necessarium sit homini id nutrimenti genus, immo insalubre etiam, & ad efferandos homines aptum. Verum hæc facile diluuntur. Imprimis enim homini nulla cum brutis juris est communio: ergo nulla iis fit injuria. Dein, ut non sint cibus necessarius, sunt certe commodior, adeoque ad melius habendum homini a Deo concessus. Demum si qua insalubritas in corpus, aut feritas in mores transfret, id profecto ex ingluvie, non moderato usu metuendum esset.

CUIII. Jam si Deus hominibus utendi rebus *Principio* creatis jus esse voluit, quæri potest, an *omnia in* iisdem etiam concesserit potestatem alios *communio-* earum usu excludendi? Non consentiunt *ne negativa* hic juris naturæ interpretes. *fuere.* Principio res omnes in communiōne negativa fuisse, Puffendorffius & plerique alii existimant: at Grotius positivam adstruit communiōnem. Mihi prior sententia magis probatur. Etenim, cum Deus primis hominibus res telluris, quæ ad conservandam, commodeque ducendam vitam pertinerent, utendas fruendasque dederit; profecto voluit etiam, ut ne quisquam earum usu ab ullo excluderetur: adeoque principio rerum omnia in medio omnibus erant

* Error hic ex refutata jam pridem a sanioribus Philosophis metempsychosi manavit: siquidem ex illa Pythagoras ipse το κοινὸν δικαίον ψυχῆς *commune jus animæ* hominem inter ac bruta constituit apud Laert. l. 8. c. 13.

erant exposita, nullius subjecta vero dominio, omnia in communione negativa. Sed neque necessarium, immo etiam inutile futurum erat primorum hominum conditioni jus illud alios excludendi; quicum & pauci essent numero, & rerum copia abundarent, sine tali jure vitam non utcunque modo, sed suaviter etiam agere potuere.

Non diu tamen in primæva illa communione hominibus manere licuit: necessitas effecit, ut ab ea sensim discederent, & quæ prius in medio res erant omnibus eas suæ inciperent subjicere potestati. Quippe, multiplicato humano genere, ac diffusis late per orbem, inque familias distributis hominibus, res aliquæ exhauriri cœperunt, ut jam tantæ multitudini haud sufficerent, ac proinde vita hominibus ægre trahenda videretur: id ergo causæ fuit, ut res; omnibus non suffecturæ, sublata communione negativa in dominium venirent; dum interea aliæ, quæ inexhausti essent usus, in medio

CLIV.
Ab ea jure
discesserunt
homines.

P 3

omni-

* Non obscure negativa hæc communio in SS. Litteris Gen. 1. v. 28. & 29. indicatur. Nec sine ratione Poetæ aureum sæculum ea de re commendarunt, quo tempore, ut ait Virg. Georg. l. 1.

- - Nulli subigebant arva coloni,
Nec signare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat: in medium quærebant: ipsaque tellus
Omnia libèrius, nullò poscente ferebat:

omnibus communes relinquerentur. Unde liquet, conversionem illam non injustam fuisse: cum enim leges affirmantes, qualis erat illa, ut homines in communione negativa viverent, non jubeant superare extremam aut gravem etiam necessitatem: certe urgente ea, quam diximus, necessitate, poterant jure homines negativam communionem cum dominio rerum commutare. Sed neque hoc institutum conjunctum fuit aliorum: nam injuriam ille demum infert alteri, qui ejus rem tollit aut vitiat; at in eo hominum statu, ubi nulli jus rerum usu excludendi alios competebat, nemo erat, qui suum dicere posset aliquid, igitur, qui primi res in medio posita ita sibi vendicarunt, ut alios earum usu excluderent, nulli intulere injuriam.

CLV.
*Uti & a
 communio-
 ne positiva.*

Postquam ita res e communione negativa in dominium transferunt, in communione positiva aliquamdiu fuisse non improbabilis est conjectura. Homines enim, qui in unam aliquam societatem convenerant, sanguine fere junctos, & primæva adhuc in animis vigente caritate, cum præsertim etiam regio, quam occuparant, res omnibus sufficientes haberet, credibile non est, ita rerum dominium sibi vendicasse, quin eas aliis in eadem societate degentibus communes vellent, quamvis ab earum utu excluderent distinctas a sua societates. * At ex quo

* Hujus communionis speciem quandam videre.

quo animos livor, cupiditas, avaritia obsidere, frequentiaque hominum majorem in modum excrefcere cœpit; rursus necessitas eos impulit, ut commune dominium ad privatum redigerent; atque ita inveherent dominium proprietatis. Ita ergo patet, homines rerum externarum dominium non accepisse a natura, sed suo aliquo factô acquisivisse; ac nihilominus id non fuisse contra, sed magis secundum jus naturæ, quippe quod necessarium erat ad felicitatem humani generis, cui providentissimum Numen semper consultum voluit. *

Modi jam, quibus rerum dominium olim inventum est, & acquiri etiamnum potest, duplicis fere sunt generis. Vel enim res in comunione negativa est & extra dominium; & tum locum habent modi acquirendi *Originariis*: vel est in dominio; & modi acquirendi ejus dominium

QLVI.
Qui sint
modi ac-
quirendi
dominii?

P 4

Deri-

dere est in familiis Patriarcharum post diluvium. Cum primis autem viguit in primorum Christianorum Ecclesia, ac hodieum in pluribus sacris familiis viget. Sed & apud barbaras gentes usitatam fuisse, tradunt veteres Scriptores, Plato, Thucydides. Justinus &c.

- * In hunc sensum Ambros. l. 1. de off. c. 18. *Natura, inquit, omnia omnibus in communi profudit, sic enim Deus generari jussit omnia, ut partus omnibus communis esset, & terra foret quædam possessio communis. Natura igitur jus commune facit, usurpatio jus fecit privatum.*

Derivativi dicuntur. Prioris generis sunt *Occupatio*, qua ipsam rei substantiam acquirimus; tum *Accessio*, qua acquiritur incrementum, quod rei occupatæ accedit. Ad posterius genus pertinent *Divisio*, *Cessio*, *Translatio*. Nempe quæ sunt in dominio, vel in communiione positiva existunt, vel in proprietate: si primum, acquiruntur divisione & cessione; si alterum, traditione: nec ullum est cogitare modum acquirendi derivativum, quin ad aliquem horum facile reducatur. De singulis nunc agendum; ut, quæ ex illis proficiunt officia, rectius intelligantur: ac primum quidem de modis originariis.

CLVII.
*Quomodo
 occupatio
 ne acquiratur
 Dominium?*

Occupatio est apprehensio possessionis rerum in medio positarum. Ut per eam dominium acquiratur, animi corporisque adminiculo opus est. Nam, si dominium est jus alios rei usu excludendi; cui animus ad excludendos alios deest, is certe jus excludendi, quod ab ejus pendet arbitrio, non acquirit. Dein, cum occupatio sit apprehensio possessionis, possessio vero detentio rei, cujus usu alios exclusos volumus; manifeste patet, non satis esse animum rem sibi vendicandi; sed requiri corpoream etiam rei attretationem. Itaque nec ille, qui animum tantum habet usu rei alios excludendi, nec qui eam corpore duntaxat apprehendit sine animo excludendi alios, fit dominus rei in medio constitutæ; ac proinde utroque adminiculo opus est, ut occupatione ejus dominium acquirat. Id

ta-

tamen certum, diserta vel tacita hominum consensione effici, ut alia quoque signa, quibus quis animum rem sibi habendi explicat, vicem corporeæ apprehensionis ob-
eant: ut si quis vacuo prædio titulum suum affigat, vel ramum ex arbore decerp-
pat, cum significatione, se id animo rem suam faciendi agere. Porro in migratione gentium, vel tota aliqua regio ab omnibus occupatur, vel partes ejus singulæ a singulis: prior occupatio *per Universitatem* fieri dicitur; altera *per Fundos*: cum vero adeptio domini ex animo quoque occupantium pendeat; fieri sane potest, ut, dum singuli singulas regionis partes sibi faciunt proprias, tota nihilominus regio sit reipublicæ vel rectoris.

Ex his etiam patet, earum tantum re- *CLVIII.*
rum dominium occupatione acquiri posse, *Et quarum*
quæ sunt nullius. Nullius autem esse di- *rerum?*
cuntur, quarum usu vel nemo unquam
alios jus excludendi habuit; vel, si quidem
habuerit aliquis, eo tamen jure se ultro ab-
dicavit, quæ res *derelictæ* dicuntur. Qua-
re si quis dominus rei fuit, eamque casu
aliquo, furto, raptu, incendio, vento a-
misit, vel naufragii metu projesit, eam oc-
cupando nemo facere suam potest; cum
dominus non abjecerit animum eam sibi
habendi nec proinde sit res vacua aut de-
relicta. Contra, si res semper fuit extra
dominium, aut dominus eam sciens pru-
densque abjecit, vel amissam ipse pro
derelicta habeat; quoniam nulli est jus ali-

CLIX.
*An pisci-
 um, ferra-
 rum, avi-
 um?*

os usu rei in medio positæ excludendi, ea merito cedit occupanti.

Hinc & illud consequitur, venationem, piscatum, aucupium, species esse occupationis licitas, non modo desertis in locis, verum etiam in subjectis alicujus dominio; siquidem ferarum, piscium, volucrum tanta sit multitudo, ut omnibus sufficere videantur: nam res inexhausti usus, semper in medio positæ existimantur, præsertim si locis circumscribi nequeant. At ubi non ea est copia, quin metuendus sit tot specierum interitus, si capiendi jus omnibus promiscuo concederetur, ideoque suis locis contineri valeant; jure potuerunt occupari ita, ut alii venatione, piscatione, aucupio excludantur. Facile etiam quisque intelliget, jus venandi non extendi ad animalia mansueta, quippe in dominio constituta; neque ad feras, quæ suis detinentur custodiis; sed ea duntaxat, quæ cælum, terram, aquam habitant, nullius subjecta dominio. Quod si etiam animal e custodia evaserit, illud quidem occupantis non fiet nisi domino nulla sit amplius spes illud recuperandi: nam si habet spem reliquam, profecto nec animum recuperandi abjecisse videtur.

CLX.
*An Domi-
 nium Ma-
 ris?*

Celebris hoc loco est quæstio de dominio maris, inter Anglos & Batavos multum olim agitata, hinc Grotio mare liberum, hinc Seldeno clausum asserente. Res paucis definiri potest. Duplex est maris usus: navigatio; & piscatio, piscium, gemmarum, &c. Primus, spe-
 clato

Stato jure naturæ, omnibus permitti debet, non quod mare corporea apprehensione ita occupari non possit, ut alii navigatione excludantur, quod aliqui frustra obtendebant, an non enim portibus, navibus, propugnaculis; præsertim ad promontoria & freta occupari potest? sed quia hunc usum omnibus esse liberum communis tot gentium, felicitas exigit: nam non omnis fert omnia tellus; ergo nationibus interjecto mari disitis necessarium est commercium, quo altera alteram suis opibus juvare possit. Haud equidem negaverim, jus esse genti, quæ mare aliquod occupat, navigatione gentem exteram excludendi, quando hæc illi infesta aut perniciofa esset: verum id non occupationis, sed defensionis jure, quo ut homo contra hominem, sic gens contra gentem a natura munitur. Jam quod alterum usum, piscationem nempe spectat: si res exhausti sint usus, & extra dominium positæ, poterunt jure occupari & in dominium redigi, sic ut alii piscatione arceantur.

Quæritur etiam, an rerum bello captarum dominium captatur? Occupatio- CLXI.
 nis jure non acquiri, inde conficitur, quod An rerum
 res tantum in medio positæ occupanti ce- bello capta-
 rant: quis vero in medio positas res ho- rum?
 stiles dixerit, quas hostis sibi retinere, pro
 quibus defendendis pugnare jure potest?
 * Ergo alia ineunda est ratio, qua occupa-
 tio-

* Nequidquam ergo Puffendorffius I. N.
 & G. l. 4. c. 6. §. 14. contendit, in
 bello

pationes bellicæ a furtis & rapinis fecerantur. Ac imprimis id satis exploratum est, occupationes bellicas, non nisi in bello justo, justas esse. Justum autem est bellum, cum populus aliquis aut suum jus defensione inculcata tuetur, aut ablata repetit. Quare si vel ad vindicanda jura, vel ad ablata recuperanda, necessarium sit nervos hosti succidere, arma, urbes, divitias auferre; quin id juste fieri possit, nemo ambiget. Dein cum nulli suum jus damno esse debeat, facile patet, confecto bello juste retineri posse res hostiles, quoad opus est ad belli impensas faciendas. Postremo & illa, quæ restituta hostem iterum contra nos armarent, retinere licet. Atque ita manifestum videtur, res bello captas, non occupationis, sed belli, sed defensionis, sed necessitatis jure in occupationium potestatem transire.

CLXII.

*An inventi
thesauri?*

Id multo certius est, dominium rerum, quas quis invenerit, occupatione ac-

bello res hostium in ordine ad alium hostem reddi veluti dominio vacuas; non quod hostes per bellum ipso jure rerum suarum dominii esse desinant, sed quia illorum dominium non obstat hosti, quo minus eas res auferre, sibi que habere possit. Quod si ita esset, illud præterea sequeretur, res hostiles fieri vacuas ob majorem alterius hostis potentiam adeoque jura in viribus & armis esse posita; quod plane Hobbesianum est, nec Puffendorffius quidem ipse dixerit.

acquiri, si quidem illæ fuerint nullius, aut pro derelictis habeantur: cum enim earum usu nemo alios jure excludere possit, si inventor eas cum animo sibi habendi apprehendat, nullius injuria suas faciet.* Huc ergo etiam pertinet inventio thesauri, de cujus priore domino nullis certis indiciis vel argumento constat: est enim res derelicta, ac proinde merito inventori cedit. Id quod in dubium revocari non potest, si quis thesaurum seu fortuito, seu ex industria quæsitum, inveniat in loco, cujus ipse dominium habet, aut in loco extra ullius dominium posito. Sed si in solo alterius, multum interest, casu invenerit, an quæsierit malo dolo: si posteriore modo, thesaurus ut pars soli ad dominum pertinêbit; si priore, æquitas naturalis suadet, ut inventoris quoque ratio habeatur: ideoque Jus Civile Romanum, fortuito inventi thesauri semissem unum inventori, alterum domino soli adjudicat. (a)

Alter modus acquirendi dominium originarius est *Accessio*, quæ domino substantiæ acquiritur jus sibi habendi etiam incrementa, quæ ad illam accedunt. In-

CLXIII.
Quando
acquiratur
dominium
accessione
naturali?

* Probari ergo vix potest lex Stagiritarum, Bilibiensium, Atheniensium: ἂ μὴ ἔδδς, μὴ ἀδύνη, quæ non posuisti, ne tolle; nisi forte intelligenda sit de rebus amissis, quarum recuperandarum dominus animum non abjecit.

(a) L. un. c. de thes. & §. 39. I. de R. D.

crementum autem res accipiunt vel naturæ beneficio, vel humana industria, vel natura & industria simul: hinc accessiones aliæ *Naturales*, aliæ *Industriales*, aliæ *Mixtæ* dicuntur. Quod ad naturales atinet, videndum est, an res, quæ ad nostram accedit, dominum aliquem habeat, an sit nullius, aut ejusmodi, de cujus domino nihil constet. Priore casu manifestum est, incrementum non fieri nostrum; quia dominus illud jure sibi vindicare potest: posteriore autem, cum nemini sit jus alios usu rerum nullius excludendi, ea nostro accedit dominio.

CLXIV.

*Fectura, compactio-
ne insulæ,
alluvione,
mutacione
alvei.*

Ex quo principio facile est statuere, quando acquiratur dominium per singulas res naturalium accessionum species: quales sunt *Fectura*, *compactio nova insulæ*, *Alluvio*, *Alvei mutatio*. Igitur primo quæ ex animalibus dominio tuo subjectis nascuntur, jure naturali tibi adveniunt: ut lac, pilus, lana, & foetus ipsi. *Secundo*. Insula, quæ in mari aut flumine nullius nascitur, fit primum occupantis; alias fit illius, cujus est flumen aut mare: nam de domino particularum terræ, quæ demum in insulam coalescunt, constare non potest. Si flumen superius divergens, & inferius alveo suo junctum, agrum cujuspiam in intulæ formam redegit, is non accedet fluminis domino: constat enim de domino agri. *Tertio*. Quod alluvione agro tuo flumen tacite ac paulatim adjectu, tibi acquiritur: non enim constare potest de domino particularum tacite adje-

Sta-

Starum. * Contra si conspicua terræ portio ex agro alterius domini vi fluminis abrepta tuo agro adglutinetur, cum de domino illius portionis constat, illius manet. *Quarto.* Si flumen mutaverit alveum suum, vetus alveus erit illius, cuius ante flumen fuerat: alveus enim est velut pars fluminis. Eandemque ob causam alveus, quem flumen tuo in solo sibi apperuerat, iterumque deserit, tuus erit. Aliud dicendum foret, si perpetua esset inundatio, ut jam mare sit, ubi Troja fuit: tunc enim, quia nullus ejus soli est usus extinctum videtur tuum dominium.

Species accessionis industrialis sunt: *CLXV.*
Specificatio; Adjunctio per inclusionem, inaccessionem, intexturam, scripturam, picturam; Confusio atque Commixtio. De quibus id *Quando accessione industrialis?*
 universe ex Heineccio (a) notandum: res jungi vel utriusque voluntate domini, vel altero invito. Priore casu uterque fit dominus pro rata, & communio positiva inducitur, ut consideranti facile patebit; in altero distinctione est opus. Vel enim res
 no-

* Jureconsultis plerisque §. 22 I. de R. D. l. 7. §. 3. l. 29. l. 30. §. 1. ff. de acquir. dom. visum est, insulam cedere dominis vicinorum prædiorum; & quidem utriusque ripæ. si in medio flumine nata sit; alias ei, cuius ripæ fuerit vicinior. Sed hujus non apparet ratio, cum non constet de domino particularum, & hæc probabilius non a vicinis, sed superioribus agris avulsæ sint.

(a) I. N. & G. l. 1. §. 256 seqq.

nostra deterior per accessionem efficitur, vel melior ac præstantior: si deterior, is, qui eam accessione industriali deteriore reddidit, cum læserit nos, tenetur accepta re corrupta omne nobis damnum resarcire: si vero effecta est præstantior aut melior, videndum erit, an res junctæ separari sine notabili dispendio possint, necne? Si possunt, cum utrique domino sit jus alterum usu rei suæ excludendi, nec excludere tamen nisi rebus separatis possit, res separandæ sunt, & sua cuique tribuenda: si autem sine dispendio separari nequeant, res junctæ alterutri domino cedent, sic ut idem tamen ad æstimationem rei, quæ ei accessit, alteri præstandam obligetur. Sed, ut junctæ res alterutri addicantur, justam utique oportet esse aliquam causam, cur alter alteri præferatur: justa videtur non posse esse alia, quam majus rei unius præ altera pretium, seu præstantia, quam ex raritate & affectione rei, ex arte, cura, & cultura æstimare solemus: ei igitur res junctæ adjudicandæ erunt, cujus fuerit res præstantior; nec proinde semper *accessorium sequitur rem principalem*, quod Jureconsulti axiomatis instar habent; cum accessorium sæpe quid præstantius sit suo principali.

CLXVI.
*Specificati-
 one, ad-
 junctione,
 confusione.*

Quibus ex regulis hæc consequuntur.
Primo. Cum quis alienam materiam specificat, id est, novam ei formam inducit; si forma pretio superet materiam, ut si quis ex alienis tabulis navem fabricavit, nova species cedit specificanti:

con-

contra vero ad dominum materiæ pertinebit, si hæc pluris æstimerur, quam forma, quæ alterius opera accessit, ut e. g. vas vel signum ex alieno auro confectum. Priore tamen casu specificans æstimationem materiæ domino præstare, altero dominus materiæ specificanti pretium operæ rependere debet; nisi forte specificans mala fide egerit. *Secundo.* Si quis rem alienam suæ per inclusionem adjunxit, ut si gemmam alienam inseruit suo auro, cum res hoc modo junctæ ut plurimum citra notabile dispendium separari possint, sunt separandæ; adeoque suo aurum domino, suo gemma reddenda. Idem dicendum de adjunctione per intexturam foret; verum quia res intexta plerumque separari nequit, quin deterior aut omnino inutilis reddatur, ea quidem accedet intextenti, sed cum onere ad resarciendum damnum alteri. *Tertio.* Scripturæ & picturæ majus est pretium, quam chartæ aut tabulæ: igitur charta scriptori, tabula pictori cedit. Quod si etiam quis in tua charta aut tabula ineptias scripsit vel pinxit, eas tamen sibi habebit, præstita tibi æstimatione; cum corruerit materiam tuam, tibi que inutilem reddiderit. *Quarto.* Ædificium cedit solo: quia sine dispendio dissolvi non potest. Quare si quis ex aliena materia in suo solo ædem posuit, sibi posuit; pretium tamen pro materia domino reddere tenetur.* Sin ædificium struxit in

Q

solo

* Quod si ædificium commode dissolvi possit, quia constructum e. g. mere ex tignis ligneis;
non

solo alieno sua materia, illud ad dominum soli pertinebit; &, si mala fide egit, nullum potest jure exigere pretium. Quod si tamen ædificium inutile foret soli domino, ædificator retento sibi ædificio, soli æstimationem domino præstare tenebitur. *Quinto.* Res liquidæ, ut vinum, mel, inter se confusæ, aut solidæ, ut grana frumenti, inter se commixtæ, veniunt in communionem positivam, si confusio aut commixtio utriusque domini voluntate facta sit. Sin autem invito altero domino, miscenti vel confundenti cum onere persolvendi pretii acquiruntur; cum hic rem alterius deterio-rem aut inutilem plane reddiderit; quod ita intelligendum, nisi alter partem materiæ mixtæ aut confusæ malit quam pretium, tunc enim res iterum in communionem venit.

CLXVII. Mixtæ demum accessiones sunt *Satio* atque *Plantatio*, quæ iisdem principiis nituntur, quæ pro naturali & industriali accessione produximus. Itaque planta cedit solo, seu suam alieno, seu alienam quis plantam suo solo imponat, modo radices jam egerit; tunc enim non potest amplius commode separari. Idem dictum esto de semente in
agro

non est, cur non dissolvatur, & tigna domino reddantur, dum ne illi inutilia futura sint. Nam quod decemviri tignum junctum solvi vetuerint *l. i. ff. de tigno juncto*, ratio tantum civilis est, ne scilicet urbes ruinis deformentur.

agró sparfa. *Æstimationem* tamen plantarum feminumve, & impenfarum, quæ in culturam factæ sunt, dominus foli præstabit. Si necdum radices egit planta, adeoque separari sine dispendio possit, jus est domino eam sibi vendicandi. Planta vel arbor radices in utriusque vicini fundum implectens, pro rata utriusque vicini est: nam & qui eam plantat, consentit, ut radices in fundum vicini immittat; & consentit quoque vicinus, dum alterum usu sui fundi, ut posset, non excludit: ergo utriusque consensus rem facit communem.

Veniamus ad modos acquirendi dominium derivativos. Res in dominio positæ vel sunt communes pluribus, vel uni propriæ: si ex re communi quis partem aliquam cum proprietate acquirat, id fit *Divisione*; si totam, *Cessione*: si res alterius propria eo volente in tuum transeat dominium, id *Traditione* perficitur. In quolibet horum modo intercedit *Alienatio*, cum vel totum vel pars totius alteri amittatur, acquiratur alteri: eaque aut *Necessaria* est, si profiscatur ex anteriore acquirentis jure; aut *Voluntaria*, si de novo, utroque consentiente decernatur. Rursus alia *Pura* dicitur, alia *Conditionalis*; hæc translationem dominii a circumstantia aliqua suspendit, non illa. Denique alienatio fit vel *in prasens*, cum dominium nostrum nobis vivis; vel *in futurum*, cum post facta nostra in alterum transit.

CLXVIII
Qui modi
acquirendi
derivativi?

Q

Divisio

CLXIX.
*Quomodo
 acquiratur
 dominium
 divisione?*

Divisio itaque est rei in communione positiva constitutæ distributio, sic, ut cuiusvis sociorum pars aliqua fiat propria. Justum esse potest hoc acquisitionis genus, ad impedienda multa incommoda, invidiam, fraudes, jurgia, quæ ex communione nascuntur, quæque propterea necessitatem quamdam imponunt, ut commune dominium in proprietatem singulorum convertatur: quam ob causam cuique sociorum est jus ad divisionem provocandi. Ubi tamen singuli socii jure hoc volentes se abdicarunt, satisque adversus illa incommoda cautum est, ut in sacris familiis, nefas fuerit divisionem petere, aut sibi quidquam velut proprium vindicare. Quando autem fit divisio, advertendum est ad naturam rei communis, & ad jus, quod singuli in ea communione habent. Res communis vel dividua est, vel individua: dividua, si divisio jure postuletur, procul dubio tot distribuenda est in partes, quot sunt socii: individua vel uni sociorum est relinquenda, præstita ceteris æstimatione; vel justo pretio vendenda, quod postea in singulos dividatur; vel denique ejus usus per vices singulis concedendus. Jus deinde in re communi vel æquale est singulis, vel inæquale: priore casu res æquas in partes dividenda erit; posteriore, cum proportione ad jus singulorum: id nempe justitia distributiva exigit. Quod si jus sociis in re communi non sit perfectum, sed eam aliquis ex benevolentia communem faciat; profecto in hujus erit arbitrio, seu æqualem,

lem, seu inæqualem partitionem facere, nec poterit sociorum ullus de injuria queri. *

Cessione rem communem socii in unum transferunt, eique propriam totam faciunt. Ex quo duo consequi necesse est. Primum, ut quemadmodum unus in omnium reliquorum locum succedit, sic idem succedat etiam in eorundem tum jura, tum onera, quæ illi rei adnexa sunt: atque hinc recte Juriconsulti Romani easdem exceptiones dant adversus cessionarium, quibus contra cedentem locus fuisset. (a) Deinde, cum socii in unum transferant rei dominium; id est jus alios omnes usu illius rei excludendi, haud dubie id efficere debent, ut is eam sibi habeat; adeoque tenentur ad evictionem ei præstandam, & si alius rem jure & sine culpa possessoris evicit, ad reparandum damnum.

CLXX.
Quomodo
Cessione?

Traditione acquiritur dominium, cum dominus, qui jus & voluntatem alienandi habet, illud in alium transfert. Hic tria in considerationem veniunt: tradens, accipiens, & traditionis ratio. In eo, qui tradit, & jus & animus alienandi requiruntur: quare nullum effectum habebit traditio

CLXXI.
Quomodo
Traditione?

Q 3

* Injusta ergo fuit querela operariorum *Matth. 20.* qui cum mercedem ex conventionem suam accepissent, ægre ferebant alios, qui minus operæ fecissent, sibi æquiparari.

(a) *L. 5. C. de hæred. vel act. vend.*

ditio facta ab illo, qui non est rei dominus, aut cujus dominium lege, conventionem, aliave ratione ita est ligatum, ut alienare nequeat: nullum etiam facta ab infante, furioso, mente capto, aliisque id genus hominibus, qui, quid rei geratur, non intelligunt, aut non intelligere præsumuntur. Jam & accipiens debet esse domini capax, animumque ad rem sibi habendam; personæ ergo jure inhabiles dominium rei traditæ non acquirunt; uti nec ille, qui eam non acceptat; acceptare autem quis censetur aut vere, quando consensum suum verbis, vel factis testatur; aut ex præsumptione, cum ex ipsa rei indole non potest non intelligi, eum rem non aspernaturum. Quod ad modum traditionis attinet, jus quidem Romanum rem ipsam, ejusque possessionem tradi vult; (b) sed in jure naturæ nulla sat idonea invenitur ratio, quæ id exigat; cum, fatentibus ipsis jureconsultis, *nihil tam conveniens sit naturali æquitati, quam voluntatem domini, volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi.* (c) Unde conficitur, omnem domini voluntatem de transferendo suæ rei in alterum dominio, seu diserte explicatam, seu ex certis signis elicitam, dominium in alterum valide transferre; perinde quoque esse, si quis absens verbis scriptisve literis, si præsens in manum, si per inductionem in rem, si per longam brevemque manum, si per symbolum, tradi-

(b) L. 20. C. de pact.

(c) §. 40, I. de R. D. L. 9. ff. de acq. rer. Dom.

ditionem vel quasi traditionem faciat; nihil interesse denique, seu dominus ipse, seu ejus voluntate, mandato, vel approbatione quis alius rem tradat.

Cum igitur vis ac effectus traditionis ex animo domini tradentis pendeat; facile patet, si dominus translationem e conditione aliqua suspendat, dominium in alterum non transferri, nisi conditione impleta: hinc merito, res vendita traditaque non fit emtoris antequam hic pretium persolvat, aut pignore vel fidejussione satisfaciat. * Nec minus intelligi potest, in potestate esse domini rem suam ita transferre in alterum, ut sibi juris aliquid in eandem reservet, unde oritur dominium imperfectum seu minus plenum, cum videlicet accipienti datur Jus omnem ex re utilitatem percipiendi, aliosque usu & perceptione fructuum ac utilitatum excludendi, manente apud tradentem jure vel concurrenti ad dispositionem rei, vel aliquid in agnitionem domini exigendi, quorum posterius dominium *directum*, illud anterius *utile* appellatur. Porro domini utilis variae sunt species: est *Feudum*, conjunctum cum onere fidelitatis & certi obsequii domino directo exhibendi, nec alienandi rem sine ejus consensu: est *Emphyteusis*, cum obligatione solvendi canonem annuum in agnitionem domini directi: est *Jus superficies*, seu jus fruendi superficie alieni soli, ædificando, plantando &c. aliæque innumeræ, prout do-

CLXXII.
Quid domi-
nium minus
plenum,
ejusque spe-
cies?

Q 4

minus

* S. 41. l. de R. D.

minus tradens plus minusve juris sibi retinet, & accipientis dominium his vel aliis limitibus circumscibit. Demum si non res ipsa ejusve dominium, sed usus aliquis traditur, huic, qui usum accipit, acquiritur in re aliena *servitus*: quæ vel *Personalis* est, si usus ad utentis personam restringatur; vel *Realis seu Prædialis*, si concedatur ipsi utentis prædio, adeoque & omnibus in illo successoribus.

CLXXIII Præterea, cum in tradente animus alienandi transferendique domini requiratur, consequens est, ut dominium in alterum non transeat, si dominus rem commodandi duntaxat, deponendi, oppignorandive animo ei tradiderit. Quod ad pignus tamen attinet, dubium non est, illud a dominio ita creditori tradi, ut maneat quidem in dominio tradentis, creditor tamen illud in securitatem crediti possideat: ex quo nascitur creditori *jus pignoris*, quod jus si creditori constituatur sine traditione, *hypotheca* vocatur; ejusque effectus est, ut creditori liceat, debito non soluto rem oppignoratam non modo retinere, verum etiam vendere, & ex venditæ rei pretio, quantum sibi debetur, deducere; similiter autem & in hypotheca idem possessionem persequi, ac tum illam, ni debitum expungatur, vel retinere vel distrahere possit.

CLXXIV Quæ diximus, de traditione inter vivos, *Testamenta* sive in præsens facta procedunt: traditio in non sunt *juris natura*. futurum fit per testamenta. *Testamentum* Puffendorffius ex mente Jureconsultorum Roma-

Romanorum definit esse *declarationem voluntatis nostræ, circa successores in bona nostræ post mortem nostram, quæ tamen ante mortem pro libito nostro sit mutabilis & revocabilis.*

Hic jam quæritur, an talia testamenta ex jure naturæ vim ac efficaciam suam obtineant? De qua re ita constituendum puto: ut dominium bonorum post mortem testatoris, spectato jure naturæ transire non debeat ad hæredes, nisi illud ante mortem testator in eos transtulerit. Ratio patet manifesta: nam alienatio domini fieri non potest, nisi existente dominio; morte autem extinguuntur dominia, adeoque & potestas alienandi, nisi ergo dominus ante mortem dominium in alios transtulerit, quantumvis velle se significet, ut sibi post mortem ab illis succedatur, dominium in illos post mortem domini nullum transibit. Non latuit vis hujus argumenti Jureconsultos Romanos: ideo momentum mortis testatoris idem esse cum momento testamenti factio- nis, & cum momento aditionis hæreditatis finxerunt. Sed ejusmodi fictiones simplex natura ignorat.

Licet vero hæc ita sint; negare tamen non possumus consentaneum esse juri naturæ, ut testamenta rata serventur, ubi ea non pugnant cum felici reipublicæ statu. Intereest enim tranquillitatis publicæ ita omnibus esse persuasum, ut de rebus suis disponere possint post mortem; ac intereest maxime ipsius testatoris, ut testatus potius quam intestatus decedat. Singulæ ergo hic est favor, nec tamen juri naturæ contrarius

CLXXV.

*Ea tamen
servare
æquum est?*

trarius, quem leges civiles testatori concedunt, cum ultimæ eius voluntati moralem dant perseverantiam, eique sua autoritate assistunt; quo bona, alias vacua futura & pro derelictis habenda, vel ad eos, quos ipse voluisset, successores perveniant.* Dixi autem; *ubi ea non pugnant cum felici reipublicæ statu*: nam cum testamenta a jure civili robur suum obtineant, si ea fuerint ejusmodi, ut tranquillitati ac utilitati publicæ adversentur, nullo modo æquum est, ut rata habeantur: quocirca ea permutandi aut rescindendi, in civili imperio penes summos Imperantes jus esse arbitramur, quorum sicut officii est procurare, quæ pertinent ad felicitatem publicam, ita juris etiam esse debet, testamenta ex utilitate publica definire.

CLXXVI
Uti & successorem ab intestato.

Jam si testamenta non repugnant juri naturæ, consequens est, ut eo permittente etiam *successio ab intestato* locum habeat. Quamvis enim dominus non explicuerit diserte, quos in dominio suorum bonorum succedere sibi post mortem potissimum vellet; recta tamen ratione præsumitur eos præ ceteris voluisse, quos maxime in vita amaverit, quorum proinde causa etiam præ-

* Apposite Quintilianus declam. 380. *Neque enim aliud videtur solatium mortis, quam voluntas ultra mortem; alioquin potest grave videri, & ipsum patrimonium, si non integram legem habeat, & cum omne jus in id nobis permittitur viventibus, auferatur morientibus,*

præcipue acqviserit sua bona, tantaque cura ac sollicitudine conservavit. Jam vero sanguine sibi junctos præ extraneis amasse quisque recte præsumitur; id enim ordini naturæ & communi hominum affectioni maxime est consentaneum; æquum ergo videtur, ut seclusis extraneis sanguine juncti defuncto in dominio bonorum ab intestato succedant. Atque ex eadem præsumta voluntate conficitur, quis ordo successionis inter ipsos propinquos æquitati naturali congruat: primos videlicet esse defuncti liberos, tum nepotes & reliquos descendentes, deinde ascendentes, ac demum collaterales: eumque ordinem passim receperunt gentes, uluque comprobantur.*

Expeditivimus modos acquirendi domi-**CLXXVII**
 nii: reliquum est, ut, qui ex illo effectus, *Triplex ef-*
 quæ oriantur officia, exponamus. - Primum *fectus do-*
 ergo domino triplex jus acquiritur: libera *minis.*
 dispositio, possessio, ac vindicatio rei. Nam
 dominium est jus alios usu rei excludendi;
 is vero, qui alios omnes jure excludit præ-
 ter se ipsum, ea re procul dubio ad libitum
 suum utendi potestatem habet; igitur con-
 venit ei libera rerum suarum dispositio: ex
 quo consequitur, ut omnem ex rebus suis
 utili-

* Certe apud Germanos, ut refert Tacitus de mor.

Germ. cap. 20. hæredes successoresque sui cuique liberi, & nullum testamentum erat. Idem obtinuisse apud Athenienses, autor est Blutar-
 chus in Solone; idem apud Hebræos, Seldæ-
 nus de Success. ad leges Hebr. c. 24.

utilitatem & fructum capere, eas immutare, sibi que utiliores reddere, itemque usu consumere, vel aliis communicare, earumque dominio se abdicare possit. Deinde qui alios usu rerum excludere; idem eas & detinere potest: ei ergo debetur possessio, adeoque jus & apprehendendi possessionem rerum suarum, & eam adversus alios tuendi, ac vim vi repellendi conceditur. Denique non satis posset dominus alios usu rei suæ excludere, nisi eam ab alieno possessore vindicandi potestatem haberet: ergo & vindicatio rei est effectus domini. Ceterum hæc jura non ita domino semper conveniunt, ut nullos patiantur limites. Circumscribuntur imprimis lege civili, ut patet in pupillis, prodigis, furiosis, minoribus: dominia enim rerum cum non præcipiantur sed permittantur jure naturæ, est juris civilis ea sic attemperare, prout publicæ utilitati expedit: hinc aliquando libera dispositio, alias jus possessionis, non nunquam jus vindicandi dominis aut restringitur, aut omnino etiam denegatur. Præterea voluntate prioris domini circumscribi possunt: quia non plus juris transit in alterum, quam transmittere voluerit is, qui alienavit.

CLXXVIII. Officia jam ex dominio rerum totidem Dominus consequuntur, quot sunt ejus effectus: juri non impediendus in illud inane futurum esset. Quare, cum libera dispositione. domino liberam rerum suarum dispositionem jus naturæ concedat; qui eam impedit, id est, qui efficit, ut dominus rebus suis

fuis pro libitu uti, omnemque ex eis utilitatem & fructum percipere non possit; injuriosus ei est, & contra officium perfectum agit: perfectio enim exigit jure dominus, ne in suis bonis ab ullo lædatur. Impedit vero & ille in libera rerum suarum dispositione dominum, qui ei damnum infert, seu qui rem, aut fructus, vel accessiones ejus corrumpit: ergo & iste læsionis factæ reus est, justitiæque legem violat. Cum igitur nemo lædendus sit in bonis, quæ jure acquisivit; lædatur vero, qui impeditur in libera eorum dispositione; merito jus naturæ prohibet, ne quis domino impedimento tale objiciat. Et quia ex læsione obligatio ad satisfaciendum oritur, patet, hæc etiam lege eum teneri, qui domino impedimentum aut damnum quoquo modo obtulerit.

Alterum officium est, ut dominum tranquille rem suam possidere sinamus. Cum *CLXXIX.*
enim jus possessionis ei competat, rationabiliter invitus deturbari citra injuriam ea *Nec adimenda est possessio.*
non potest. Deturbatur autem possessione dominus vel directe, vel indirecte; directe vel per vim apertam, vel per clandestinam rei ablationem; indirecte per fraudem. Quælibet ergo harum deturbandi ratio, cum sit contra jus possessionis domini, lege naturæ velut injusta prohibetur. Unde facile quisque intelliget, vetitum esse furtum, quod est clandestina rei alienæ ablatio, inficio & rationabiliter invito domino; vetitam rapinam, id est, violentam ablationem rei alienæ mobilis; vetitam violentam de
possessione.

possessione rei immobilis dejectionem ; postremo defraudationem etiam, cum scilicet fraude quacunq̄ue quis efficit, ut dominus possessione sua excidat, jure naturæ vetitam esse. Quod si res auferatur non invito domino, aut invito quidem, sed non rationabiliter, ut si eam neget extreme egenti; cum priore casu volens jure suo cedat, posteriore vel nolens illud amittat; sequitur, ablationem neutro casu fore injuriosam.*

CLXXX.
Resque ab-
lata ei re-
stituenda.

Demum, quia dominus jus habet rem suam vindicandi; necesse est, ut, si ea ad alienum possessorem venerit, hic eam restituere domino obligetur. Id nempe exigit generalis lex naturæ, quæ cuique, quod suum est, tribuendum jubet. Cumque, quantum domini interest, perinde sit, bona an mala fide quis ejus rem detineat; recte hinc inferimus, non modo eum, qui furto, vi, aut dolo rem a domino abstulit, verum etiam qui sine crimine eam accepit, & adhuc bona fide possidet, ad restitutionem faciendam teneri. Quod ita intelligendum est, si bonæ fidei possessori innotuit, rem esse alienam: equidem nulla apparet ratio, cur hic in dubium revocare debeat, quod bona fide acquisivit; tamen si justa dubitandi

* Sic excusari possunt Lacedæmonii & Ægyptii, apud quos furta licita fuisse alibi retulimus, nam si communi dominorum voluntatē id factum est, proprie dicta furta non fuerunt, sed occupationes rerum in medio positarum.

tandi se offerant argumenta, indagare dominum, & comperto restituere rem tenebitur; alioquin eam mala fide possidere incipiet. Si vero nusquam compareat verus rei dominus, quantumvis constet alienam fuisse, ea in medio erit, ac proinde merito cedet bonæ fidei possessori.

Quæritur hoc loco, an rei alienæ possessor accessiones etiam & fructus ex illa venientes restituere domino teneatur? *CLXXXI.* Distinguendum est inter bonæ & malæ fidei possesorem: Bonæ fidei possessor, quamdiu de vero domino non constat, jus habet omnes alios usu rei, quam possidet, excludendi: ergo accessiones & fructus ad instar domini suos facit: cum tamen idem non sit verus dominus, consequens est, ut, cum primum de isto constiterit, priorem domini titulum amittat. Ex quo hæc generalis regula constitui potest: neutrum locupletari oportere immerito alterius damno; adeoque bonæ fidei possesorem non teneri domino plus restituere, nisi quo factus est locupletior. Unde sequitur *primo*, restituendas esse accessiones & fructus exitantes; quia de illorum vero domino jam constat, & non debet possessor bonæ fidei locupletior fieri cum damno veri domini: licere tamen illi deducere impensas necessarias & utiles in rem factas; cum nec dominum damno bonæ fidei possessoris locupletari oporteat. *Secundo*. Nihil teneri possesorem bonæ fidei domino ob perceptos, nihil ob consumptos fructus, cum eos instar domini suos fecerit; nisi ex illis factus sit locupletior.

An restituenda accessiones & fructus.

cupletior. *Tertio.* Eum, qui rem alienam bona fide vendidit dono sibi datam, teneri ad restitutionem; quia factus est locupletior. Contra, si bona fide emit, & iterum sine lucro vendidit, nihil teneri; suo enim damno restitueret: ubi tamen restituere tenebitur is, apud quem res fuerit. Jam vero pro malæ fidei possessore nihil horum facit; is neque ad instar domini est, neque de vero domino sibi nil constituisse prætexere potest: ergo non modo ad exstantes fructus restituendos, verum etiam ad æstimationem consumptorum, & alienatorum præstandam tenetur.

CLXXXII. Et illud quæri potest, an usucapio & præscriptio possessorem rei alienæ obligatione restitutionis absolvat. Absolvi ajunt leges civiles: nam usucapione longi temporis contra dominum præscribi, atque ita dominium a priore domino ad usucapientem transferri volunt. Sed ex principiis juris naturæ difficile est id demonstrare. Nam tempus quantævis diuturnitatis, quod natura sua præter meram relationem nihil aliud est, nec dare, nec auferre potest dominia; * & jam supra ostendimus, dominium nisi facto domini in alium non transire. Præterea, cum
res,

* Ipse Grotius I. B. & P. l. 2. cap. 4. ubi præscriptionem multis argumentis confirmat, *Nihil, inquit, fit a tempore, quamquam nihil non fit in tempore.*

res quæ ufucapitur, vel furto, vi, fraude sit ablata, vel casu ac bona fide in alienam possessionem transierit: possessor autem malæ fidei omnino teneatur rem alienam restituere, bonæ fidei quanto factus est, ditior; sequitur, neutro plane modo rem alienam ufucapi posse. * Quare, ne leges civiles hac partè juri naturæ adversentur, id unum superest, ut præscriptionem constituent vel in pœnam, qua verus dominus ob suam negligentiam puniatur: vel boni publici causa, eo quod omnium dominorum animi infinitis agitantur dubiis, & lites ex litibus perpetuæ fererentur, ni ufucapiones longi temporis dominium rei alienæ in possessorem transferrent.

Ut tandem argumento huic finem faciamus, juvat rem velut in pugnum contrahere. ^{CLXXX III} imo itaque, qui læsit alterum, *Leges re-læso ad satisfaciendum tenetur. Namstitutionis.* qui alteri pro illato damno non satisfacit, denuo illum lædit: cum igitur nemo sit lædendus, patet, cum qui læsit, ad satisfaciendum læso teneri. *2do* Læsiō autem est vel contra justitiam, cum alterius jus strictum violatur; vel contra charitatem, quando alter jus tale non habet: quia ergo læsiō obligationem ad satisfaciendum parit, satisfacere ex justitia ille tantum tenebitur, qui alterius jus strictum vio-
la-

* De rebus furto ablati Lex XII. Tabularum ita constituit: *Adversus furem æterna auctoritas esto.*

lavit. *3tio.* Ut satisfiat læso, is restitui in locum pristinum debet: cum autem læsio fiat duplici modo, vel ita ut res integra veniat in manus alienas, vel ut corrumpatur aut pereat; consequens est, ut priore casu lædens rem ipsam domino restituere, posteriore æquam æstimationem pro quantitate damni præstare teneatur. *4to.* Rursus qui damnum dedit domino, bona vel mala fide egit: si bona, id tantum restituere debet, quo factus est ditior; si mala, non modo rem, si exstat restituere, sed omne etiam damnum inde emergens, & lucrum cessans domino resarcire tenetur. Utriusque causam supra dedimus. *5to.* Cum denique satisfacere debeat, qui aliquem lædit; vere autem lædant, non modo qui manus ad inferendum damnum admovent, verum etiam qui jussu, consilio, approbatione, vel operam suam conferendo, aut participando aliquid de præda, id efficiunt, ut alteri damnum detur; tum etiam illi, qui cum teneantur ex justitia damnum cavere, id negligunt; nec resistunt, nec clamant; * manifestum est, eos omnes pro eo ac nocuerunt, ad restitutionem, vel resarcienda damna obligari.

CA-

* Quos modos lædendi Theologi memoriæ causa his versibus comprehenderunt:

*Justo, consilium, consensus, palpo,
recursus,*

*Participans, mutus, non obstans, non
manifestans.*

CAPUT IX.

De Officiis, quæ ex pactis &
contractibus proficiuntur.

Pactum sive contractus est mutuus duorum vel plurimum consensus de re aliqua, non ex sola humanitate aut beneficentia, sed ex perfecta obligatione, dando vel facienda libere ab utroque præstitus, & signo aliquo externo manifestatus. Manifestant autem paciscentes animi sui voluntatem aut expresse per verba aut tacite per facta aliasve circumstantias quæ tamen sufficiens præbeant interni consensus argumentum: hinc pacta sunt vel *Expressa*, vel *Tacita*. Alia etiam sunt *μόροπλευρα* seu *Unilateralia*, cum una tantum paciscentium pars alteri; alia vero *διπλευρα* seu *Bilateralia*, cum utraque sibi mutuo aliquid promittit. In utroque tamen hoc pacti genere partis utriusque consensu opus est: nam pactum est mutua duorum vel plurimum circa eandem rem consensio: quocirca promissio ab uno facta rationem pacti non habet, nisi alter, cui promittitur, eam sibi gratam acceptamque esse ostenderit. Præterea qui paciscuntur, vel novam obligationem constituunt, vel prius constitutam tollunt, vel priorem tollunt simul & indu-

CLXXXIV.
Quid pactum & contractus, & quotuplex.

cunt novam: primi generis pacta *Obligatoria*, alterius *Liberatoria*, postremi *Mixta* dicuntur. Ceterum pacta & contractus natura sua nil inter se differunt; sed vetus loquendi consuetudo eam distinctionem invexit, ut *Contractus* dicatur conventio, quæ utriusque consensu fit de commercio ceu de rebus operisve inter se communicandis; *Pactum* vero de iis, quæ extrâ commercium esse solent.

CLXXXV.
Pactorum
 & *contractuum*
origo

Origo pactorum & contractuum non ex juris naturæ constitutione, sed ex improbitate & mala fide hominum, per consequens tamen permittente jure naturæ repetenda videtur. Introducto enim semel rerum dominio cum cuique jus esset usu rerum suarum alios excludendi, inde scilicet effectum est, ut quibus facultatibus alii abundarent, egerent contra alii atque ita ad vitam commode omnibus exigendam necesse fuerit constitui inter eos commercium: quo alter alterum re ac opere juvaret, vicissimque opportunum suæ egestati subsidium ab aliis acciperet. Præterea, cum non omnis* ferat omnia tellus*; ægra futura esset vita hominibus, ni mutuis sese officiis sublevarent. Jam si homines eo semper agerentur charitatis studio, ut etiam ad imperfecti juris,

* Nam, ut eleganter Virgilius Georg. lib. I,
Hic segetes, illic veniunt felicius uva:
Arbori fetus alibi, atque in ussa virescunt
Gramina. &c.

DE OFF. EXPACT. ET CONTR. 261

ris humanitatis, & beneficentiæ officia promptos sentiremus: profecto commercium illud saluum & incolume perstaret. Verum quia amor ille jam dudum ita refrixerat, ut ejusmodi officia frustra expectarentur: ea ineunda fuit commerciorum ratio, qua homo homini jure perfecto ad rem ac operam suam impendendam obligaretur; id quod per contractus & pacta efficitur.

Effectus nempe pactorum & contractuum est obligatio perfecta ad præstandum id, de quo fidem dedimus. Duo enim sunt, quæ ad obligationem ejusmodi requiruntur: jus & voluntas promittentis; tum etiam acceptantis promissionem. Utrumque hoc natura pacti complectitur, cum sit mutua animorum in idem placitum conspiratio: ergo cum promittens jus exigendi a se rem vel operam promissam alteri tradit, si alter id acceptet, dubitare non possumus, promittentem jure perfecto, ut suo pacto stet, alteri obligari. Id verum est, ex nuda promissione, i. e. quam alter non suscipit, obligationem non enasci; quia non acquiritur alteri jus, quod non acceptat: at neque promissio talis nomine pacti intelligitur, utpote quod in mutua voluntate consistit. De pacto nudo quæritur (dicitur *nudum*, quod sola conventionione peragitur, nec nomen tamen certum alicujus contractus in jure civili habet, nec causam seu factum, quo altera pacifentium pars fidem jam expleverit: cui opponitur pactum, nomine & causa *vestitum*)

CLXXXVI.
Eorum effectus.

an obligationem naturalem inducat? Nulla est sana ratio, cur id in dubium revocetur: nam quod hujusmodi pactis ob peculiare rationes actionem jus civile negat, non ideo derogat etiam obligationem naturalem: & cum peragantur mutua voluntatum consensione perinde ac pacta vestita, necesse est, ut eundem effectum naturalem habeant, etsi non habeant civilem * Cum denique promissio ab uno facta, & acceptata ab altero, obligationem perfectam producat: facile quisque intelliget, quemadmodum in pactis unilateralibus ex una tantum, ita in bilateralibus ex utraque paciscentium parte mutua oriri obligationem, quam Græci *συναλλαγμα* dicunt.

CLXXXV

III.

Quorum
pacta tene-
ant, vel
non?

Ut vero pacta eam, quam diximus, obligationem efficiant, primum libero consensu ineantur, oportet: nam ubi non culpa, non lege transfertur, non transit jus in alterum, nisi libera domini voluntate. Libere autem pacisci non potest, qui libere agendi caret facultate: tales ergo cum sint, quicumque rationis usu destituuntur, ut ebrii, furiosi, infantes; consequens est, ut inita ab illis pacta robur

* Hinc ex pacto nudo locus est compensationi *l. 6 ff. de compens. constituto l. 1. §. pen. ff. de pec. const. exceptio l. 7. §. 5 l. 45. ff. de pact.* Actionem negabant Romani, quia civilem paciscendi modum, nempe stipulationem, invexerant, quem qui negligeret, perlusore egisse videretur.

bur nullum obtineant. Præterea cum nec ea velle, nedum vero, libere possimus, quæ ignoramus, aut circa quæ errore agimur; qui ignorans vel errore ductus, aut dolo alicujus in eum impulsus paciscitur, nullam inde contrahit obligationem: nisi forte ignorantia vel error versetur circa ejusmodi circumstantiam, quam cognitam paciens nihil peniteret, nec propterea animi voluntatem mutaret. Pacta demum voluntatum consensu exterius significato constituuntur: ergo si quis externa signa sine paciendi animo edat, quamquam ob læsionem tenebitur, pactum tamen nullum erit. Similiter nec ille paciscitur, cui externa signa vi extorquentur, dum absit animi consensus. Contra, quia metus, quamvis gravis, quamvis per injuriam injectus, animi deliberationem non tollit; non est, cur pacta eo impellente inita, invalida censeantur. *

Deinde, cum pacta sint de rebus operisve præstandis; ut ea vim habeant ac obligationem inducant, necesse est, ut quod paciens pollicetur, sit in ejus potestate præstare. Unde manifeste con-
 CLXXXV
 II.
 Et quibus
 de rebus?

R 4

aut

* Rescindi tamen possunt per l. 21. §. 5. ff. de eo quod metus causa; quia metus aliquid involuntarii actui admiscat. Eandemque ob causam metum passo datur actio l. 9. §. 3. ff. quod metus causa.

aut exteriores ob causas impossibile : adeo, ut quamvis vertente tempore res facultatem suam obtineat, ad eam tamen præstandam paciscens non teneatur; nisi forte in eum eventum fidem suam addixerit. Nec minus patet, irrita esse pacta de re turpi seu legibus repugnante inita; nam quæ sine delicto fieri non possunt, inter *adivata* numerantur : ac proinde hinc recte inferimus, eum, qui rem turpem promisit, non modo ad eam exequendam non teneri, verum etiam sine novo crimine exequi non posse. * Id aliqui iustum censent, ut qui alteri pro delicto præmium pactus est, illud persolvere teneatur, ubi alter conditionem turpem impleverit. Ego spectato jure naturæ in animum inducere non possum, ut opinioni huic assentiar: nam si pactum de re turpi natura sua nullum est, qui poterit fieri, ut validum reddatur propterea, quod alter conditionem, ad quam nulla ratione adstringebatur, implere maluerit? Demum etiam pacta, quorum executio cum alterius damno est conjuncta, nullius esse rorboris, eodem argumento conficitur:

læ-

* Talia inquit Papinianus l. 15. ff. de cond. inst. nos ne facere quidem posse, credendum est. Recte proinde apud Senecam in *Hercule Oeteo* act. 2. Deianitæ silentium sibi stipulatæ nutrix respondet :

*Præstare fateor posse me tacitam fidem,
Si scelere careat; interim scelus est fides.*

lædere enim alterum jure naturæ prohibemur, pacta vero de re prohibita sunt invalida; igitur invalida etiam, quorum executio cum alterius damno est conjuncta. Eodemque recidunt pacta de rebus alieno dominio arbitrio subjectis: cum enim invito domino disponere de ejus rebus citra læsionem non possumus, sequitur, ut ejusmodi pacta tum deum effectum sortiantur, cum dominus potestatem fecerit, alioquin sine robore futura. Confer. P. 2, n. 44. § 45.

Moveri hic potest quæstio, an pacta jure naturæ valida, irrita reddi jure civili possint? Dubitandi ratio est, quod ita fieri multis exemplis doceamur. Sic pacta & contractus pupilli aut minoris jure naturæ tenent, sine consensu tutoris aut curatoris jure civili non tenent: contractus item matrimonii ex metu gravi injuste incusso initus valet jure naturæ, eum tamen jus civile irritum esse pronunciat. Et tamen nefas esse videtur, ut jus civile naturali repugnet. Id nempe non nullos impulit, ut in ipso jure naturæ fundamentum quærerent irritandi ejusmodi contractus. Ego rem ita explico. Quæ jure naturæ nec præcipiuntur, nec prohibentur, sed permittuntur duntaxat, circa ea certum quid statuere integrum est potestati civili: pacta & contractus permittente tantum jure naturæ fieri jam supra n. 185. ostendimus; ut adeo contractum pupilli sine consensu tutoris, contractum minoris sine consensu curatoris, contractum matrimonii ex gravi injuste incusso metu

CLXXXIX.
An jus Civile pacta irritare possit?

metu initum, jus naturæ nec ratum esse jubeat, neque prohibeat, sed permittat: hujusmodi ergo contractus jus civile potest ex gravi causa irritos velle. Subest autem in adductis exemplis causa gravis: sic enim cavetur bonis pupillorum & minorum, qui ob lubricum ætatis faciles ad contrahendum suum in perniciem essent; contrahentes vero ex tali metu matrimonium longe gravissimo liberantur onere, ferendo alias in omnem vitam, si contractus, qui semel initus nunquam rescindi potest, principio valeret.

CXC.
*Contractus
 permuta-
 tionis quid,
 & quotu-
 plex?*

His ita constitutis, ad explicandas jam singulas contractuum species, & quæ inde fluunt officia, transeamus. Antiquissimus, & simplicissimus contractus est *permutatio*, qua res cum re, aut opera cum opera, aut res cum opera permittatur. Principio enim, & antequam nummus inveniretur, non nisi commutatione rerum & operarum homines commercia exercebant. Unde quatuor illæ permutationum species ortæ sunt, quas postea contractus innominatos dixere: Nempe *Do, ut des*, *Facio, ut facias*, *Facio, ut des*; *Do, ut facias*: ubi $\tau\omicron$ *Do* ad res, $\tau\omicron$ *Facio* autem ad operas refertur. Ea vero permutatio duplici fieri modo potest: vel ita, ut ea, quæ permutantur, suo æstimentur pretio; vel ita, ut nulla eorum pretii ratio habeatur. Priore modo facta permutatio, *Æstimatoria*; posteriore, *simplex* dicitur: & hæc quidem mutux donationi similis est, illa vero emtioni & venditioni aliquid affine habet. Quia ergo

ergo in simplici permutatione nulla pretii habetur ratio, ac donationi mutuae similis est, in ea non attenditur rerum vel operarum, quae permutantur, aequalitas: nec proinde ex ea se laesum quæri ullus potest; nisi fors dolus alterius intercesserit, aut is, qui rem pretiosorem viliori mutavit, non habuerit liberam suis de rebus disponendi facultatem. Contra in permutatione aestimatoria servandam esse aequalitatem, ipsa hujus contractus indoles ostendit, quae cum utriusque pretii rationem habendam postulet, id nimirum spectat, ut aequale pro aequali reddatur: quare nec permutatio rata est, ubi alteruter inaequalitate laeditur, & qui laedit, tenetur alterum indemnem facere; nisi forte laesio sit tam levis, ut ejus nulla habenda ratio videatur. *

Sed simplex permutatio vix locum habere potest, nisi inter homines, qui sincera charitate juncti mutuis humanitatis & beneficentiae officiis studeant, ideoque nihil pendant, si vel pretiosiora vilioribus commutent; plerique res ac operas suas aliis ita communicant, ut sibi tantumdem ab illis rependi velint. Hinc permutatio aestimatoria usum fere obtinuit, ad quam exercendam necesse fuit, suum rebus operisque pretium constituere. Est ergo

CXCI.
Unde, quid
& quotu-
plex pre-
tium?

Pre-

- * Jure Romano enormis laesio censetur, si ultra dimidium pretii sit *L. 11. C. de rescind. empt.* sed putaverim, etiam infra dimidium laesionem saepe enormem esse.

Pretium quantitas quædam moralis ex hominum constitutione ortum ducens, secundum quam res vel operæ inter sese comparari possunt & æquari. Aliudque dicitur *Vulgare*, cum singulæ res singulis rebus, aut operæ operis æstimentur: id quod in rebus ejusdem generis secundum molem & pondus, in rebus diversi generis secundum proportionem fieri solet. Aliud vero appellatur *Eminens*, cum res aliqua nec valde vulgaris, nec nimium rara, quæque commode transportari, corrumpi autem non facile possit, pro communi mensura assumitur, ex qua ceteræ æstimentur: qualis mensura hodie sunt nummi. Enimvero initio vulgare tantum pretium inter homines usitatum fuisse, ex veterum memoriis constat, & vel ex eo arguitur, quod eminens sine plurium consensu constitui non potuerit: sed cum illud incommoda non pauca haberet, tum quod res in loca distita commode transferri non possent, tum quod mutantium usibus sæpe parum aptæ viderentur, tum præcipue quod perdifficile esset perfectam æqualitatem obtinere; placuit demum eminens constituere pretium, quod ceterarum rerum pretia vulgaris virtute contineret.

CXCII. Jam vero, quia pretium, tum vulgare
Quæ pretii tum eminens, ideo constitutum est, ut,
quantitas res vel operæ ex æquo permutentur, me-
statuenda? rito quæri potest, quænam justa videatur
 pretii quantitas, quæ rebus & operis at-
 tribui possit? Nempe ex fine id decernend-
 um est. Pretium ob permutationem in-
 tro-

productum est; permutatio vero ob necessitatem ac utilitatem hominum: prout ergo hominum commercia exercentium necessitas aut utilitas postularit, ita pretium nunc intendi, nunc minui jure potest. Quare cum res aliquæ ita sint necessariæ, ut sine illis vivere nullo modo possimus, exprocul dubio viliori pretio æstimandæ sunt in rebus utilibus, sed non absolute necessariis, magis etiam licet pretium intendere; cum sine iis possit, quamvis non sine aliquo incommodo, vita sustentari. Apud moratissimas etiam nationes in usu est augere rerum pretium ob earum raritatem*, ob majorem earum quærentium copiam & habendi cupiditatem, ob artem item & laborem quibus hæ res perfectæ aut comparatæ sunt. Neque id alienum ab æquitate est, dum modus servetur, ut nec exhauriantur indigi, nec avari ditentur. Habenda vero cum primis boni communis ratio, cujus sicut interest ne nimium intendatur pretium, ita interest quoque ne nihil intendatur: nam in raritate rerum, si vile sit pretium, illud evenire necesse est, ut cum plures consumantur, exaggeratius deinde pretium, & inopia gravior enascatur.

Alter contractuum, qui etiam ante CXCIII.
inventum nummum locum habuit, est *Com-* Officia ex
modatum, quo res ad certum usum vel commodato.
tempus gratis ea lega conceditur, ut illo
finito

* Tunc nempe evenit, quod ait Quintilianus
Declam. 12. *In magna inopia, quidquid
emi potest, vile est.*

finito eadem in specie seu individuo restituitur. Ad essentiam ergo commodati pertinet, ut commodans rem utendam tradat, ut uterque consentiat, ut rei proprietates maneat penes dantem, ut reddatur res in specie, ut ne merces pro ea accipiatur, ut commodatum ad specialem usum ac definitum tempus detur. Unde sequentia manant officia. Et quidem ex parte commodantis: ut rem commodatam ante præstitutum terminum ne revocet: ut damna, ex re commodata per suam culpam vel dolum orta, commodatario resarciat: ut impensas necessarias immo i-cas in rem commodatam commodatario factas refundat. Jam commodatarii officia sunt. *Primum.* Non licet ei rem commodato acceptam in alios usus convertere, quam in quos dominus eam concessit: alioquin furtum fecit. *Secundum.* Rem solícite conservare debet: quare, si sua culpa res vitium accepit, aut omnino periit, pro ratione damni ad satisfaciendum tenebitur. An etiam casum fortuitum præstare teneatur, controversum est inter autores. Teneri aiunt Grotius (a) & Pufendorffius, (b) si res apud dominium tutior futura erat: secus, si apud illum æque peritura fuisset. Idque verum est, si commodatarius culpa sua rem perdidit, aut periculum in se recepit: sed si is culpa vacat, nec in se recepit periculum, nulla est iusta ratio eum ad

(a) I. B. & P. I. .2 . c. 12. §. 13.

(b) I. N. & G. 1. 5. c. 4 § 6.

ad hujusmodi casus præstandos obligandi *Tertium*. Finito demum usu, lapsoque tempore, quamvis nemine interpellante, eandem rem in specie restituere tenetur: hac enim conditione eam acceperat.

Tertius contractus est Depositum, quo CXCV.
Officia ex
deposito. res alicui gratis custodienda traditur, ea lege, ut eadem in specie ad deponentis arbitrium restituatur. Ex qua definitione patet, deponentis officium esse, reparare damnum sua culpa vel dolo datum, & refundere impensas in rem depositam factas. Officia vero depositarii sunt: *Primum*. Ut rem depositam accuratè custodiat, & si culpa sua perierit, ejus æstimationem præstet. Majore tamen eam cura, quam suas res, custodire non tenetur; nisi forte aut sit res pretiosissima aut ex ea omnes alicujus fortunæ pendeant, aut denique ita super ea conventum sit. Unde etiam pronum est intelligere, quid agendum depositario, si citra suam culpam in eam necessitatem incidat, ut ei aut sua res, aut deposita perdenda sit? Nempe, cum nemo alium quam se ipsum diligere magis teneatur, si tandem interest depositarii rem suam conservari, quam interest alterius servari rem depositam, non est, cur suam quam alienam perire malit: quod si res deposita sit pretiosissima, aut ex ea omnis deponentis fortunæ pendeant, solo beneficentiæ imperfecto jure obligari potest ad eam præ sua conservandam. *Secundum* est, ut ne depositum involucris aut vinculis exuat, neve sine consensu domini in suos usus
ad

adhibeat. *Tertium.* Ut rem depositam, quodcumque domino libuerit eandem in specie restituat; nisi aliud exigat recta ratio, ut si e. g. deponens sit mente motus.

CXCV.
Officia ex
mandato.

Quartus contractus est *Mandatum* quo alterum perfecte obligamus ad negotia nostra, quæ ipsi commisimus, gratis & diligenter expedienda. Si quis negotia sibi non commissa, ignorante domino, gratis ac ultro expedit, dicitur *Negotiorum gestio*. Mandantis ergo, & ejus, cujus negotia alter gessit, officium est, impensas necessarias & utiles restituere, simulque damna, quæ mandatarius & negotiorum gestor sine sua culpa propter negotium alienum sensit, resarcire. Est enim mandatum & negotiorum gestio non minus, quam commodatum & depositum, contractus gratuitus, quo scilicet se quis obligat ad aliquid gratis præstandum, non vero ad damnum alterius gratia perferendum: ergo hujusmodi officium nemini damnosum esse debet. Mandatarii vero officia sunt. *Primum.* Ut fines mandati ne transfiliat. Quod si mandans liberam ei potestatem dedit omnia arbi-

* Unde monet Philo Judæus de plantatione Noe: *Depositum, quod accepisti a sobrio; nec ebrio, nec prodigo, nec furenti reddideris.* Et causam adjungit *proditio enim isthæc, non redditio est.* Vide etiam Tullium l. 3. de off. Senecam de Benef. l. 4. c. 10. & S. Ambrosium de off. l. 1. c. ult.

arbitratu suo gerendi, dolum tantum præstare tenebitur. *Secundum.* Ut in gerendo negotio omnem diligentiam præstet. *Tertium.* Ut mandanti rationes administrationis vel gestionis reddat. Similia & negotiorum gestoris sunt officia: cum enim ultro & gratis negotium alienum susceperit, eo ipso ad illud utililiter gerendum, ad omnem præstandam diligentiam, ad reddendas rationes, & omne dominum, si quod sua culpa vel dolo datum fuerit, refarciendum sese obligavit.

Et hi quidem contractus habuerunt locum etiam ante constitutum pretium emittens: qui vero post inventum nummum accessere, sunt emptio venditio, locatio conductio; de quibus nunc agendum. *Emptio venditio* est contractus de re pro certo pretio tradenda. Si substantiam spectes, permutationi æstimatoræ similis est, quoad modum tantum ab ea differt, quod emptio venditio hodie non nisi numerata pecunia, permutatio æstimatoria cujuscunque rei pretio perficiatur. Officia, quæ ex natura hujus contractus fluunt, sunt: *Primum*, ut res permutandæ sive merces & pretium utriusque sint nota. Igitur venditor non modo mercis qualitates, vitia, onera, quæ sensum fugiunt, emptori indicare tenetur, verum etiam pati, ut hic eam lustret oculis, aliisque modis exploret. Vicissim emptor de qualitate & vitiis monetæ venditorem debet monere. Patentia vitia continent

CXCVI.
Officia ex
emptione
venditione.

S

Cice-

Cicero (a) similiter detegenda esse: quod ego viri boni officium esse concedo, jure perfecto deberi non arbitror; quia suæ tribuendum habet negligentiae emptor, si rem manifesto vitio laborantem accipiat. *Secundum* est, ut rei & pretii æqualitas fervetur. Est vero pretium, summum, medium, infimum, quæ quando justam cum merce æqualitatem habeant, ex necessitate, utilitate rei, & animorum affectione æstimandum relinquitur. *Tertium*. Debet venditor emptori evictionem i. e. tenetur illi satisfacere, quando res vendita evincitur a suo domino: cum enim emptio venditio eo fiat consilio, ut dominium in alterum transferatur; is vero, qui dominium in alterum transfert, de evictione ei teneatur, ut n. 170. ostendimus; consequens est, ut de evictione emptori teneatur venditor. *Quartum*. Periculum rei venditæ ante traditionem præstare debet venditor; facta vero traditione est penes emptorem. Ubi tamen recte distinguendum monet Puffendorhius, utrum traditioni faciendæ certus constitutus fuerit dies, nec ne? deinde elapsusne sit, an non? si constitutus, necdum vero elapsus est, penes venditorem erit periculum; sin vero elapsus, iterum distinguendum, utrum traditionis mora a venditore proveniat, an ab emptore? priore casu periculum penes venditorem, posteriore penes emptorem esse recta ratio docet; quia universim is præstare debet periculum, per quem stetit, ne

(a) L. 3. de offic.

ne res periret. Similiter etiam est distinguendum, si dies non sit præfixus. Quod si emptor venditori rem tantisper custodiendam commiserit, alter instituetur contractus, nimirum depositi *.

Locatio conductio est contractus de rei **CXCVII.** usu vel operis pro certa mercede præstans. *Officia ex* dis. Locatoris officia sunt: *Primum, Te-* locatione netur conductori rei usum operasve *con-* *conductio-* ventas præstare: adeoque si conductor re *ne.* locata uti non possit, impedimento proveniente a locatore, tenetur hic ad remissionem pensionis pro rata temporis, quamvis impedimentum iustum fuisset; sed si impedimentum a locatore positum iniustum fuerit, poterit eum conductor ad remissionem totius pensionis, & ad id, quod interest, convenire. Quod si conductor re locata uti non possit, impedimento proveniente ab ipso conductore, locator potest totam pensionem exigere. *Secundum, Tene-* tur locator conductorem indemnem servare; adeoque impensas in rem locatam factas restituere. *Tertium, Quamvis* finito locationis tempore conductorem ex fundo conducto pellere locator possit, tamen antequam finitum non potest rem locatam revocare; nisi inter locatorem & conductorem sic

S 2

COR-

* Leges Romanorum generatim pronunciant, emptoris esse periculum omne; sed id cum cæteris earum principiis non cohæret: utpote per quas dominium rei a venditore in emptorem non transit, nisi tractatio ne peracta.

conveniat, vel ex causa superveniente, non prævifa, locator ipse egere incipiat re locata: quibus casibus tamen partem pensionis remittere tenetur. Conductoris porro officia sunt. *Primum.* Tenetur pensionem integram, & quidem in tempore præstare, vel per partes, si ita conventum, vel in fine totam. *Secundum.* Finito tempore debet rem in specie restituere, & sarcire damnum sua culpa datum. *Tertium.* Ante finitum locationis tempus non licet ei rem deserere; nisi id justa causa, ut incurfio hostium, metus peffis, fimilisve casus extorqueat.

CXCVIII. Contractus demum, qui & ante, & post
Officia ex inventum nummum locum habuere, sunt
mutuo. mutuum, pignus, fidejussio &c. *Mutuum* est
 contractus, vi cujus rem fungibilem alteri
 damus eo animo, ut fiat accipientis; ea ta-
 men etiam lege, ut tantundem ejusdem
 generis ab illo postea accipiamus. Dicuntur
 res fungibiles, quas adnumerare, admetiri, &
 appendere solemus, quæque usu consumun-
 tur, & solutionem recipiunt tam in genere,
 quam specie. Cum ergo natura hujus con-
 tractus id efficiat, ut dominium rei fungi-
 bilis a creditore in mutuatarium transfera-
 tur, cum onere æqualis restitutionis; mani-
 festum est, posse mutuatarium quidem de re
 credita pro libitu suo disponere, teneri ta-
 men tantundem non modo ratione quanti-
 tatis, sed etiam qualitatis creditori reddere;
 neque absolvi eum hac obligatione, si res
 credita quocunque casu pereat. Dubitatur,
 si quis pecuniam mutuam accepit, cujus
 post-

postea valor crescat vel minuatur, in ea restituenda ejusne temporis habenda sit ratio, quo res credita est, an ejus. quo restituitur? Prioris temporis habendam esse rationem docet Grotius; quod mihi iniquum videtur. Nam qui accepit mutuum, non obligavit se ad tantundem reddendum quantitate physica, sed morali: ut vero æqualitas quantitatis moralis inter creditam & restitutam rem obtineatur, posterioris temporis habenda est ratio; adeoque tantum deducere licebit in restitutione, quanto interea crevit pretium; tantum vero erit adjiciendum, quanto illud imminutum est.

Quæritur, an per leges naturæ licita sit usura, quo nomine intelligitur lucrum ex mutuo supra sortem creditori adveniens? Enimvero solius mutui causa non posse justum esse ejusmodi lucrum, ex ipsa mutui definitione cognoscitur. Nam res mutuo data in dominio est mutuatarii, non mutuantis: atqui jure naturæ neutiquam licet lucrum ex re aliena capere; neque ergo ex re mutuo data. Altera quoque est ratio, quod jus naturæ prohibeat quidquam exigere vel accipere sine titulo justo: quis autem justus esse potest titulus pro re credita aliquid ultra sortem exigendi vel accipiendi, cum ea ad æqualitatem restituenda sit? solius ergo mutui titulo aliquid ultra sortem exigere vel accipere jus naturæ prohibet. Jam quidem ex hoc ipso patet, si alius justus titulus adsit, puta ut creditori reparetur lucrum ex re mutuo data cessans aut

CXCIX.
*An licita
sint usuræ?*

damnum inde enascens, ut præstetur ei. fortis amittendæ periculum, ut labor & impensæ in mutuum recuperandum probabiliter faciendæ compensentur, licitum fore aliquid pro his exigere atque accipere; sed id nempe iusto compensationis, non mutui titulo; neque hoc proprie usuram dicimus, cum inde lucrum mutuans non acquirat. Sunt vero, qui usuras jure naturæ licitas esse putant, propterea quod pecunia, quamvis natura sua sterilis, civiliter tamen res foecunda, mutuario fructus pareat, qui pretio æstimari possunt. Verum si hæc ratio valeret, non esset, cur licitum venditori esse negaremus, ultra fortem venditæ aliquid ab emptore exigere vel accipere ob utilitates & fructus, quos emptor ex illa relaturus est; quod sane justum nemo putaverit. Sacras etiam producunt Literas. Deut. c. 23. v. 19. ubi Deus prohibuit quidem usuras a fratribus seu filiis Israel, permisit tamen ab alienigenis accipere: & Deut. c. 28. v. 12. ubi eas a gentibus repetendas etiam præcepisse videtur. Sed præterquam quod usuræ aliis legis tam veteris, quam novæ legis univèrse prohibeantur; an Deus, qui dominium rerum ab Ægyptiis in Israelitas transtulit, non potuit transferre ab aliis gentibus, ut adeo Israelitis non jam res aliena, sed propria lucro veniret *?

Pi

* Manifesta sunt illa Lev. c. 25. v. 36.
Ne accipias usuras ab eo, nec amplius, quam de-

Pignus est contractus de re, in securitatem crediti, creditori tradenda. Dominium quidem rei oppignoratæ penes debitorem manere, creditori tamen jus in illa constitui, vi cuius eam possidere, &, nisi debitum expungatur, etiam retinere ac vendere possit, jam supra n. 173. ostendimus; ubi etiam indicatum est, si hoc jus creditori acquiratur sine traditione rei, uti fit in rebus immobilibus, hypothecam vocari. Ex his porro intelligitur, debitoris officium esse, loco & tempore convento pignus tradere; illud ante solutionem non repetere; si rem alienam vel vitiosam oppignoravit, creditorem indemnem servare, damnum sarcire, & impensas necessarias immo & utiles suo consensu factas restituere; si pignus casu

CC.
Officia ex
pignore.

S 4

for-

*dedisti, pecuniam tuam non dabis ad usuram. & Luc. c. 6. v. 35. Mutuum date, nihil inde sperantes. Passim quoque a SS. Canonibus, usuras damnatas inveneris. Huc pertinet, quod Benedictus XIV. Pont. Max. questionem super usuris agitatam docta & accurata Epistola Decretali ad Episcopos Italiae data ita composuit, ut negaret ex mutuo vi mutui ulas usuras accipi posse, quod is contractus suapte natura gratuitus sit, ac propterea perfectam æqualitatem inter datum & acceptum exigat; concederet tantum posse accipi ratione aliorum contractuum aut *titulorum* cum mutuo conjunctorum.*

fortuito pereat, nihilominus id, quod debet, solvere, cum ipsi tanquam domino perierit. Paret etiam, vicissim creditoris esse, ut abstineat ab usu pignoris; ut illud non minore diligentia, quam res suas, custodiat; ut illud, soluto debito, debitori restituat, una cum fructibus & accessionibus ex eo perceptis, aut sua culpa non perceptis, deductis tantum impensis necessariis ac utilibus. Quod quidem ad postremam officii hujus partem attinet, negat Heineccius ad illam creditorem teneri, si pignori pactum antichreticum, aut legis commissoriæ adjectum fuerit. Sed opinio huic assentiri non possum, cum ejusmodi pactum manifestam uturam contineat: nam, dum creditor sibi per antichresim paciscitur fructus rei oppignoratæ, aliquid ultra sortem accipit, uti &, dum pignus pretiosius debito ob moram debitoris per legem commissoriam suum facit.

CCL.
Officia ex
fidejussione.

Fidejussio est contractus, quo aliquis pro alieno debito fidem suam interponit, & pro debitore principali, qui ipse etiam obligatus manet, in ejus subsidium se solutum promittit, si ille non solverit. Ex qua definitione patet, obligationem fidejussoris accessoriam esse ad obligationem principalis debitoris: adeoque teneri quidem illum solvere debitum, pro quo fidejussit; quia tamen fidejussit in subsidium tantum alterius, competere ei beneficium ordinis & excussionis, vi cujus petere potest, ut prius conveniatur & excutatur principalis debitor, i. e. ut prius facultates & bona debito-

DE OFF. EX PACT. ET CONTRACT. 231

bitoris u que ad faccum & peram, ut ajunt, luſtrentur, & tum demum, ſi hic deprehendatur: non eſſe ſolvendo, conveniatur fidejuſſor. Si quis pro debitore principali ita fidejubeat, ut eum omni obligatione liberet, *Expromiſſor* dicitur: is proinde non gaudet ordinis aut excuſſionis beneficio; ſed pro eo, quem ſemel liberavit, omne debitum perſolvere obligatur.

Sequitur contractus *Societatis*, quem & ante & poſt inventum nummum, locum habuiſſe vel ex eo poteſt intelligi, quod is nihil aliud ſit, quam lucri ex collatis rebus vel operis provenientes, damnique inde emergentis, inter plures communicatio; res vero & operæ non minus ante, quam poſt inventum nummum communicari potuerint. Præcipuum ex hoc contractu officium eſt, ut in dividendo lucro & damno ſervetur æqualitas: geometrica nimirum, ita ut, quo plus rerum vel operarum in commune quis contulerit, eo plus lucri damnique ferre debeat, quam alii qui minus contulerunt*. Id vero ita intelligendum, niſi aliter inter ſocios conventum fuerit: namque cum quisque de ſuis rebus diſponendi liberam habeat poteſtatem, licebit proſecto ſociis mutuo conſenſu vel æqualitatem arithmeti-

CCII.
*Officia ex
ſocietate.*

S 5

quam-

* Recte Ariſtoteles ad Nicom. l. 8. c. 16. ἐν χρημάτων κοινωνία πλείω λαμβάνουσιν οἱ συμβαλλόμενοι πλείω. In *communione pecuniarum plura accipiunt, qui plura contulerunt.*

quamconque inæqualitatem statuere; dum ne dolus alicujus e. sociis intercedat. Alterum est, ut rem communem diligenter curent, vel singuli sociorum, vel aliqui, vel unus pro omnibus, uti conventum inter eos fuerat: ac proinde qui damnum commune sua culpa dedit, de illo reparando, singulis pro rata teneatur. Demum, quia omnis sociorum obligatio ex ipsorum conventionione pendet; si illis societatem inire placuit ad certum aliquod tempus duraturam, eo tantum lapsa, nec prius solvetur societas: si perpetuam voluerunt, nunquam fas erit illam dissolvere. Quare quod leges Romanæ cuius sociorum jus faciunt quovis tempore societate excedendi, si modo tempestive, nec in aliorum fraudem fiat; id quidem ex natura contractus non sequitur, sed civili constitutioni tribuendum est: quamquam omnino æquitati naturali congruat, ut, si alter sociorum mala fide egit, legesque societatis violavit, alteri integrum sit societati, ante constitutum etiam tempus renunciare.

CCIII.
Officia ex
donatione.

Locum denique semper habuit *Donatio*, quæ est promissum de re nostra in alterum gratis transferenda. Ea quidem vim nullam habet, nisi acceptetur; acceptata vero dominium rei in donatarium transfert, tamen si traditio rei necdum sit consecuta; ut patet ex n. 171. Cum ergo dominium rei ex promissione acceptata in donatarium transeat: sequitur, donantem obligari, & ut rem promissam tradat, & ne donationem re-

revocet. Leges tamen Romanæ quatuor casus designant, quibus donatio revocationi sit obnoxia: nempe si donatio modum excedat, si conjuncta sit aliorum præjudicio, si donanti postea nascantur liberi, si donatarius ingratus esse erga donantem incipiat, quæ causæ tametsi non sufficiant, ut donatio jure naturæ irrita esse judicetur, fundamentum tamen in æquitate naturali inveniunt, ut propter eas donationem revocare liceat. Illud certum, donationem rei alienæ, ut jure perfecto alicui debitæ, nullam esse, adeoque omnino revocandam. Donarii quoque officium esse, ut gratum animum quavis occasione donatori testetur, nemo quidem dubitaverit: quia tamen donatio contractus est mere gratuitus, inde colligitur, donatarium ad gratias adhibendas jure duntaxat imperfecto teneri.

Præcipuos contractus, & quæ ex illis **CCIV.** proficiscuntur officia, explicando absolvi- *Quibus mo-*
 mus: subjicimus modos, quibus illi solvun- *dis solvan-*
 tur. *Primus* est solutio, cum id, de quo *tur contra-*
 inter pacientes convenerat, re ipsa ex- *ctus?*
 pletur. Finis enim pactorum & contractuum est fides, i. e. promissorum conventorumque constantia atque impletio: igitur cum hæc facta est, satisfactum est etiam pactis. Impletur autem fides, si solutio fiat integra, si ei, cui debemus, aut ex consensu principalis alteri, si cum omnibus circumstantiis pacto adnexis. *Serundus* est Compensatio, cum tantundem, quantum debetur, redditur. Id quod duplici fieri

mo-

modo potest: vel quando creditor rem aliam, quam sit debita, solutionis loco accipit: vel quando mutua debita sese adæquant, & alterum ab altero expunguntur. Posteriore compensatione solvi obligationem, manifestum est: prior vero non valet, nisi creditor gratam habeat. *Tertius* est *Condonatio*, cum is, cui debes, jure suo se ultro abdicat. Ubi parum refert, verbis an factis, laceratione chirographi, an aliis indiciis mentem suam manifestet creditor. *Quartus* est mutuus dissensus: nihil enim tam est naturale, quam eodem modo quidque dissolvi, quo colligatum est (a) Necessè est tamen, ut ne huic dissensui leges aut natura rei obstet: hinc matrimonium, quia natura sua individuum societatem spectat, quamvis mutuo consensu contractum sit, non tamen dissolvi mutuo dissensu potest. Præterea cum pacta mutuo stent consensu, dubitari nequit, alterius paciscentium perfidia alteri potestatem a pacto discedendi fieri: qui si discedere nolit, perfidus tamen pacto stare tenebitur; quia generatim pacta dissolvi nequeunt unius tantum partis dissensu. *Quintus* est, si constitutum tempus præterierit. *Sextus*, si adjunctæ conditiones deficient. *Septimus*, si alter paciscentium moriatur: nisi ita conventum fuerit, ut in rebus & ad hæredes obligatio transeat. *Octavus*, si rerum status, cui pactum inædificatum fuerat, mutetur. *Nonus*, si pereat ipsa res, super

(a) Ut habetur L. 35. ff. de Reg. Jur.

per qua pacifcentes convenerant. *Decimus* est transactio, cum partes de rebus dubiis & litigiosis compositionem inter se ineunt, aliquo dato, aliquo retento. *Undecimus* novatio, cum verus obligatio aboletur, & in aliam transfunditur. *Duodecimus* delegatio, cum creditor remittit obligationem debitori, ea lege, ut alius debitor, qui pro eo nomen expungat, iufficiatur. Atque hi. fere sunt modi omnes naturales, quorum rationem e natura pactorum prouum est repetere; modos vero civiles Jureconfulti docent.

CAPUT X.

De Officiis erga alios imperfectis.

Hominis aduersus hominem officia duabus his partibus contineri diximus: ut ne reddamus infelicem alterum; utque felicitatem ejus pro viribus promoveamus. Priore genere perfecta officia, de quibus hactenus; posteriore imperfecta, de quibus nunc agendum, comprehenduntur. Imperfecta autem definimus ea esse, quæ jure minus stricto, ex naturali æquitate, ac citra coactionem debemus; sic, ut, qui ea neglexerit, non quidem iniustus, at iniquus tamen, & violatæ legis naturæ reus merito censetur.

CCV.
Connexio.

Ut

CCVI. Ut vero ea certis cognoscantur principiis, *Fundamen-* duo præcipue demonstranda sunt: scilicet
tum officio- hujusmodi officia jure quidem naturali, at-
rum imper- tamen non perfecto exigi. Quod ad pri-
fectorum, mum attinet, cum homines natura sint æ-
 quales, homo ut se ipsum, ita alios ex æ-
 quo diligere tenetur: atqui se ipsum quis-
 que ira diligit, ut felicitatem suam non
 modo interverti nolit, sed cupiat etiam ab
 aliis promoveri: pari ergo studio, oportet,
 ut aliorum felicitatem promoveat. Hinc,
 ut perfecta officia eo generali præcepto:
Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; sic
 imperfecta altero continentur: *Fac aliis, quæ
 tibi facta voles.* Si deinde communis spectetur
 vitæ felicitas, nemo non videt, quan-
 tum ad eam momenti habeant hujus generis
 officia, quibus multo suavius sociantur
 animi, quam rigido justitiæ vinculo; dum
 quisque non modo miserum se queri non
 potest, sed ad omnem cumulum jucunde et-
 iam alieno beneficio vivit: contra nemo est,
 quin ferendam potius, quam magnopere
 expetendam sibi putet eorum societatem,
 qui ultra ea, quæ jure stricto debent, nihil
 conferunt*. Demum, quia tervi sumus
 homines, ejusdem Domini subjecti omnes
 imperio; quis dubitet, eum velle, ut con-
 servos nostros non tantum non lædamus,
 sed benevolentia etiam prosequamur? Jam
 vero, imperfecto tantum jure ad alienam
 felicitatem promovendam nos obligari, inde
 con-

* *Quantillum est, inquit eleganter Seneca, al-
 terum non lædere, cui prodesse debeas?*

conficitur, quod jure perfecto nemo exigere possit bonum, nisi quod vel a natura acceptum, vel ex facto servandum aut recuperandum accepit: quæ igitur neque natura, neque ex facto illius sunt, jure perfecto ei non debentur. Fatendum tamen, mutari quandoque officiorum indolem, ut ex imperfectis perfecta evadant: sic imperfecti juris est opem ferre egenti; sed extreme egentem juvare, perfecti: nam extrema necessitas jus alteri perfectum tribuit, opem a nobis veluti rem suam exigendi.

Cum igitur imperfecta officia ad illud *CCVII.*
caput redeant, ut aliis præstemus, quæ *Eorumque*
præstari nobis volumus, ea commode in duo *divisio.*
genera dividuntur. Primo enim nemo sibi vult denegari, quæ alter sine detrimento suo præstare potest: dein sæpe iis casibus involvimur, ubi aliorum opem, quamvis cum aliquo ipsorum incommodò conjunctam, exposcimus. Utrumque ergo officium & aliis, si eos perinde, ut nos ipsos diligimus, impendere obligamur. Itaque illa, quæ sine detrimento nostro præstare possumus, officia *Humanitatis*, seu *innocentia utilitatis*; hæc vero, quæ cum aliquo incommodo nostro conjuncta sunt, *Beneficentia* appellantur. Enim vero humanitas & beneficentia virtutis fere nomine, quæ homini quidem apprimè conveniat, sed lege naturali tamen nequaquam præcepta sit, secundum communem sensum veniunt: quod ego haud negaverim, si absit omnis necessitas; ubi
vero

vero ea reperitur, tum humanum ac beneficium esse, non virtus tantum, sed jus etiam naturale, saltem imperfectum postulat: nam officia amore naturaliter aliis debito nituntur, qui levamen alienæ necessitatis respicit. Sed jam de singulis dicamus.

CCVIII.

Humanitatis officia.

Imprimis, quoniam jure humanitatis ad ea tantum officia obligamur, quæ nullo nostro incommodo fieri possint; nemo ambiget, vel modicam alterius necessitatem satis esse debere, ut ei succurrere studeamus, præsertim si opem nostram imploret. Itaque barbarus sit, oportet, & feris animantibus quam hominibus similior, qui aliis officia innoxie utilitatis denegat, qui alterum ope aut consilio non juvet, ejus rem non terret pro virili, errantem non revocet in viam, sitienti aquam profluentem, argenti ignem, peregrino hospitium neget, aut similia detrectet, quæ aliis profunt, nobis vero detrimento non sunt: cum videamus & feras animantes mutuam sibi opem in periculis præstare; adeoque turpissimum sit, homines ipsis esse animantibus brutis effe-ratiores. Præterea, cum facile careamus iis, quæ nobis superfluunt, vel alioquin apud nos peritura essent; inhumanus plane & prope crudelis fuerit, qui ea latere aut perire potius, quam aliorum utilitati cedere malit. Errant nempe, qui censent, jure suo res, quæ utiles aliis esse possunt, sibi vero inutiles sunt, cum in proprio dominio sint constituta, corrumpere posse; quasi natura res
uti-

utilitati tantum nostræ non etiam alienæ progignat*.

Dein ex eadem humanitatis definitione intelligitur, ejus officia a nobis haud exigi, si ea nobis noxia futura sunt. Non equidem nego, heroicæ esse virtutis documentum, alterius vitam aut commodam vitæ & utilitatibus nostris præferre; id tamen nulla naturæ lege, nullo jure, nec perfecto nec imperfecto tenemur; nisi forte cum de multo graviore alterius malo, aut de salute totius reipublicæ agitur. Cujus ratio est manifesta: quia nemo diligere alterum, quam se ipsum, magis tenetur; adeoque nec illius necessitati magis, quam suæ ipsius consulere. *Vid. P. 2. n. 115. Reg. 5.* Atque hinc patet in bello ex parte nostra licet

CCIX.

*An præstare
de cum no-
stro damno?*

* Præclara sunt, quæ de humanitatis officiis Plato, Seneca, M. Antoninus, alique veteres sapientes scripsere. Cicero de off. l. 1. c. 7. Quoniam, inquit, ut præclare scriptum est a Platone, non nobis solum nati sumus, ortusque nostri patria vindicat partem, partem parentes, partem amici; atque ut placet Stoicis, quæ in terris gignuntur, ad usum hominum omnia creari, homines autem hominum causa esse generatos, ut ipsi inter se aliis alii prodesse possint; in hoc debemus naturam ducem sequi, & communes utilitates in medium adferre, mutatione officiorum, dando, accipiendo, tum artibus, tum opera, tum facultatibus, devincire hominum inter se societatem.

T

licere. officia innoxie etiam utilitatis hostibus denegare, si ea præstita validiores efficiant ad nos lædendum; itaque prohibere ab aquatione, corrumpere commeatus, aliasve commoditates intervertere, si id fiat, ut hostes debellantur in bello justo, licitum esse: negationes enim hujusmodi officiorum spectandæ sunt velut media & arma, quibus nos adversus hostes defendamus, aut quibus jus nostrum prosequamur. Patet item, salvo jure naturæ, etiam imperfecto, negari posse extero militi per terras nostras transitum: quia, nisi ponatur casus extremæ necessitatis, transitus armatorum nunquam ita est innoxius, quin gravium damnorum metum saltem justum offerat*. Quod si ea officia præstita minime sint nobis nocitura, tum insignis esset inhumanitas denegare.

CCX. Jam officia hæc ita etiam comparata esse oportet, ut alteri quidem utilitatem, nemini vero damnum inferant: non enim licet alterum odisse, ut alterum ames. Quare si cognatis nostris, amicis, civibus, aut si pluribus noxia, uni tantum utilia, aut cuicumque tandem noxia futura essent, ea neutiquam præstanda sunt, nec si præstentur, beneficia, sed maleficia appellanda sunt.

Idem

* Ideo, cum Edomitæ Israelitis transitum, etsi innoxium denegassent, Moyses nec de iniquitate, nec de injuria questus, ab Edomitis deflexit, & a Cade profectus ad Montem Hor cum omnibus copiis pervenit. Num. 26.

DE OFF. ERG. ALIOS IMPERFECT. 291

Idem tenendum, ubi humanitas illi ipsi, cui in præsens placet, postea non leve damnum sit allatura: veluti ægro frigidam ministrare, quæ inde ei sit nocitura. Ratio semper est eadem; quod scilicet nemini malum faciendum est sub quocunque boni prætextu. Atque id etiam in officiis perfectis obtinet: alteri enim jus suum tribuendum non est tum, cum damno esse potest: e. g. non est reddendum domino depositum, si redditum ei nociturum sit.

Tandem, cum humanitas levamen alienæ necessitatis spectet, ad eamque naturali jure obligemur; sequitur, utriusque capitis rationem habendam esse, servandumque in præstatione hujusmodi officiorum pro diverso necessitatis & juris gradu ordinem, quem in perfectis officiis justitiæ leges præscribunt. Itaque si plures conveniunt, qui humanitatis officia requirant, quibus tamen omnibus satisfieri nequeat, iis primum præstanda sunt, qui graviore necessitate premuntur; &, si necessitate premantur omnes æquali, ii præferendi sunt cæteris, qui potiore jure id officii a nobis exigunt. Primum ergo parentibus, filiis, aliisque sanguine junctis; deinde amicis interioribus; tum popularibus nostris; tandem reliquis, si iis locus sit ullus, impendenda sunt humanitatis officia. Congruit hic ordo naturali æquitati, non modo quod extraneum non tenemur amare plus, quam cognatum aut civem, verum etiam, quia potiore jure officium a nobis exigunt, qui aut natura

CCXI.
*Quo ordine
sint præ-
standa?*

aut loco nobis sunt conjunctiores: ut adeo stulte adversus humanitatis legem peccent, qui hunc ordinem sine ulla ratione pervertunt.

CCXII.
*Obligatio
ad benefi-
centiam.*

Transeamus ad officia beneficentiæ, quæ gradum continent amoris sublimiorem, quam officia innoxie utilitatis. Obligari autem nos & ad hæc officia, ex iisdem principiis demonstratur. Primum cum reciproce homines in hujusmodi officiorum indigentia reperiantur, aut possint reperiri, si volunt ea in his casibus sibi ac aliis tribui, necesse est, ut & alijs vicissim tribuant. Deinde talis est societatis natura, ut non possit esse perfecta & tranquilla, nisi reciprocus sit bonorum inter omnes influxus, nisi scilicet bona & commoda vitæ, quoad fieri potest, cum iis communicentur, qui indigent. Majore tamen opus est indigentia, ut jure, saltem imperfecto, ad beneficentiam obligemur, quam sufficiat ad debitum humanitatis. Nam benefici dicimur, quando cum detrimento nostro alienæ necessitati succurrimus: cum igitur non teneamur alios præ nobis diligere; sequitur, ut tum demum beneficium jure a nobis requiratur, cum alterius gravius malum levioze nostro incommodo depellere valeamus. Quod si extrema foret alterius indigentia, tum enimvero non imperfecto tantum jure, sed stricta justitia levius malum ferre tenebimur, ut alterum ab interitu vindicemus. *VII.*
P. 2. n. 114. Reg. 4.

Porro

Porro quia beneficentiæ officia appella-
vimus, quæ alienam necessitatem levant,
cum aliquo tamen detrimento nostro con-
iuncta sunt; facile hinc quisque intelliget,
ea animo benefaciendi, & sine spe retribu-
tionis præstari oportere. Quocirca recte de-
finitur beneficium, *res vel actio alteri profu-
tura, quam ei, animo utilitatem adferendi, &
sine spe retributionis præstamus.* Imprimis qui-
dem dicitur, *actio vel res alteri profutura*, ut
explicetur essentia ipsa beneficii: nisi enim
beneficium alteri proficit, non est beneficium;
& si lædat, maleficium est. Dicitur dein-
de *animo utilitatem adferendi*, qui si desit,
beneficium imputari nequit illud conferenti.
Itaque non est beneficium, si quis nolens
tibi benefacere, impellat te ad agrum tu-
um effodiendum, atque in eo thesaurum in-
venias: multo minus, si quis volens te læ-
dere, magnam tibi adferat utilitatem*. Po-
stremo dicitur *sine spe retributionis*, non qui-

CCXIII.

*Beneficen-
tia indoles.*

T 3

dem

* Ita non debbat Josephus fratribus benefi-
cium, quod eorum opera ad iummam in Æ-
gypto dignitatem evaserat. Elegans est super
ea re Phædri fabella. Mustella ab homine
prehenfa rogat, ut sibi parcat, quia mole-
stis muribus purget domum; cui villicus:

- - Faceres si cãusa mei,

Gratum esset, & dedissem veniam supplici:

Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,

Quæ sint rosuri, simul & ipsos devores,

Noli imputare vanum beneficium mihi.

dem ut excludatur spes gratitudinis, sed ut caveatur, ne ea spes causa præcipua sit impellens ad beneficium præstandum, aut ne ea in conditionem veniat, sub qua præstetur beneficium. Sunt enim hæc beneficia mercenaria, & ad commercium potius pertinent, quam ad beneficentiam.

CCXIV.
Ejusque
leges.

Nec illud jam in dubium quisquam revocarit, beneficentiam iisdem prope legibus, quibus humanitatem definivimus, contineri; nisi quod illa innoxia, hæc cum aliquo detrimento nostro conjuncta est. Primo itaque beneficia attemperanda sunt cujusvis conditioni; ne, quibus prodesse volumus, gravius re ipsa noceamus. Cavendum deinde, ne, dum unī beneficos nos exhibeamus, alios afficiamus injuria. Tandem indigentiae ac necessitatis gradus sunt observandi. Prodigia enim rerum largitio sine omni delectu eorum, quibus præstantur, ac sine graduum distinctione, beneficium non est, sed stulta profusio. Discernendi igitur sunt in beneficiis tribuendis necessarii ab extraneis, intimiores a remotioribus, egentiores a minus egentibus, digniores a minus dignis. Cæteris vero paribus præferendi sunt necessarii extraneis, intimiores minus intimis, egentiores minus egentibus, digniores minus dignis, ii qui non suo merito miseria laborant, iis, qui merito suo in eum statum prolapsi sunt. Præterea curandum est, ne beneficentia alat ignaviam, qua fieri solet, ut in societate homines ignavi & scelesti multiplicentur cum maxima Reipubli-

blicæ perniciæ. Quæ benefaciendi prudentia nisi adhibeatur, hujusmodi largitiones maleficia potius sunt quam beneficia. Si unquam proinde vere dictum est a Philosophis, nullam esse virtutem sine prudentia, tum id potissimum de beneficentia dicendum est.

Sed ad peculiaria beneficentiæ officia descendamus. Familiam ducit eleemosyna. Ea quidem generatim accepta significat, quidquid humanitatis aut beneficii in proximum nostrum ex commiseratione conferimus*: sed jam arctiori sensu accipitur, ut significet largitionem, quæ indigenti fit. Ad eam ergo nos obligari ex iisdem principiis intelligimus, quæ nos admonent, ut aliis ea faciamus, quæ ab aliis nobis fieri volumus. Omnibus enim hominibus inest quidem misericordiæ sensus, quæ ad alterius miseriam tangantur; quem sensum iis non dedisset autor naturæ, nisi voluisset, ut non affectu tantum misereantur aliorum, verum etiam re, quoad possunt, eis opitulentur. Suadet id ipsum naturæ æqualitas,

CCXV.
Obligati
ad eleemo-
synam, &
leges de
illa.

T 4

&

- * Officia eleemosynæ generatim acceptæ S. Augustinus in Enchirid. ad Laurent. c. 72. hæc recenset: *Dare esurienti cibum; sitienti potum; nudo vestitum, peregrinanti hospitium, fugienti latibulum, ægroto, vel incluso visitationem, captivo redemptionem, debili subvectionem, cæco deductionem, non sano medelam, erranti viam, deliberanti consilium, & quod cuique necessarium est indigenti.*

& natura societatis, quæ honorum quamdam communicationem pro cuiusque necessitate exigit. Distinguendi autem sunt necessitatis gradus: ut, si ea modica sit, largiri de superfluis tantum nostris rebus teneamur; si gravis, etiam de necessariis, quamquam jure imperfecto; perfecto autem jure, si extrema alterum indigentia premat. Unde manifestum est, non divites tantum, & qui facultatibus abundant, ad eleemosynam obligari, sed etiam eos, qui, licet, non abundant, habent tamen, quod pro modulo suo erogare possint. Distinguendum etiam est inter pauperes digniores, & minus dignos, non ita quidem, ut reputetur legitima causa negandi eleemosynam, quod is, qui petit, indignus ea sit; eleemosyna enim indigenti, non moribus indigentis datur: sed ita, ut intelligatur, utrum is, qui petit, ex ignavia in eo statu sit, an vero ex necessitate. Priori recte negatur eleemosyna, ne scilicet nostra largitione ejus ignaviam, & vitia alamus; at contra omne jus denegatur alteri.

CCXVI. Sequitur hospitalitas, qua peregrinos te-
*Itemque ho-*sto & mensa excipimus: genus beneficii
spitalitatis. præcipuum, si nulla retributionis spe exhibetur; eoque aptius ad vinciendos inter se caritate animos, quo magis illud egentes viatores præstari sibi cupiunt. Egregia sunt de hospitalitate judicia & exempla vel apud barbaras nationes, ut earum non nullæ pœnas in eos sanxerint, qui peregrinos hospitio recipere detrectassent. Totaque vetustas ethnica credidit, & Deos plerumque pe-

peregrinari, & hospites omnes esse a Jove, ut ex Homero, aliisque veteribus scriptoribus discimus. Ex Mosaica etiam historia constat, homines diluvio Noetico viciniore nihil tam impense, quam hospitalitatem coluisse; sed quo longius ab illis temporibus discesserunt, & civilius coeperunt vivere, eo magis aucto vitæ luxu, & habendi cupiditate, minus humanos evasisse. Vitium oppositum est inhospitalitas, eaque in duo dividitur capita: primum est, hospitio peregrinos non excipere, cum adest occasio; alterum, postquam exceperis, violare. Et utrumque quidem inhumanum est, sed posterius procul dubio inhumanius; quia sancte initam societatem lædit*.

Beneficiæ subjicimus officiositatem, **CCXVII.** quo nomine intelligitur studium ac promptitudo, utilitatem præstandi alteri, cum restitutionis vel compensationis obligatione conjunctam. Nemo autem erit, quin intelligat, ad eam nos obligari: nam, si ope nostra egentibus subvenire vel cum detrimento nostro & sine spe retributionis aliquando tenemur; multo magis dum alter

Et officiositatis.

T 5

cer-

* Quem in sensum Ovidius.

Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes.

Inhospitalitatem vero severissime Deus ulciscitur: ejus exempla habemus in Sodomitis Gen. 19. & in Benjamitis Jud. 19.

certam retributionem spondet. Ut adeo inhumanus quidem sit, qui leve damnum ferre recusat, quo nostrum gravius depellere posset; is tamen multo iniquior, qui ne pro mercede quidem nobis opitulari velit: nisi forte is æque indigeat, vel nostra merces ei non perinde sit comoda.

CCXVIII.

*Obligatio
ad gratitudinem.*

Omnia vero hæc officiorum genera gratos nos esse jubent advertus eos, quos humanos vel beneficos aut officiosos sensimus. Exigit id cumprimis amor, quem arctiorem debemus iis, qui nobis profuerunt; tum etiam societatis natura, quæ sicut mutuis officiis maxime conservatur, ita cum ingratis salva stare & tranquilla non potest. Quare & a natura insitus est animis quidam beneficiorum sensus, ut scilicet haberent homines, vel si rationem sequi ducem renuant, quo ad gratitudinem impellantur: cumque & cæteras animantes consimili instinctu agi videamus, ut se memores velut beneficiorum probent, inhumanus plane ipsisque brutis ferocior sit, oportet, qui grates beneficienti non habeat, multoque magis ille, qui beneficia malefactis aut injuriis penset. Partes vero gratitudinis hæc ferme sunt: ut accepta agnoscamus officia, nec sinamus turpi oblivione deleri; ut benevolo in eos feramur animo, a quibus ea accepimus; ut gratiam tum verbis, tum re ac opera testemur, atque, si facultas suppetat, par pari reddere studea-

deamus. Cæterum quo præstantius est beneficium, eo majorem gratiam requirit: ut vel ex eo capite plus debeamus iis, a quibus vitam, quam a quibus fortunas accepimus; plus iis, qui animi, quam qui corporis commoda nobis contulerunt: plus denique, qui suo detrimento, quam qui innoxiam utilitatem nobis præstiterunt: & nihilominus tamen etiam iis simul obnoxii, qui ex officiositate tantum nobis subvenerunt, si vel subvenire non tenebantur, vel rem præstiterunt majorem, quam quæ mercedem admittat*.

PARS

- * Luculente id explicat Seneca de Benef. c. 15. *Isto modo, inquit, ne medico quidquam debere te, nisi mercedulam dices, nec præceptori, quia aliquid numeraveris. Atqui omnium horum apud nos magna caritas, magna reverentia est. Adversus hoc respondetur, quædam pluris esse, quam emuntur. Emis a medico rem inæstimabilem, vitam ac valetudinem bonam: a bonarum artium præceptore studia liberalia, & animi cultum. Itaque his non rei pretium, sed operæ solvitur. Et c. 16. Quid ergo? quare medico & præceptori plus quiddam debeo, nec adversus illos mercede defungor? Quia ex medico & præceptore in amicum transeunt, & nos non arte quam vendunt, obligant, sed benigna & familiari voluntate.*

PARS III.

ETHICA SPECIALIS.

AD eam nunc philosophiæ Moralis partem venimus, quæ mores justitiæ legibus informatos ad perfectiorem honestatem componit, hominemque ad incrementum felicitatis provehit. Ea igitur in virtutibus explicandis & commendandis versatur, quæ non modo justum & æquum, sed probum etiam & absolutum virum efficiant, id est, tale, cui satis non sit, quæ jure perfecto aut imperfecto debet, exercere, nisi & illa perfecerit, quæ citra obligationem decent. Virtutes autem cum dico, nemo sit, qui existimet, earum usum in arbitrio suo constitui: nulla enim est, quæ jure naturæ non præcipiatur, nulla, quin ad felicitatem veram simpliciter sit necessaria; sed gradus nempe sunt in ipsis virtutibus, quorum inferiores ad jus naturæ, superiores ad Ethicam proprie dictam pertinent. Prudens itaque Lector, si rite perspexit, quæ superiore parte diximus; facile discernet, quæ deceant hominem, quæ jure ab illo exigantur. Ut vero hanc partem recto pertractemus ordine; quoniam virtutes animum excolunt atque perficiunt, primum de affectibus animi, tum de virtutibus differemus.

CA.

CAPUT I.

De Affectibus animi.

QUOD Græci πάθη, Tullius perturbatio-
 nes, Quintilianus affectus dixit, vul-
 go passiones vocamus: iisque nominibus
 vehementiores motiones animi, a spirituum
 agitatione excitatæ, quibus ad prosequen-
 dum aliquid vel averſandum impellimur,
 indicantur. Dicuntur imprimis *vehementiores
 motiones animi*. In hoc quippe affectus vel
 passio ab actione voluntatis dividitur, quod
 hæc sit lenis, placida, & tranquilla; ille
 concitator & turbidior, unde & perturba-
 tionis nomen accepit. Dicuntur deinde a
spirituum agitatione excitatæ. Quamquam e-
 nim mens nihil percipit, neque ullum fere
 voluntas actum elicit citra aliquam spiri-
 tuum agitationem; cum ea sit lex ab Au-
 tore naturæ fancita, quando animam cum
 corpore conjunxit; ut animi motum quæ-
 dam spirituum commotio comitetur: illa ta-
 men spirituum agitatio, ut diximus, placi-
 da est & tranquilla. Verum ubi appetitus
 sentiens vehementius concutitur, statim &
 sanguinis æstus oritur, & spiritus adeo tu-
 multuantur, ut sæpe animus vix possit eos
 componere. Postremo dicitur, *quibus ad per-
 sequendum aliquid vel averſandum impellimur*;
 quo discernantur affectus ab aliis perceptio-
 nibus, tum iis, quæ ad corpus duntaxat
 referuntur, non item ad animum; tum et-
 iam

I.
*Affectuum
 natura.*

iam ab iis, quæ intra intellectum consistunt. Unde liquet, præcipuam sedem affectuum esse voluntatem, quæ una vere ac proprie aliquid prosequi vel averfari dicitur: nam quod alii sentiendi facultatem; alii facultatem intelligendi aut opinandi pro affectuum fede constituunt, id eatenus verum esse potest, quod earum ministerio voluntas ad amorem vel odium excitatur.

*II.
Eorumque
genesis.*

Ut vero hæc clarius intelligantur, totaque affectuum velut oculis subjiciatur genesis, de qua multi subtiliter disseruere, juvat affectus in duo genera partiri. Primum eos complectitur, qui obscuram imaginationis perceptionem consequuntur, cum scilicet animus causam, ex qua oriuntur, distincte non percipit: tumque spiritus, qui prius toto corpore æquabiliter erant fusi, ex nova objecti perceptione commoventur, & in eas præcipue corporis partes dirguntur, quæ aut boni insecutioni, aut mali fugæ servant; tum etiam in eas, quæ novos spiritus suppeditant. Inde animus ipse spirituum velut inundatione commovetur: nam quæ corpus afficiunt, ad se pertinere putat; & utriusque motus sunt omnino reciproci. Ex variis demum impressionibus, quas spiritus in cerebro inurunt, varios, ut ita dicam, sensus seu affectus, aut amoris, aut alterius passionis induit animus. Alterum affectuum genus eos complectitur, qui intellectus ipsius perceptionem aut judicium consequuntur. Cum de objecto ad nos comparato opinionem concipimus, id vel bonum nobis, vel
malum

malum judicamus. Priore casu sequitur quedam voluntatis in illud objectum pro-
pensio; nam ante ejus rei perceptionem vo-
luntas aut boni indefiniti, aut alterius amore
erat occupata; hujus objecti novitate per-
culsa, si bonum apparet, amore quodam
& velut sensu intimo in id impellitur.
Hunc sensum nova sequitur tum spirituum
animalium & sanguinis in certas corporis
partes impulsio; tum animæ ipsius commo-
tio ex illa spirituum agitatione orta. Itaque
affectus, ut paucis dicam, excitantur par-
tim ab externis objectis, quæ in cerebro
vestigia imprimunt, cum quibus certæ per-
ceptiones sunt conjunctæ; ex iis oritur bo-
ni aut mali opinio; tum quedam spirituum
commotio, quam motus animi vel affectus
comitatur: partim impetu quodam, vel a
naturali inclinatione excitantur.

De numero jam affectuum quærunt Phi-
losophi. Verum tanta est in objectis, quæ
affectus excitare possunt, varietas, tanta in
nostris corporibus mutabilitas, ut affectus,
qui objectorum impressiones, spirituum agi-
tationem, & cerebri temperiem consequun-
tur, ad certum numerum redigi vix possint.
Illi tamen ad certa capita revocari solent.
Et Peripatetici quidem in concupiscibiles,
ac irascibiles, eos distribuunt: reponuntque
in priori genere sex species, amorem & o-
dium, desiderium & fugam, gaudium &
tristitiam: quinque in altero, spem, despe-
rationem, audaciam, timorem, iram. Sed
si naturam affectuum spectemus; quoniam
illi

III.
*Et variae
species.*

illi in motu animi, quo vel prosequimur, vel averſamur aliquid, conſiſtunt; affectus omnes ex amore vel odio veluti ex uberrimis fontibus oriri recte dixerimus. Si enim voluntas ita ſenſibilibus objectis, vel ſpirituum motu excitetur, ut ad objectum ipſum inclinēt, tum affectus ille boni proſecutio, ſive *amor* vocatur; ſi vero illa ab objecto veluti malo abhorreat, affectus ille, mali averſatio, fuga, ſive *odium* dicetur. Quod ſi bonum illud, quod voluntati proponitur, & in quod ipſa ingenito quaſi pondere inclināt, ſit præſens, ut illo frui, ſeu in eo jucunde quieſcere poſſit, iſ affectus amor fruitionis, *voluptas*, *lætitiâ*, vel *gaudium* vocatur; ſi vero voluntas in bonum velut futurum ac remotum feratur, tunc amor ille *cupiditas* vel *deſiderium* dicitur; & ſi illud obtineri poſſe putaverit, *ſpes* appellatur, ex qua oriri debet, *audacia*, *lenitati* ſeu tranquillitati conjuncta, quæ animum ad conſectandum bonum impellat. Ex adverſo, ſi malum, quod voluntati proponitur, ſit præſens, *moleſtiâ* ſive *doloris* affectus, voluptati, lætitiæ vel gaudio oppoſitus excitatur; ſi vero voluntas malum ipſum veluti futurum conſideret, affectus ille *fuga* vocatur, quæ deſiderio adverſatur; & ſi ejuſmodi malum ſibi imminere putaverit, *metum* concipiet, quo ſpes extingui, vel *deſperatio* produci debebit, ex qua *puſillanimitas* aliquando, vel *ira* lenitati contraria conſequetur. His addit Cartefius admiratiōnem, quæ amorem ipſum ac odium, adeoque

que ceteros omnes affectus præcedat; sed ea ad intellectum potius, quam voluntatem pertinent.

Nunc celebris occurrit quæstio de bonitate aut malitia affectuum, magnis olim contentionibus Stoicos inter ac Peripateticos, ut refert Cicero, agitata; quam alii tamen in vocibus magis, quam in rebus ipsis positam credidere. Stoici in ea quidem fuerunt opinione, affectus omnes natura sua vitiosos, inhonestos, & pravos esse. Peripatetici contra passiones moderatas & rationi subjectas, bonas esse, ut effrænes in malis habendas contendebant. Et vero, si affectus omnes, quibus animum percelli contigerit, ex ipsa hominis natura vel indole proficiuntur; quis aperte non videat, eos natura sua vitiosos esse non posse, nisi eadem quoque hominis natura, pulcherrima nempe substantia, quæ ex Divini Artificis manu prodierit, vitiosa putetur? Ipsæ deinde virtutes ita cum affectibus sunt conjunctæ, ut ex eorum moderatione atque temperie oriuntur; ideoque si virtutes semper honestæ esse debent, affectus ipsi, qui cum virtute conjuncti sunt, inhonesti certe esse non poterunt. Denique humanus animus ita a variis affectibus veluti stimulis ad virtutis amorem & honestatis gloriam impellitur ac excitatur, ut nulla profecto virtus haberi unquam possit, quæ ab aliquo affectu non oriatur. Itaque affectus ad honestum finem dirigi, ad honestatis leges temperari sic poterunt, ut ad perfectam hominis felicitatem conferant; ideoque

IV.
*Affectus
non sunt
natura
mali.*

U

illorum

illorum natura sic indifferens atque flexibilis esse debet, ut, si ad honestum finem dirigantur, & rectæ rationis lumine temperentur, boni ac honesti fiant; sin vero ab instituto fine deflectant, si honestatis limites excedant, & accedat liberæ voluntatis consensus, tum in vitia degenerent. *

V.
Ideo nec
penitus
evellendi.

Jam & illud facile intelligitur, an vir probus ac sapiens ἀπαθής esse debeat, seu an effectus omnes ita sint evellendi, ut iterum excitari nequeant, quod Stoici docuerunt. Nam imprimis affectus stirpitus evelli non possunt, nisi quis naturam seu indolem humanam ipsam tollat; utpote cum qua arctissimo ac inviolabili fœdere conjunguntur. Deinde vero nec debent penitus convelli: quia ad conservationem hominis, ad tuendam humani generis societatem, ad virtutum denique usum veluti instrumenta dati sunt. Tolle voluptatem omnem aut dolorem; nulli erunt ejus, quod bonum aut malum, characteres, ab Autore naturæ impressi, quibus utilia a noxiis separemus. Spe omni sublata, quid jucundi

* Hinc Augustinus l. 9. de Civ. Dei. *In disciplina nostra, inquit, non tam queritur, utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur; nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis; nec utrum timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti ut corrigatur, contristari pro afflictio ut liberetur, timere periclitanti ne pereat, nescio utrum quisquam sana consideratione reprehendat.*

jucundi supereſt in vita? Nec miſericordia ſine immanitate, nec metus ſine temeritate quadam eripitur: tolle miſericordiam, quis erit, qui miſeris opem ferat? ſi metum ſuſtuleris, omnem vitæ diligentiam ſimul tolles; hæc enim ſumma eſt in iis, qui leges, qui ignorantiam, qui mortem timent. Idem ceteros affectus percurrenti patebit. Quare quod Stoici de ſapiente dixerunt, eum omnis affectionis expertem vivere oportere; id quidem nimis admirabiliter, nimisque magnifice, ut ait Cicero,* & ſupra, quam noiſtræ mentis indoles atque natura patiatur, dixerunt. * *

Quamvis autem affectus extirpari nec poſſint, nec debeant; in poteſtate tamen eos habéat, & ſecundum rectæ rationis leges moderetur, oportet, quiſquis veræ felicitatis ſtudio tenetur. Id manifeſtum eſt ex ipſa geneſi & natura affectuum. Cum enim illi ex objectorum in ſenſus incurſu, atque ex naturali corporis habitudine oriantur; neceſſe eſt, ut perſæpe omnem mentis deliberationem antevertant, ac voluntatem in ſequiorem partem ſollicitent: igitur niſi animus eis frænus injiciat, rationis eos ſubjiciat imperio, & ad recti honeſtique leges temperet; nihil pronius eſt, quam ut ratio-

VI.
Sed ratione regendi ſunt.

U 2 nis

* Tuſcul. l. 4. c. 16.

** Nam, ut ait Auguſtinus l. 14. de Civ. Dei, non quia durum aliquid, ideo rectum; aut quia ſtupidum eſt, ideo ſanum.

nis lumen extinguant, nosque ad sensibilibus rerum amorem cœco quodam impetu contra fas ac decorum omne abripiant. Quod eo magis in hoc, quem degimus, naturæ statu mortalibus est conandum, quod post primi parentis lapsum, offusamque menti nostræ caliginem flexibilis illa arbitrii libertas, quæ ante paribus veluti viribus in utramque partem flecti poterat, ita fauciata fuit, ut ingenito pondere ad malum vehementius voluntatem inclinet; & affectus illi, qui puriore & tranquillo rationis lumine dirigi, leniri, ac temperari perfecte poterant, ita plerumque vivide ac vehementer in animis nostris excitantur, ut ad sensibilibus rerum amorem vel invitos fere nos rapiant.*

*VII.
Remedia
affectuum
generalia.*

Si ergo temperandi sunt affectus, ne limites rectæ rationis excedant, reliquum est, ut videamus, quibus id potissimum prædiis effici possit. Fortasse quidem, sicut plures sunt morbi corporum, quam remedia, ita se res & in animo habet: attamen complura sapientissimi Philosophorum naturali ratione & experientia docti nobis suppeditant, ex quibus non nulla adse-

* Ut de se querebatur Medea apud Ovid. Metamorph. l. 7.

*Sed rapit imitam nova vis; aliudque
cupido,*

*Mens aliud suadet: video meliora, pro-
boque;*

Deteriora sequor.

adferemus. Eorum vero quædam sunt generalia, & triplici affectuum causæ opponuntur. Primum ergo, quia affectus ab objectis in sensus incurrentibus excitantur, procul dubio arcendi sunt sensus ab ejusmodi objectis, quæ animum in vitia præcipitem dare solent. * Ex vehementiore dein sanguinis & spirituum æstu affectus oriuntur: huic medetur temperantia, & vitæ æquabilis quædam ratio, quæ maliciam in sanguine, & tranquillum in spiritibus fluxum inducit. Opinio demum boni aut mali voluntatem ad affectus sollicitat: ea igitur ne in transversum agamur, id cumprimis providendum est, ne boni malive species nobis imponat, ut res omnes ex æquo æstimemus, verumque bonum a falso segregare noverimus: ** tum vero etiam imbuendus est, animus certis principiis vel axiomatis, quæ mentem tueantur ab errore, ac voluntatem ad saniora consilia capesfenda alliciant. *Vid. P. 2. num. 98. & 100.* His adde, pugnandum adversus animi motus, eos præsertim, quorum proclivior ad vitia est transitus, quique agmen veluti ceterorum ducunt: prostrato validissimo hoste facilior est de auxiliariis copiis victoria. Adde initiis obsistendum, cumprimum sci-

U 3

licet

* Si quis sensus objectis saturans credat se posse manere affectibus immunem, nescit, quorsum sua sponte feratur. Porphyrius.

** Βάλλε ἔξω τὴν ὑπόληψιν, σείσωσαι.
Ejice opinionem, & salvus es. M. Ant. 1. 12.

licet affectus in vitium degenerare incipit: durata mala difficilem habent medicinam. Adde honestarum artium studia, exempla virtute illustrium virorum, proborum consortium; quorum magna est ad mitigandos animi motus efficacia.

VIII.
Amoris,
cupidita-
tis &c.

Ex his generalibus velut fontibus peculiaria derivari possunt remedia, temperandis affectibus opportuna. Cumque affectus duplicis sint generis, prout boni vel mali specie res aliqua cognitioni nostræ exhibetur; adversus eos quidem, qui ex boni falsa opinione oriuntur, uti sunt amor, voluptas desiderium &c. præsentissimum est remedium, ut sedulo apud animum nostrum reputemus vilitatem, inconstantiam, ac fœditatem earum rerum, quæ ejusmodi affectum in nobis excitant: * cœcus enim fere est amor, cœca cupiditas, & res caducæ personata plerumque specie animos nostros capiunt; detracta igitur rebus larva, & puriore mentem illustrante lumine, major se ipso surgit animus, & blandimenta rerum
infra

* Τὸ σαπρὸν, inquit M. Antonin. l. 9. τῆς ἐκάσῳ ὑποκειμένης ὕλης. ὕδωρ, κονίσις, ὕδαρια, γράσος ἢ πάλιν πῶροι γῆς, τὰ μάρμαρα καὶ ὑποσάθμαι, ὁ χρυσὸς, ὁ ἀργυρὸς ἢ τριχία, ἢ ἑδῆς ἢ αἷμα, ἢ πορφύρα καὶ τὰ ἄλλα πάντα τοιαῦτα. Vide, quam putris sit omnium rerum materia; aqua, pulvis, officula, fœtor: rursus calli terra, marmora: fœces aurum & argentum: vestis, villi: purpura, sanguis: omnia reliqua ejusdem modi.

infra se despicit. Plurimum etiam eo contulerit diuturna & longa rei amatae vel exoptatae absentia; negotiosa rerum seriarum tractatio; modestia victus & cultus corporis.

Illis vero affectibus, qui ex mali representatione nascuntur, uti sunt dolor, tristitia, metus, obviam iri potest, hæc aut similia cogitando: nihil scilicet contingere posse homini, quod non sit humanum aut naturale; stultum autem esse ob ea angere, quæ tamen & humana sunt, & naturalia: quæcunque nobis adversa accidant, nihil tamen esse ejusmodi, ut mentem nostram reddere possit deteriore; ideoque non esse, cur animus se excruciet, si deterior non sit redditus: vix evenire quidquam homini, quod non & alii jam sæpius experti sint; ferendas itaque calamitates, quæ nec insolitæ sunt, & fere quotidianæ: insanum esse eis repugnare, quæ ut secus fiant, non sit in hominis potestate; eosque, qui adversa iniquo tulerunt animo, indignatione sua aut tristitia nihil omnino profecisse: cuncta denique provida Numinis administrari cura; quidquid nobis accidat, istud dirigente Deo nobis evenire; atque adeo illum aut nostræ aut aliorum consulere voluisse saluti; nihil itaque esse satius, quam ut nos ejus providentiæ totos committamus. Et hæc quidem alte in animum immissa plurimum valent ad depellendam animi ægritudinem, firmamque serenitatem reddendam: quæ sequuntur leniora sunt, sed eo minus efficacia, ut amicorum col-

IX.
Doloris,
tristitia
&c.

loquia, somnus, lachrymæ.* Honestæ item animi remissiones juvant: at male quæritur solatium in voluptatibus, quæ postea sine dolore cogitari non possunt; neque enim id foret sanare animum, sed novis timoribus & curis exulcerare.

X.
Remedia
Ira.

Ceterum ex dolore cum variæ animi oriuntur perturbationes, præcipua tamen ejus species est ira. Ad hanc sedandam novem adfert remedia sæpe nobis laudaturus M. Aur. Antoninus imperator idem atque Philosophus (a) digna plane, quæ ex Græco reddita huc inferantur. Et primo quidem docet, cum homines natura inter se sint æquales, nefas esse, ut quis alteri velit irasci: deteriorem enim illum se ipso esse putat, cui irascitur. *Secundo*, quales sint, quibus irascimur, monet esse cogitandum. Nimirum ut plurimum deprehendemus, vitiis eos ita immerfos esse, ut commiseratione potius, quam ira digni videantur. *Tertio*. „ Si recte, inquit, faciunt homines, non est indigne ferendum: sin secus, utique non sponte, sed, ignoratione peccant. „ Quibus verbis significat, in meliorem partem interpretanda esse facta hominum; ut etiam cum peperam agunt errore, non malitia lapsos putemus.

* De quibus Ovid.

- - *Est quædam flere voluptas;*
Expletur lachrymis, egeriturque dolor.

(a) Lib. I I. §. 18.

temus. *Quarto.* „ Ipse quoque, ait, in
 „ multis delinquis, esque ipsorum similis:
 „ ac tamen quibusdam peccatis abstineas,
 „ tamen habitum ea faciendi habes, ac
 „ vel metus, vel gloriæ consecranda causa,
 „ aut ob aliud quid æque vitiosum simi-
 „ libus peccatis abstines. *Quinto.* Ne hoc
 „ quidem fatis scis, an peccent: quædam
 „ enim ex prudenti dispensatione fiunt.
 „ Omnino autem multa explorare opus est,
 „ antequam certum aliquid de aliorum
 „ actionibus statuas. *Sexto.* Ut maxime
 „ stomacheris, tamen vita hominum est
 „ momentanea, ac paulo post omnes mor-
 „ rimur. *Septimo.* Non actiones ipsorum
 „ nobis molestiam exhibent, cum eæ sint
 „ in ipsorum animis; sed nostræ opinio-
 „ nes. Iraque tolle voluntatem iudicandi
 „ de re aliqua tamquam mala; simul iram
 „ sustuleris. *Octavo.* Multo graviora mala
 „ adfert ira, quam ob aliorum malefacta
 „ concipimus, atque illa ipsa sint, ob quæ
 „ irascimur. *Nono.* Mansuetudo, si ge-
 „ nuina sit, non contumeliosa aut fucata,
 „ invicta est. Quid vero vel procacissimus
 „ homo tibi faciet, si constanter manue-
 „ tudinem ferves, ac, si res ita ferat, pla-
 „ cide eum horteris eo ipso tempore, quo
 „ is te lædere nititur? si dicas: Noli fili;
 „ ad alias res nati sumus: ego quidem
 „ non lædar, sed tu fili. Oportet autem
 „ neque irridendi, neque convitiandi causa
 „ hoc facere, sed amanter, atque ita ut
 „ ne mordeatur. Hæc Antoninus: quam
 „ sapientissimam doctrinam ita demum con-
 „ cludit.

cludit. „ Horum novem capitum me- „
 mento, tanquam a Musis si ea dono „
 accepisses: ac incipe tandem homo esse „
 dum vivis. In promptu autem tibi sit „
 ira accedente, non iram esse viri, sed „
 mansuetudinem ut humaniorem, ita vi- „
 riliorem esse: robur enim vero, & ner- „
 vos, & vires penes mansuetos esse, quæ „
 non sunt apud indignantes & morosos. „
 Denique & iræ vanitatem quandoque me- „
 ditari juvabit, cum sæpe in eas res effun- „
 datur, quæ sine culpa lædunt, nec iram „
 nostram sentiunt. *

CAPUT II.

De Virtutibus, & vitiis.

XI.
Connexio.

Affectus humanarum actionum instru-
 menta sunt, in utramque partem
 apta: ut, qui recte iis utitur, is cum vir-
 tute agere; qui secus, in vitium deflectere
 censetur. Quoniam ergo de illis supe-
 riore capite differuimus, quo doctrinæ se-
 ries via ac ratione pertexatur, de virtuti-
 bus

* Huc facit illud Euripidis in *Bellerophonte*

Τῷς πράγμασι γὰρ ἔχι θυμῶσαι
 χρεῶν.
 Μέλει γὰρ αὐτοῖς ἔδειν.

*Nam rebus irasci, nil sane expedit:
 Iram enim curant nostram nihil.*

bus ac vitiis nunc dicendum. Itaque de illis primum quidem generatim, tum etiam singillatim agemus.

Virtutis nomine non vim naturalem, aut facultatem congenitam, nec bellicam fortitudinem, nec quamlibet perfectionem, sed eam habitudinem animi, quæ studio & exercitatione comparatur, quæque, ut ait Philosophus, *Bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit*, hoc loco intelligimus. XII.
Virtus est habitus agendi honeste.
Tria enim spectamus in animo: facultatem, affectionem, & habitum. Facultas est a natura insita: ut vis irascendi, amandi &c. Affectiones sunt actiones ipsæ, iræ, amoris &c. Habitus vero ii dicuntur, quibus circa actiones bene aut male sumus comparati: sic invidi, & malevoli, & timidi dicuntur, qui proclives sunt ad eas perturbationes; non quia semper in eas ferantur, sed quia sæpè. Illa igitur facilitas ad bonum, aut proclivitas ad malum, si usu & exercitatione sit acquisita, virtus dicitur, aut vitiositas. Unde virtus, jejune quidem, sed vere definiri solet *habitus electivus honesti*. Et *Habitus* quidem dicitur; quod sit constans, & bene agendo confirmetur: nam qui ex virtute agit, non temere, non desultorie, non simulate, non casu & fortuito, sed consilio & constanter agit. *Electivus* autem; ut ab iis, qui intellectuales dicuntur, & ab aliis, si qui sunt, virtus moralis sejungatur: ad eam enim spectat, ut voluntarie, libere, & ex electione operemur. *Honesti* demum; quo iterum virtus moralis ab intellectuali discernitur: hæc enim

enim veritatem, illa honestatem respicit. * Quandoque tamen virtutis & vitii nomina non pro habitu, sed actu usurpamus: & sic accepta virtus nihil aliud est, quam actio humana præceptis aut regulis honestatis sive rectæ rationis conformata: ut contra actio pugnans cum honestate, vitium appellatur.

XIII.
Usu &
exercitatio-
ne compa-
ratur.

Exercitatione vero & usu honestorum actuum virtus comparanda est: quoniam a natura non inest nobis ea facilitas, qua in virtutis actiones prona, & constanti voluntate feramur. Magna quidem est vis naturæ ac temperamenti: sed consuetudine plerumque & doctrina aut corrigitur, aut depravatur; & sæpe usuvenit, ut qui in quosdam affectus sunt a natura proclives, ex habitu & consuetudine in contrarios affectus propendeant. Fatendum item, virtutem a natura quidem inchoari: quædam enim virtutum semina & velut igniculos Autor naturæ nobis inseruit. Sed nempe eorum vim ac efficaciam hæreditaria labe hebetavit: unde proniores in malum sunt sensus hominis, & vitiis facilius quam virtutibus infuescimus. Igitur doctrina, studio, institutione, ac præcipue usu exercitationeque opus est; quo rudimenta illa virtutis, quæ a natura accepimus, adolescant &

* Eodem sensu apud Tullium Tusc. l. 4. virtus est affectio animi constans, conveniensque, laudabiles efficiens eos, in quibus est. Et Augustino l. i. de Quant. animæ, est æqualitas quædam vitæ, rationi undique consentientis.

& perficiantur in nobis. Est enim usus & exercitatio velut summus vitæ humanæ moderator : & quidem tum validissima est consuetudo, cum a pueritia incipit ; tumque educatio nominatur. Ubi vero consuetudo in collegium aut in societatem coacta est, illius vires mirum in modum augentur : tum enim exemplum ; societas, æmulatio, gloria ipsa stimulos & vires addunt. Itaque consuetudo, exercitatio, pudor, amor gloriæ & honestatis plurimum possunt ad habitus comparandos, & stabiliendum rationis imperium.

Cum virtus versetur circa perturbationes & actiones, in quibus excessus & defectus, magis & minus, quam par sit, inveniuntur ; proprium autem sit virtutis, modum iis adhibere ; recte inde arguimus virtutem in medio esse constitutam. Nempe sua cuique virtuti opponuntur vitia, quorum alia in excessu quodam, alia in defectu virtutis consistunt. Sic temperantia inter stupiditatem seu nullius voluptatis sensum, & intemperantiam, media reperitur ; fortitudo inter ignaviam, & audaciam ; liberalitas inter avaritiam, & prodigalitatem ; modestia inter ambitionem, & honoris incuriam ; festivitas inter scurrilitatem, ac rusticitatem ; prudentia inter stultitiam, ac versutiam ; quod innumeris aliis exemplis ostendi potest, atque in virtutibus omnibus explicari. De sola iustitia dubitari solet, utrum inter extrema vitia sit posita : sed lis videtur esse de nomine. Nam adversus iustitiam vindicem excessu & defectu peccari potest, cum
nimi-

XIV.
*Consistit in
quadam me-
diocritate.*

nimirum aut plus pœnarum, aut minus æquo exigitur; adeo ut crudelitas excessu, nimia indulgentiâ defectu peccet. Si autem de iustitia stricte sumpta moveatur quæstio; cum objectum illius sit jus seu æquale, utrinque æqualitas lædi potest: excessu, cum alteri plus tribuitur, quam debitum, æquum, aut par sit: defectu, cum non totum tribuitur, quod deberi intelligimus. Itaque iustitia, ut virtus omnis, est in medio posita, ratione objecti. Virtus enim omnis modiocritatem tuetur, nec excedit, nec deficit: excessus vero aut defectus est in re seu objecto, non enim in virtute, cujus perfectio est aliquid summum; sed virtus est ipsa mediocritas, quatenus objectum attingit, quando & quomodo oportet: cum scilicet timemus, cupimus, irascimur, ubi & quantum opus est. Atque hoc præcipuum est virtutis opus, adhibere hanc mediocritatem a ratione definitam.*

XV. Quamquam vero virtus in extremorum
Virtutum, vitiorum medio constituitur, tamen tot fere
Evitiorum numeramus virtutes, quot vitia; ut adeo
opp sitio. inter vitia extrema non una tantum repe-
 riatur

* Unde Horatius l. i. ferm.

*Est modus in rebus, sunt certi denique
 fines.*

Et l. i. ep. 18.

*Virtus est medium vitiorum, & utrinque
 reductum.*

riatur virtus. Id manifestum est in actibus virtutum : sunt enim persæpe inter duo vitia, duo virtutum actus diversi, quorum alter tendit in objectum, alter videtur ab eo recedere. Sic inter prodigalitatem & avaritiam duo sunt actus specie distincti, dare, & retinere : liberalitatis est dare, ut decet ; parsimoniæ retinere, ut oportet. Sed hi actus dare, & retinere, prout recta ratio præscribit, tam sunt inter se diversi, quam dare & retinere præter rationem & modum : igitur parsimoniæ & liberalitatis actus tam sunt inter se distincti, quam prodigalitatis & avaritiæ. Idem reliquas virtutes percurrenti patebit : nam inter imprudentiam & versutiam est prudentia & sinceritas ; inter ignaviam & temeritatem, fortitudo & cautio ; & ita de reliquis, nisi forte cum vocabula deficiunt. Atque hinc fit, ut quædam vitia virtutem mentiuntur, & vicissim : ac sæpe evenit, ut virtus ad alterum extremorum propius videatur accedere. Sic fortitudo audaciæ, quam ignaviæ, est vicinior ; parsimonia avaritiæ est propior, quam liberalitati ; temperantia magis ad voluptatis privationem, quam ad intemperantiam accedit : unde & vitia plerumque virtutum specie nos fallunt. *

Nume-

* Hinc illud Ottonis de Galba apud Tacitum :
*Quæ alii scelera, hic remedia vocat, dum falsis
 nominibus severitatem pro sævitia, parsimoniam
 pro avaritia, supplicia & contumelias vestram
 disciplinam appellat.*

XVI.
*Divisio
 virtutum.*

Numerum jam virtutum aut vitiorum quis ineat? sed certis generibus comprehendi possunt. Et virtutes quidem quatuor sunt præcipuæ, ceterarum velut cardines, unde & cardinales dicuntur: Prudentia, fortitudo, iustitia, ac temperantia. Primum enim ut homo honeste vivat, necesse est, ut cognoscat, quod factu sit optimum; atque hoc est prudentiæ munus. Deinde constantem habeat & stabilem voluntatem ejus faciendi, quod optimum judicaverit: eaque voluntas hominem perficit vel simpliciter, ut in se ipso spectatur; sive præcipites perturbationes compescat, quod præstat temperantia; sive tardiores excitet, quod est fortitudinis: vel demum compare, & ratione humanæ societatis; idque efficit iustitia, quæ suum cuique tribuit.* Complures vero aliæ virtutes ad has quatuor ut earum partes vel comites referuntur.

XVII.
*Earumque
 inter se nex-
 us.*

Tot tamquæ variæ virtutum species quamdam tamen inter se habent cognitionem, seque mutuis velut officiis juvant; ut nulla fere sine certarum subsidio firma con-

* *Omne, inquit Cic. Off. l. I. quod honestum est, id quatuor partium oritur ex aliqua: aut enim in perspicientia veri, solertiæque versatur; aut in hominum societate tuenda, tribuendo suum cuique, & rerum contractarum fide; aut in animi excelsi atque invicti magnitudine ac robore: aut in omnium, quæ sunt, quæque dicuntur, ordine & modo, in quo inest modestia & temperantia.*

constare possit. Advertendum autem hic, triplicem esse virtutum statum. Primus est incipientium, qui & continentiae dicitur: cum quis affectuum fluctibus adeo concutitur, ut virtus illius vix firma adversus tot procellas stare possit, sed infirma sit & instabilis. Secundus est proficientium, qui & temperantiae dicitur, cum virtus jam firma est & constans adversus communes perturbationum ætus. Tertius dicitur heroicus, cum aut sedatis affectibus, aut ita fractis, ut virtutem commovere non possint, omnia ex virtute fiunt. Jam illud quidem satis constat, virtutes in statu continentiae & infirmitatis non esse omnino inter se devinctas: sed perinde etiam certum videtur, virtutes, saltem præcipuas, in heroico, immo & in medio temperantiae statu ita esse colligatas, ut altera sine altera esse non possit. Fac enim aliquem esse justum, sui ceteræ virtutes desint: si intemperans fuerit, juste agere desinet, ubi aliqua voluptas eum illexerit; si timidus, cum periculum imminet: & ita de reliquis virtutibus, quæ obices & impedimenta amovere debent, quibus animus a bene agendo seu directe seu indirecte abstrahitur. Virtus quippe nulla constans & firma esse potest, nisi omnia, quæ obtare possunt, impedimenta revellantur: id quod fieri nequit citra aliarum virtutum consortium. Prudentia demum per omnes se diffundit virtutes, cum, quid optimum factu sit, docet, & cuilibet suos terminos rationemque definit.

XVIII.
*Commenda-
 tio virtu-
 tis.*

De præstantia etiam virtutum pauca dicamus: plurimum enim interest non modo nosse naturam & proprietates virtutis, sed ejus etiam amore capi, quo deducatur in usum & consuetudinem. Est igitur virtus, ut Plato dixit, animi sanitas, pulchritudo, & robur; quemadmodum e contrario vitium morbus est animi, turpitudine, & imbecillitas. Hoc enim proprium est virtutis, ut hominem reddat bonum, ejus animum exornet, actiones perficiat, atque ad finem idoneum dirigat. Nempe ut optima est corporis temperatio, cum ea congruunt inter se, ex quibus constamus; sic sanitas mentis dicitur, cum ejus sententiæ, voluntates, & actiones cum recta ratione concordant: & sicut corporis est quædam apta figura membrorum cum coloris quædam suavitate, eaque dicitur pulchritudo; sic voluntatis cum recta ratione consensus cum firmitate quædam & constantia virtutem subsequens, aut virtutis vim ipsam continens, præcipuum est decus animi: ita & viribus corporis ac nervis similes quoque animi vires comparare licet. Quid vero homine virtute dignius? cum id demum sit esse hominem, firma & stabili voluntate in agendo rectam rationem sequi; vitia illum infra conditionem suam dejiciant. Quæ major laus esse potest, aut huic æquiparari? nam cum ceteræ extra hominem sint positæ, a vilissimis rebus adsciscantur, & sæpe indignissimo cuique obveniant; hæc una verè homini inest, & suis cujusque comparatur meritis, paremque humanæ menti dignitatem conciliat. Solius denique virtutis est prærogativa, ut hominem

nem vere beatum efficiat: componit enim motiones animi ad certam firmamque temperiem, qua potiri nequit impotens perturbationum animus; viamque ad mansuram semper felicitatem præparat.*

C A P U T III.

De Prudentia.

Virtutes omnes prudentia contineri, existimavit olim Socrates: id certum, omnes cum ea esse conjunctas. Tametsi enim prudentia inter virtutes intellectuales, quæ scilicet intellectum perficiunt, & ad verum spectant, numeratur: ea tamen sic ad virtutes morales pertinet, quæ scilicet voluntatem perficiunt, & in bonum tendunt, ut prudentia destitutæ virtutes dici non possint.

XIX.
Quid prudentia?

X 2

* Illustria sunt apud Veteres virtutis encomia.
Horat.

Vilius argentum est auro, virtutibus aurum.

Juvenal. sat. 8.

Nobilitas est sola atque unica virtus.

Virgil.

*Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,
Difficilemque aditum primum spectantibus offert;
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.
Quisquis enim duros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemque decusque parabit.*

sint. Est quippe prudentia, ut eam definit Augustinus, *rerum expetendarum & fugiendarum scientia*, quæ scilicet bona a malis, utilia a noxiis discernit, atque omnem vitæ rationem moderatur; idque non universim, ut moralis disciplina, sed hic & nunc, seu hoc in loco & tempore. Alias dicitur *habitus vera cum ratione agens in iis, quæ homini sunt bona vel mala*; quæ definitio eodem reddit. Est enim habitus, isque dianoeticus, quod in mente resideat; cum sit ultimum iudicium practicum, aut illud efficiat. Dicitur habitus cum vera ratione agens, quod ad verum semper propendeat; tametsi vir prudens sæpe fallitur, & ratione utitur, cui eventus non respondeat: nam actiones humanæ, quas regit, tam incertæ sunt & variæ, ut prudentia humana conjecturis tantum nitatur: satis est, eam reflexis principiis niti certis & invariabilibus. Postremo prudentia in iis versatur, quæ sunt homini bona vel mala, nimirum in iis, quæ media dicuntur, quæque sunt consequendo fini idonea.

XX.

*Triplex
munus pru-
dentia.*

Ex his vero intelligitur, triplex esse munus prudentiæ. Primo nimirum requiritur *εὐβουλία* sive *recta consultatio*, qua prudens animus de rebus agendis deliberat, ut nihil temere, nil inconsulto aggrediatur, sed solo rationis lumine in eligendis vel omitendis actibus dirigatur. Deinde requiritur, ut animus, ubi singula rite discussit, recte deliberet, sive dijudicet, quid in his temporis, loci rerumque circumstantiis eligere & amplecti debeat: unde illa prudentiæ

tiæ pars σύνθεσις appellatur, qua mens aliquid statuatur, decernatur, judicetur. Cumque prudentia ad praxim dirigatur, omnisque virtutis laus, ut inquit Cicero, in actione consistat, ultimo debet prudentia actum illum exercere, quem utilem ac honestum esse decreverit, hoc est imperare, ut a virtutibus aliis, exterioribus etiam potentiis seu viribus producat: unde hoc tertium prudentiæ munus γνώμη sive sententia, vel imperium vocatur.

Ut his rite fungi muneribus possit prudentia, certæ animi dotes requiruntur, quarum aliquæ ad consultationem, aliæ ad iudicium, aliæ denique ad imperium pertinent, suntque velut præsidia quædam, aut partes integrantes prudentiæ. Primo itaque rerum præteritarum *memoria* opus est. Nam quæ agenda sunt, cum iis, quæ acta sunt, ut plurimum cohærent, & ex similibus causis effectus quoque consimiles nascuntur; adeo ut quid futurum sit, nisi ex præteritis, tanquam ex præcognitis, iudicare non possimus. Et quamvis circumstantiis mutatis maxima oritur in negotiis varietas, quæ magnum usum & acre iudicium postulat; tamen ex præteritarum rerum cognitione futuris & eligendis rebus plurimum lucis accedit. Hinc usus atque memoria, prudentiæ mater vocari solet: hinc senes, qui diuturna rerum experientia, sive peracti jam temporis, & rerum memoria commendantur, prudentiores esse merito existimantur; hinc denique Aristoteles docet, juvenes Geometria aliisque scien-

XXI.
Partes prudentiæ 1.
Memoria.

tiis imbuī posse ; prudentes autem raro inveniri, quod prudentia usu & experientia comparetur.*

XXII.
2. *Intelligentia,*

Requitur deinde *intelligentia*, accurata nimirum honestatis, eorumque principiorum cognitio, ex quibus actionum bonitas oritur ; quæ tamen cognitio non vaga & indifferens esse debet, sed pernoscendæ sunt negotii, quod est in manibus, omnes circumstantiæ, natura, conditio ; quibus rationibus juvari aut impediri possit ; seu consilium ex tempore sit capiendum, seu tempus ad deliberandum suppetat. Nam si cognitu necessaria nos fugiant, imprudenter & temere agimus. Quod autem multæ expediendi negotii rationes simul occurrant animo, id sæpe non tam ex ingenii fertilitate, quam ex iudicii infirmitate, oritur, qua fit, ut id statim arripiamus, quod fortius vim imaginatricem percellit : & ad pauca attendentes, ut fere evenit in rebus speculandis, sic in agendis facile decipiamur : præsertim cum vires nostras non consulimus, nec rerum connexionem satis diligenter perspicimus. In hoc utique summa prudentiæ posita est, ut pretia rerum recte æstimemus. Sapiens enim non temere agit, quo tendat, & quid sibi agendum sit, novit : stultus cæco perturbationum impetu abripitur.

Tertiâ

* Recte Ovidius Metam. 1. 6.

Seris venit usus ab annis,

Tertia dos est *providentia*, qua futuros etiam casus, rerumque exitus, quoad quidem fieri potest, & humanæ mentis admittit imbecillitas, providemus. Quamquam illud fatendum est, incertam admodum esse providentiam nostram; cum vix de ullo eventu certi esse possimus; ac nihil sit tam varium, tam multiplex, tam instabile, quam homo ipse, circa quem omnis prudentia versatur. Sed tamen in eo maxime est elaborandum, quantum res humanæ permittunt, ut media fini aptentur, ne malis eventibus occasionem demus, ut ex præcepto rationis semper agamus: nam prudens ille habendus non est, qui casu quodam & temere scopum attingit. Imprudenti nihil incertum videtur: unde quæ præter spem accidunt, ei videntur improvisa. Sed prudens nihil sibi proponit tanquam certum; in omnem se comparat fortunam; unde nihil fere ei accidit inopinatum.*

XXIII.
3. *Providentia.*

Memoriam præteritorum, intelligentiam præsentium, & providentiam futurorum, comitari debet *ratio*, quæ præsentia cum præteritis, simulque futuris comparans, quid eligi vel repudiari debeat; accuratissime inquirat. Cumque in eligendis humanis actibus,

XXIV.
4. *Ratio.*
5. *Docilitas.*

X 4

hus,

* *Illud vero, ut ait Cicero, ingenii magni est percipere cogitatione futura, & aliquando ante constituere, quid accidere possit in utramque partem, & quid agendum sit; cum quid evenit; nec committere, ut aliquando dicendum sit, non putaram.*

bus, & rerum amore, partim ex ingenii tenuitate, partim ex affectibus ipsis, partim denique ex ingenito quodam amore, quo nos nostraque omnia nimium diligimus, plerumque decipiamur, ideoque nullus unquam haberi vel fingi possit; qui solo ingenii proprii lumine dirigatur, prudentis erit aliorum quoque monita seu consilia patienter ac hilariter etiam excipere: unde in prudente inesse quoque debet *docilitas*, id est, prona ad discendum voluntas, qua mens libenter culturæ aurem accommodet.

XXV.
6. *Sagacitas.*

Necessaria quoque est *sagacitas*, sive *solertia*, ut media ad obtinendum finem opportuna inveniri & eligi queant. Intelligitur autem hoc nomine celeritas quædam, perspicacia, seu vivida quædam vis animi, quæ repente singula circumspiciens, in promptu habet consilium; eligitque ea, quæ faciliores, utiliora, & fini assequendo magis condicentia viderit; tantoque vividior hæc animi vis & celeritas esse debet, quanto obscurior fuerit rerum exitus, gravior consilii suscipiendi dignitas, & major temporis angustia, quæ deliberando conceditur.* Quin immo ipsa rerum vel temporis angustia aliquando

* Merito proinde laudatur Salomonis prudentia, quod tam celeri ac inopinata ratione matrum controversiam diremit. Atque etiam Antiochi, cui cum a C. Poplilio Lenate diceretur: *priusquam hoc circulo excedas, da responsum*, sibi suisque rebus optime consulit. Val. Max. 1, 6, c. 4.

quando id efficit, ut repente consilium illud capiamus, quod pacato & tranquillo animo vix affulgeret : sive quod ingenii vis tunc vividius excitetur, atque ex instantis periculi metu acrius impellatur : sive certe quod celeritas ipsa novum consilio decus jungat, ideoque nos magis consilium illud mirari soleamus, quod repente susceptum fuerit, quam illud, quod lente, matura ac diuturna meditatione exculptum sit. *

Inspiciendæ præterea diligenter sunt circumstantiæ operis seu negotii, ut nil nisi suo loco ac tempore fiat, modusque ille sive temperies adhibeatur, quæ ad optatum exitum conferre possit : quod est *circumspectionis*. Demum, quia plurima offendi possunt, quibus suscepti consilii felicitas perturbetur, illa solícite vitari debent : itaque postremo requiritur *cautio*, qua prudenter adhibita animus optato exitu perfruatur. Atque hæc sunt præcipuæ dotes, quibus prudentiæ virtus continetur : fatendum tamen, prudentiam ægre doceri, aut præceptionibus acquiri posse ; sed multo facilius serâ animi meditatione, observationibus accuratis, & longo usu comparari. Quia vero iis scribimus, quos prudentiam magister usus necdum docuit, non inutile fuerit peculiaria quædam prudentum monita hoc loco subjicere.

XXVI.

7. *Circumspectio.*8. *Cautio.*

X 5

Primum

* Ut admirans exclamat Martialis epigr. 14.

O quantum est subitis casibus ingenium!

XXVII.
*Monita
 quædam
 prudentiæ.*

Primum esto, ut finem in agendo bonum nobis præstituamus: sunt enim in rebus agendis fines, quod in disciplinis principia. Ita finis quo remotior, hoc magis spectari debet: adeo, ut in finem ultimum semper collineare, & omnem vitæ cursum eo dirigere, id sit prudentiæ caput. Quare illud principii loco tenendum, nunquam utile honesto, æquo iniquum antepone: quicumque futurus sit negotii eventus: ille infelix non habendus aut imprudens, qui sibi bene conscius est; ac intuta fere, quæ indecora. *Secundo* illud intuendum, ut nihil temere aggrediamur, nihil cujus causam honestam reddere non possimus. Quare nihil ex præcipitatione, aut ex perturbatione agendum; quodque suscipitur negotium, penitus, si fieri possit, est pernoscendum: nam si aliqua ex parte nos fugiat, diligentiam nostram facile eludet.

XXVIII.
*Itemque
 alia.*

Tertio cognoscendi sunt mores eorum, quibuscum agimus; atque in hoc magna civilis prudentiæ pars consistit, ut eorum ingenia, fines, actiones, studia, perspecta habeamus. Variis autem modis hominum ingenia cognoscuntur: ex vultu, ore, gestu, oculis, sermonibus. Vix enim quisquam ita tecto est animo, quin aliquando se ex motibus oculorum, aut gestu, aut verbis prodatur: * sæpe verba excidunt aut ex improvviso.

* Nemo occultior fuit Tiberio, id tamen Tacitus notat, quam dissimili modo laudaret in Senatu Germanicum & Drusum. De Germanico loque-

visō, aut ex perturbatione animi; perpauci enim ita sunt reconditi, & arcani commissi tenaces, quin illud prodant vel ex iracundia, vel alio affectū: interdum ex imbecillitate animi, quasi a se exonerandum cogitationes suas effundunt. *Quarto* curandum maxime, ut nos ipsos, vires, facultates, defectus, & alia, quæ ad nos pertinent, omnino perspecta habeamus. * Nisi enim vires propriæ expendantur, quid per nos ipsos, quid per amicos facere valeamus, vix optatum finem consequemur. Nec solum finis nobis debet esse propositus, sed etiam modus progrediendi: circumstantiæ omnes, tum ex parte rei agendæ, tum ex parte agentis, quæque aut promovere, aut impedire rei executionem possunt,

loquebatur, ut magis in speciem adornatis verbis, quam ut potius sentire videretur; de Druso paucioribus, sed intentior, & fida oratione.

* Quo pertinet notissimum illud: *γνώσι σεαυτῶν.* Omnibusque negotiis accommodandum, quod de arte Poetica monet Horatius:

*Sumite materiam vestris, qui scribitis,
aptam
Viribus, & versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri.*

Præclare vero Cicero: Ad quas, ait, res aptissimi erimus, in iis potissimum elaborabimus. Sin aliquando necessitas nos ad ea detruferit, quæ nostri ingenii non erunt, omnis adhibenda erit cura, meditatio, diligentia, ut ea si non decore, at quam minimum indecore facere possimus.

possunt, in promptu habenda sunt: temporum occasiones captandæ, ne aut nimia cunctatio omne consilium pessumdet, aut præcipitatio omnia pervertat. Hinc celeritas nimia & affectata, negotia ut plurimum tamquam præpropera digestio corrumpit: ut nimia dilatio consilia sæpe facit irrita.* Infinita prope hanc in rem dici possent, quæ apud melioris notæ autores passim occurrunt: nobis satis est præcipua indicasse.

XXIX.
Vitia opposita per defectum.

Reliquum est, ut vitia prudentiæ opposita perstringamus. Et ea quidem, quæ defectu peccant, sunt hujusmodi; *1mo ignorantia*, cum neque præteritarum rerum cognitio habetur, nec præsentium circumstantiæ inquiruntur, nec futurorum rerum exitus animo prospicitur; sed temere & inconsulto in id, quod animum illexerit, prosilitur. *2do* Proxime accedit *præcipitatio*, qua animus libero ac veluti effræni cupiditatis impetu abripitur, ut prius aliquid eligat, quam rite perspexerit, quid eligi vel potius omitti debeat. *3tio* *pervicacia*, cum præclara aliorum monita aut consilia contemnuntur, neque illis facile animus flecti patitur, quod vitium plerumque in levioribus, atque superbis etiam ingeniis observamus. *4to* Solertiæ opponitur *stupiditas*, & ignavia quædam, qua animi vis ita obtun-

* Biantis apud Laert. l. i. §. 87. est consilium. *Aggredere tarde agenda; sed aggressus age constanter.*

obtunditur, ut consilium inire & idonea media invenire non valeat. - *sto.* Quod si prudenter quidem deliberatum fuerit, nec tamen illa sollicitate caveantur, quæ moras injicere, aut propositum finem impedire possunt, *incautus* animus diceretur, & a prudentiæ laude excideret. - *cto inconstantia*, qua vel a suscepto semel consilio, leviori aura impulsus discedimus, vel illud exequi tamdiu differimus, ut interim perturbata rerum serie, vel mutatis circumstantiis omnis deinde consilii utilitas evanescat.

Quæ autem prudentiæ modum excedunt, sunt *imo* prudentia carnis, ut eam sacræ Litteræ appellant, quæ in divitiis voluptatibus, aliisque sensibilibus rebus inquirendis impensius occupatur, ideoque animum, natum ad æterna, ad hæc caduca dejicit, ac beatitatem suam in iis reponit. *2do.* Immoderata sollicitudo & anxietas, qua in capiendis consiliis animus torquetur, ut non nisi certissimis argumentis niti velit; cum tamen humanæ mentis sit ea conditio, ut perraro certitudinem in rebus agendis invenire valeat. *3tio.* Astutia, dolus, calliditas: exosum plane societati vitium, sed ei, qui illo utitur, maxime perniciosum. Nam prudens ex ratione bene instituta agit, de rebus suis cavet, proborum opera utitur, in occasiones intentus contra improborum conatus & impedimenta omnia se munit. Contra qui astute agit, spem suam ponit in aliis circumveniendis; in iis rebus versatur, quas facere homini non sit integrum; novas usque technas & artes fallendi excogitat:

XXX.
Vitia op-
posita per
excessum.

gitat : quo fit, ut præcipuum ad res gerendas instrumentum, fidem nimirum amittat, & eventus sæpius eum fallat. Scite non nemo dixit, nunquam nos facilius decipi, quam cum alios circumvenire volumus; tumque maxime nos illici in fraudem, cum aliis callidiores nobis videmur.* Neque enim ex alio fonte oriuntur astutiæ, quam quod a solida ratione & agendi dexteritate deficimus: est quippe altutra perangusti ingenii argumentum; ac fere evenit, ut qui ea degenerare & spuria prudentia utuntur, dum aliquam sui partem tegunt, aliam detegant. Qui enim pravis agitur consiliis, tandem se prodit, vel ob dissimilem vitæ tenorem, vel propter inordinatam vitæ rationem.

C A P U T IV.

De Fortitudine.

XXXI.
Quid fortitudo?

De animi, non corporis fortitudine hic agimus: quamvis enim aliquis infirmo corpore fractisque sit viribus, dummodo is in concepto semel consilio immobilis perseveret, nullis illecebris, nulla formidine, nullis affectibus perturbetur; sed cedere nescius adversæ fortunæ viribus æquabilem semper

* Optime dixit Tacitus *Annal. l. 10. Consilia callida & audacia, expectatione læta, tractatu dura, eventu tristia esse.*

semper ac tranquillum animum opponat, non vulgarem fortitudinis laudem merebitur. Est namque fortitudo animi, ut ait Tullius, considerata periculorum susceptio, & laborum perperessio, eique velut materia subjiciuntur illa, quæ in vita habentur mala physica, pericula nimirum, labores, adversa fortuna; quibus omnibus fortis animus non frangitur, sed contra se obfirmat, iisque invicto, & inflexo animo resistit. *

Ex quo intelligimus, tres potissimum esse **XXXII.** fortitudinis partes. Aut enim suscipienda *Ejus partes & modus.* sunt pericula, ubi id religio, necessitas, pietas in patriam, principem, parentes exigit; aut repellenda, si aliunde nobis immineant; aut denique alacriter & constanter sustinenda, si repelli seu vitari non possint. In quolibet tamen horum genere & rationem & modum adhibere opus est; ut virtus sit, non vitium. Non enim inconsulta temeritas est fortitudo; sed ex constantia & firmitate animi, atque ex fine honesto, in quo justitia ipsa eluceat, æstimatur. ** Quare si quis voluptatis amore, vel sola privati

COM-

* Seneca Trag. 5.

Haud est virile, terga fortunæ dare.

** Seneca Trag. 6.

Juvenile est vitium, regere non posse impetum.

Et Cic. l. 1. off. *Viros fortes, magnanimos, eosdem bonos, simplices, veritatis amicos, minimeque fallaces esse volumus, quæ sunt ex media laude justitiæ.*

commodi causa, contra honestatis jura fortiter aliquid gereret, fortis haberi neutiquam posset; is vero longe dejectissimus, qui ex inanis gloriae cupiditate, aut infamiae formidine sibi ipsi violentas manus inferret.

XXXIII.
*Comites
fortitudi-
nis.*

Comites fortitudinis censentur magnificentia, magnanimitas, constantia, & patientia. Sed cur *magnificentia* ad fortitudinem referatur, non apparet idonea ratio; occupatur enim circa sumptuarias actiones, ut liberalitas. *Magnanimitas* vero a fortitudine non re, sed nomine tantum discrepat; cum fortitudo in rebus arduis & difficilibus tum adoriendis, tum repellendis versetur. *Constantia* seu longanimitas nihil aliud est, quam fortitudo, quae ex temporis diurnitate nomen sortitur. In constantia animus se obfirmat; seu ut constanter velit, quae sapienter sunt judicata, seu potius, ut semper velit & exequatur, quae ratio & aequitas postulant. Praeterea ad eam pertinere videtur, nec adversis frangi, nec prosperis corrumpi, sed utramque fortunam aequo animo ferre. Cum in perferendis laboribus, aut perpetiendis malis fortitudo perseverat, *patientia* nominatur.

XXXIV.
*Præsidia
fortitudi-
nis.*

Suggerenda jam hic essent quaedam praesidia ad roborandum animum opportuna: sed ea innumera propemodum sunt, & commodius ex aliis fontibus, praesertim ex Seneca vel Cicerone repeti poterunt. Id unum attulisse juverit, quod grande est in calamitatibus solatium, culpa vacare: quidquid enim accidit iusto, exterius est; animum ipsum non penetrat; sed

sed impios tristitia alte pervadit, etiam cum felices videntur, aut ab eo statu excidunt, quem infelicem putant. Tum etiam præmeditatio futurorum malorum lenit eorum adventum, quæ venientia longe ante videris: „ quoniam ergo multum potest „ prævisio animi, & præparatio ad minuen- „ dum dolorem, sint semper omnia homi- „ ni humana meditata: nimirum hæc „ illa præstans & divina sapientia, per- „ ceptas penitus & pertractatas humanas res „ habere, nihil admirari, cum acciderit: „ nihil, antequam evenerit, non evenire „ posse arbitrari, (a)

De vitiis fortitudini oppositis nihil fe- **XXXV.**
 re attinet dicere, cum ea sint manifesta; *Vitia for-*
 timiditas imprimis, & audacia. Sic ma- *tudini*
 gnanimitati opponuntur pusillanimitas, seu *opposita.*
 dejectio animi: & elatio, seu superbia,
 qua quis se mereri majora, quam me-
 reatur, existimat. Fortis ut plurimum
 est bene concilius animus; abjectus & ti-
 midus, quem mordet conscientia. Nihil
 porro magis fortitudini repugnat, quam
 vana & thraſonica animi elatio: ac fere
 evenit, ut qui se præ aliis extollunt, omni-
 bus sint contemptui. Nunquam etiam ma-
 gis fallunt vitia virtutibus finitima quam
 ubi de fortitudine animi judicamus: ple-
 runique enim, quæ fortitudo putatur, non
 aliud est, quam ars quædam dissimulanda
 ægritudinis, & æstus, quibus mens agi-
 tatur, intra pectoris septa coercendi, ne
 exterius se prodant. Sunt &, qui cala-
 mitates non animi, sed ambitionis vi per-
 fe-

(a) Cic, Tuscul. 1. 3.

ferunt; ac sæpe heroes a vulgo hominum unius vanitatis studio sejunguntur. Summa autem veræ fortitudinis est, idem agere remotis arbitris, quod in omnium conspectu: in magnis periculis sibi constare, nec mentis tranquillitate, aut libero rationis usu dejici; quæque magis sunt inopinata & formidolosa pericula, pacate & imperturbate excipere. * Verum, ut ante diximus, quod fortitudo videtur, sæpe ambitioni & vanitati, sæpe etiam audaciæ, sæpe temperamento est tribuendum.

CAPUT V.

De Temperantia.

XXXVI.
Quid temperantia?

Quemadmodum fortitudo affectus tardiores excitat, sic præcipites inhibet temperantia, eisque modum ponit. Est enim temperantia generatim accepta is animi habitus, qui immodicum quemlibet animi impetum moderatur, & intra honestatis comprehendit limites: quare virtutes omnes ita complectitur, ut ab eis separari non possit; & quidquid honestum sive decorum dicimus, in ea una virtute totum reperiatur. Hinc eam Pythagoras

* Quare longissime absunt a fortitudinis laude, qui in rebus contrariis, ut ait Cicero, *parum sibi consent; voluptatem severissime contemnant, in dolore sunt molliores; gloriam negligant, frangantur infamia &c.*

ris animi robur, Socrates virtutis fundamentum, bonorum omnium ornamentum Plato appellavit. Sed ut plurimum angustiori sensu accipitur, ut significet peculiarem virtutem, a ceteris distinctam, quæ corporeorum sensuum voluptates temperet, easque maxime, quæ ad vitam cuiusque tuendam, & generis conservationem spectant. Illa namque in corporeis sensuum illecebras corporis motus, & affectus omnes ita lenire ac temperare debet, ut eos semper rectæ rationis subjectos teneat.

Sic accepta temperantia quatuor potissimum partibus continetur: abstinentia, sobrietate, castitate, & pudicitia. Et abstinentia quidem a sobrietate in eo distingui solet, quod illa in cibo, hæc in potu moderando versetur. Utriusque autem virtus in eo est posita, ne excedatur modus, ne quantitate aut qualitate peccetur, ne ultra famem & sitim, quæ sunt mensuræ a natura constitutæ, cibum potumve capiamus; quin etiam, ne ea anxie expetamus, cum absunt, nec avide sumamus, si adsint. Sic & castitas a pudicitia distinguitur, quod illa ab illicitis voluptatibus: pudicitia vero, quæ purior quodammodo & universalior est, a levioribus etiam, & aspectu declinet: ideoque a pudore nomen accepit, qui est quædam animi commotio de iis, quæ dedecus aliquod inferre videntur; qualis in ingenuis adolescentibus conspicitur, ac præsertim in virginibus elucet, qui, si quidpiam indecori eis conspicere vel audire

XXXVII.
Partes temperantia.

congerit, facile perturbari ac ingenuo quodam rubore suffundi solent, quem virtutis colorem Diogenes appellavit.

XXXVIII.
*Ejusque
præsidia.*

Quo purior autem atque nobilior est ille pudicitiae vel castitatis splendor, eo facilius amitti, languere, vel extinguì poterit; ut vel ideo severiori studio custodiendus sit, praesertim cum semel amissus reparari nequeat. * Ubi primo multum potest ipsa sobrietas & abstinencia; ut contra ingluvies & vinolentia impuras flammæ maxime fovent. Tum etiam ceteri sensus sunt cohibendi, ne in iis rebus versentur, quæ pravas cupiditates excitare possunt. Sed nullum firmitus est præsidium, quam honesta & sedula occupatio, quæ mentem alio deflectat: nam in hoc genere certaminis fugiendo vincimus; nec quidquam animum magis ad resistendum facit imbecillum, quam otium illiberale. Denique & utilitatem earum voluptatum, utpote quæ homini cum brutis communes sunt, & perniciem, quam offerunt, serio cogitare juverit. * *

Jam

* Ut eleganter inquit Ovidius Heroïd. l. 5.

- - Nulla reparabilis arte

Læsa pudicitia est, deperit illa semel.

* Cic. off. l. 1. Naturam sequamur, ait, & ab omni, quod abhorret ab ipsa oculorum, auriumque approbatione, fugiamus; status, incessus, sessio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus teneant illud decorum,

Horat. Sperne voluptates; nocet empta dolore voluptas.

Jam si temperantia latiore sensu accipiatur, longe plures partes complectitur, quas Philosophi potentiales dicunt: sunt autem continentia, mansuetudo, modestia, studiositas, urbanitas, parcitas. *Continentia* est, quæ pravos concupiscentiæ motus & affectus temperat: unde promiscue pro temperantia usurpatur: ut ἐγκράτεια vox communis est temperantiæ & continentiæ, & ἀκρατεῖς non impudici modo, & qui dicuntur incontinentes, sed etiam intemperantes appellantur. Aristoteles tamen hoc discrimine intemperantes & incontinentes sejungit; quod illi habitu, hi perturbationum æstu peccent. *Parcitas* nimiam in vestibus, suppellectili, incessu, affectato loquendi modo, universo demum oris & corporis habitu munditiam & elegantiam moderatur. *Urbanitas*, vel ut Græci vocant, εὐτραπέλεια ludis, jocisque, & jucunditati, quæ ex hilari amicorum, aliorumque colloquio vel aspectu oriri solet, modum definit. Facilis autem est distinctio ingenui, & illiberalis joci: alter est, si tempore fit, ac remisso animo, libero dignus homine; alter ne homine quidem. *Studiositas* est illa, quæ nimium discendi ardorem suis finibus coercet; ne plus justo temporis aut studii musis consecremus; ut contra etiam ne ad excolendas scientias & artes dormitemus.

XXXIX.
*Quid continentia,
 parcitas,
 urbanitas,
 studiositas?*

Mansuetudo ad fortitudinem, & temperantiam æque revocari potest, quatenus *Quid mansuetudo?*
 iram moderatur, eamque compescit, non ex-

Y 3

ex-

excitat: unde & defectui quam excessui vicinior est, & ad ignoscendum quam ulciscendum propentior. Nulla fere est virtus, quæ hominem magis deceat; ut nihil est, quod homines magis oderint, quam animum implacabilem, & ultionis cupidum. Species illius præcipuæ sunt clementia, & misericordia. Illa definitur a Seneca: lenitas superioris erga inferiorem in constituendis pœnis. Eique opponuntur indulgentia, & atrocitas; sic tamen, ut clementia sit indulgentiæ propior. Atque ea virtus cum omnes homines decet, tum principes viros maxime amabiles efficit; præsertim cum venia sine periculo concedi potest, nec quidquam est, quod timeatur.*

Clementiæ affinis est misericordia: duo complectitur, animi quamdam ægritudinem ob alienas miseras, & miseriarum levamen. Stoici ægritudinem illam in sapientem cadere negabant, eamque pusilli animi vitium appellabant; quod nihil misero profuit angere animo, sed ille potius sine eo animi affectu sit tublevandus. Verum ii omnem

vide-

* Nihil, inquit Cic. laudabilius, nihil magno & præclaro viro dignius placibilitate atque clementia. Et tamen ita probanda est mansuetudo & clementia, ut adhibeatur reipublicæ causa severitas, sine qua administrari civitas non potest. Omnis autem animadversio & castigatio contumelia vacare debet, neque ad ejus, qui punit aliquem, aut verbis castigat, sed ad reipublicæ utilitatem referri.

videbantur humanitatem ea ratione repellere. Quis enim alteri præstaret auxilium, nisi misericordiæ motu afficeretur? Nec vero ea ægritudo animum excruciat, sed grata potius & homini maxime propria motione percellit.

Modestia in neglectu honoris, aut immeriti, aut affectati consistit. Non enim ille tantum modestus dicendus est, qui cum parva mereatur, non multum sibi tribuit; sed etiam is, qui magna meritis, honorem tamen non exigit. Sicut magnanimus non is est, qui magna meritis de se magnifice sentit; sed qui magis ad magna facienda exititur, quam se multum mereri existimet; & delatos honores aut recusat, aut verecunde admittit: nec merita ostentat; & quos meretur honores, non affectat. Nec pusillanimitas in eo posita est, ut quis se minora, quam mereatur, mereri putet; id enim est modestiæ, sed cum quis magna aggredi reformidat. Neque is modestus habendus est, qui nihil interesse putat, an aliquid probro vel honore dignum sit: id enim est impudentis, non hominis modesti: nam is & præclare agit, & bonorum iudicium non negligit. Quod si in dignitate est constitutus, dignitati suæ debitum honorem tuetur; ac demum externum honorem non penitus negligit, sed insolenter non ambit. * Atque hæc animi modestia, ubi in corpus, vultum, ser-

XLI.
Quid modestia?

Y 4 mo-

* Juxta aureum Horatii in epistolis dictum:

Tu, quamcumque Deus tibi fortunaverit honorem,

Grata sume manu.

monem, omnesque externas actiones se effundit, magnum est virtutis ornamentum: sed si illa desit, exterior gravitas morumque compositio, fucus est & larva virtutis.

XLII.
Vitia opposita.

Vitia demum, quæ temperantiæ eisque partibus opponuntur, facile quisque intelliget: etsi ea fere, quæ per defectum a virtute recedunt, propriis nominibus careant, & rariora quoque videantur, cum longe facilius sit temperantiæ fines excedere, quam deficere ab illis. Itaque per excessum temperantiæ opponitur intemperantia, quæ nimium corporeis sensuum voluptatibus delectatur: per defectum vero stupiditas sive insensibilitas, qua voluptates illæ aut commoda, quæ ad hominis conservationem sunt instituta, severius contemnuntur. Sic abstinentiæ, sobrietati, castitati, pudicitiae, opponitur ingluvies, ebrietas, luxuries, impudicitia. Denique continentiae incontinentia, modestiæ superbia, mansuetudini iracundia, studiositati curiositas, parcitati luxus, rusticitas atque scurrilitas urbanitati opponuntur.

C A P V T VI.

De Justitia.

XLIII.
Quid justitia? **J**ustitia latiore significatu accepta notat voluntatis, & actionum omnium cum lege honestatis concentum, atque ita virtutu-

tutes omnes complectitur. Sed hoc loco de justitia agimus, ut inter virtutes cardinales censetur: eaque de- finiri solet *constans* & *perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*. Quod dicitur *voluntas constans* & *perpetua*, id non solam voluntatis actionem, nec facultatem, quæ hoc nomine solet appellari, sed affectum ipsum aut habitum designat: non enim ille est justus, qui justa, sed qui juste, hoc est, qui ex affectu justitiæ agit: neque etiam, qui quandoque aliis jus suum tribuit, sed qui ad illud tribuendum constanti & perpetua voluntate fertur. Quod additur, *jus suum cuique tribuendi*, intelligitur, id præstandum esse alteri, quod ei strictè debetur, quodque ille tamquam suum quid exigendi legitimam habet potestatem. Unde justitia æqualitatem spectat, servandam inter id, quod debetur, & id, quod redditur.

Dividi autem solet justitia in legalem *XLIV.* seu generalem, & specialem: hæc posterior iterum in distributivam, & comutativam. *Et quotuplex?* Cujus divisionis hæc ratio adferri potest, quod species justitiæ multiplicentur pro varia habitudine, quam homines in societate constituti inter se habent: eæ vero sunt tres; prima totius ad partem; altera partis ad totum; tertia partis ad partem. Jam legalis justitia partem ad totum ordinat, quatenus facit, ut ille, qui est membrum alicujus communitalis, bonum commune procuret: distributiva ordinat totum ad partem. quatenus onera vel bona communia cum proportione inter cives

partitur: commutativa demum partem ordinat ad partem, quatenus constituit æqualitatem in actionibus, quibus membra inter se communicant. Itaque tres numerari possunt justitiæ species: legalis, distributiva, commutativa. Sed si divisio instituitur secundum species æqualitatis, quam justitia spectat; quoniam æqualitas duplex tantum reperitur, arithmetica scilicet, & geometrica; duæ itidem tantum justitiæ species erunt constituendæ, nempe distributiva, & commutativa; legalis vero ad commutativam revocari debet, quatenus civis tantum exhibet obsequii reipublicæ, quantum illi debet. Sed jam de singulis pauca dicamus.

XLV!
Quid justitia legalis?

Legalis justitia bonum commune spectat, intentum a legibus, & procurandum per exactam earundem observationem, idque propter specialem conjunctionem, quam habent partes cum toto, & specialem honestatem relucens in eo, quod membra reipublicæ procurent commune bonum. Unde eo titulo boni communis hæc justitia dicitur generalis, licet vere sit specialis virtus, quæ in bonum commune fertur. Ea vero cum in omnibus civibus vigere debet, ut leges religiose fervent: tum in iis maxime, qui præsent, ut in legislatore, tamquam in architecto, & in magistratibus, qui personam publicam civitatis sustinent, ut leges ferant reipublicæ profuturas, earumque observationem urgeant. *

Di-

* *Est enim, inquit Cicero, proprium munus Magistratibus, intelligere, se gerere personam*

Distributiva justitia in præmiis erogandis, infligendisque pœnis, pro varia meritorum aut icelerum conditione locum habet; sive etiam in injungendis oneribus, aut bonis conferendis versatur. Quatenus præmia distribuit, remunerativa dicitur; ut pœnas de reis sumit, vindex seu vindicativa. Respicit autem hoc justitiæ genus & qualitatem geometricam, constituendam inter duas proportiones, i. e. quatuor minimum terminos, nempe duas res, & duas personas: ita, ut sicut se habent dignitas & merita unius personæ ad aliam, ita proportionaliter se habeat onus vel bonum uni impositum vel collatum ad onus vel bonum impositum vel collatum alteri. Nimirum & homines, & eorum merita, penes virtutem, aut nobilitatem, vel censum, munera & dignitates, justitia distributiva spectat; quamvis enim unus idemque actus a variis hominibus exerceatur, meritum tamen aut demeritum variat pro varia & inæquali personæ conditione; ut nobilioris personæ nobiliter meritum sit, ignobiliter ignobilioris; adeoque pœna vel præmium illud, quod merito vel demerito par esse debet, in variis

civitatis, debereque ejus dignitatem & decus sustinere, servare leges, jura describere, ea fidei suæ commissa meminisse. Privatum autem oportet æquo & pari cum civibus jure vivere, neque submissum & abjectum, neque sefferentem; tum in republica ea velle, quæ tranquilla & honesta sunt.

riis & inæqualibus personæ conditionibus
inæquale sit futurum.

XLVII.

Quid commutativa?

In justitia commutativa non homines aut merita pensantur, sed exclusis his omnibus requiritur proportio arithmetica, ita ut jus passivum seu debitum strictum unius adæquate & perfecte commensuretur juri activo alterius. Hoc etiam peculiare habet, ut sola ad restitutionem obliget; quia in ea sola finis intentus, qui est juris adæquata integritas, etiam læsa jam justitia perseverat; nam juris adæquata integritas, uti facta testis servatur per evitacionem injuriæ, ita, quando læsa est justitia, per restitutionem recuperatur. Contra est in legali & distributiva justitia: finis enim justitiæ legalis, præcuratio nempe boni communis per observantiam legum, violata jam lege obtineri non potest: sic etiam, si judex vel contra fas absolvat reum, vel ultra delicti gravitatem puniat, vel in minus dignum plus præmii conferat, reipublicæ emolumentum jam per commensuratum delicto vindictam vel æquam præmii distributionem obtineri a judice non potest; utpote qui dictam sententiam rescindere, aut præmii dominium in minus dignum translatum revocare non potest. Sæpe tamen cum legali & distributiva justitia commiscetur commutativa ob pactum vel expressum, vel tacitum; ob cuius violationem, si quod damnum respublica vel privatus accipit, datur ad restituendum obligatio, sed non præcise ob violatam justitiam distributivam aut legalem. Plura hic jam

jam non addidimus, quoniam quæ ad justitiam pertinent, parte 2da copiose exposita inveniuntur.

CAPUT VII.

De Amicitia.

XLVIII.

Quid amicitia?

Justitiæ non immerito subjicimus amicitiam; quia ut illa æqualitatem in rebus spectat, ita hæc animos inter se pares aut invenit, aut facit. Est enim amicitia, ut ait Cicero, voluntatum, studiorum, sententiarumque summa consensus: vel, ut accuratius alii, est benevolentia mutua & manifesta, qua alter alteri ipsius causa bonum cupit. Tria nimirum in ea requiruntur. Primum, ut sit benevolentia mutua: nam amare quidem alterum, eique bene velle aliquis potest, etsi alter non reddat amorem aut benevolentiam; nisi vero quis & ametur, & amet vicissim, amicus cum altero dici non potest. Dein requiritur, ne otiosa sit, ne lateat; sed manifestet se, sed operibus probet; adeoque in bonorum & commodorum communicatione mutua consistit: alioquin, ut fatuus & inanis est amor, qui non operatur, sic & amicitia, quæ ad mutuam obsequiorum præstationem non impellit. Postremo illius causa, quicum amicitiam colimus, ei bene vel-

le

le debemus : qui enim sui causa id facit, seipsum potius quam alterum amat *

XLIX.
*Qua vera,
aut fallax ?*

Ex quo pronum est intelligere, quæ genuina, quæ vero fallax aut incerta sit amicitia. Nam quæ homines ad ineundam aut colendam qualemcumque amicitiam pellicunt, ea aut jucunda; aut utilis, aut honesta sunt. Sola vero ex his vera & stabilis est amicitia, quam virtus seu morum honestas conciliat: non enim illa vestigalis est, sed plena decoris, plena gratiæ: virtus est, non quæstus; quia non mercede quæritur, sed gratia; nec licitatione pretiosorum, sed concertatione benevolentia. Qui amicitiam colunt propriae voluptatis vel utilitatis ergo, ut paulo ante diximus, se potius amant, quam alterum: præterea cum illa duo facili mutationi sint obnoxia, necesse est, ut amicitia dissolvatur, ubi illa cessaverint: adde, quod ubi, propria quæritur utilitas aut voluptas, perfectæ animorum conjunctio & fides mutua, sine quibus amicitia consistere nequit, nullæ esse possint. Contra, quæ virtute & honestate nititur amicitia, eadem quoque constans est, nam et si contingat alterum a probitate desciscere, amicus vitii quidem ejus
ira-

* Apte Martialis in fictos amicos:

*Hunc, quem cæna tibi, quem mensa paravit
amicum,*

Esse putas fide peccus amicitia?

*Aprum amat, & mulos, & fumen, &
ostrea; non te.*

Tam bene si cænem, noster amicus eris.

irascetur; amicum tamen semper amabit, quem emendatum vult, non perditum.

Quantum vero hominis ad beate vivendum inter sit amicitiam colere, sua quem- L.
que experientia facilius, quam ratio do- Necessitas
cet. Certe non ætas, non fortuna, non amicitiæ.
status est ullus, qui amicis non indigeat. Primum quidem infantia, ut infirmissima est ætas, ita maxime educatorum amore & ope indiget. Adolescentia ob imbecillitatem judicii, affectuum vehementiam, rerumque imperitiam, misere obbrutescat, & corrumpatur, necesse est, nisi amicos fortiatur viros probos, prudentes, ac rerum peritos, qui eam honestis moribus imbuant, a vitiorum illecebris revocent, artibusque ingenuis erudiant. Virilis etiam ætas ægre felicitatem suam tuebitur sine amicorum præsidio, a quibus & consilia capere possit, & in rebus exequendis opportune juvetur. Senectus demum, cum ipsa per se morosa sit, & ob fractas animi corporisque vires ad exequenda vitæ munia parum habilis, amicorum destituta subsidio & consuetudine longe miserrima est & plena tædii. Jam in utraque etiam fortuna homini amicis opus est: nam si rebus utimur secundis, non potest earum jucunda esse possessio, quæ invidos nanciscuntur: sin vero adversis premimur, maximam solatii & auxilii partem in amicis esse repositam, nemo ignorat, nisi qui forte nihil unquam adversi in vita expertus sit. *

Sed

* Eleganter hæc omnia complexus est Cicero in Lælio: ubi non aqua, non igni pluribus nos

LI.
*Amici cum
 delectu ad-
 sciiscendi.*

Sed supervacaneum esse videtur amicitiae necessitatem pluribus demonstrare; amicitiam enim naturaliter omnes expetimus: illud potius accurate dispiciendum quibus ea legibus contineatur; nam ut plurimum homines in ea seu ineunda, seu conservanda offendunt. Ineundae primum caput est, ut amicorum delectus habeatur, ne temere quemvis in amicitiam adsciscamus, neminem nisi probe explorato prius ejus animo, moribus, fide: imprudentis enim est se suaque ei concedere, quem perspectum non habeas. * Exploratur autem cujusque indoles quinque potissimum in rebus: in secreti fide, in honoris, & lucri temperantia, in adversa fortuna, & in habita cum aliis consuetudine. Quare in amicitiam admittendi non

nos uti locis ait, quam amicitia; & solem e mundo tollere videri, qui amicitiam e vita tollant. Et rursus: Cui inquit, potest esse vita vitalis, ut ait Ennius, qui non in amici mutua benevolentia conquiescat? Quid dulcius, quam habere, quicum omnia audeas sic loqui, ut tecum? Quis esset tantus fructus in prosperis rebus, nisi haberes, qui illis aequae, ac tu ipse, gauderet? Adversas vero res ferre difficile esset sine eo, qui illas gravius etiam, quam tu, ferret.

- * Notissimum est adagium, multos salis modios una esse edendos, donec amicitia penitus coalescat.
- Plutarchus: Sicut nummum, ait, ita amicum oportet habere probatum: omnia cum amico delibera; sed de ipso prius.

non sunt homines verbosi & fabulatores, qui sua vel aliorum ancana facile patefaciunt, aut qui omnia curiose sciscitantur: nam ab hujusmodi hominibus vix impetrari potest, ut secretum teneant. * Deinde inepti sunt ad amicitiam ambitiosi, & avari: se enim amant, non amicum, & amicitiam lucro proprio vel dignitati facile postponunt. Nusquam vero magis cognoscitur animus ad amicitiam comparatus, quam in adversa fortuna: quia fortunæ servit magis, quam personæ, qui amicum in rebus sinistris deserit; sed is demum est verus amicus, qui in quacunque alea constanter adhæret. ** Postremo qualem quis se probavit aliis amicis, talem erga nos futurum merito judicamus: ut adeo hæc compendiaria videatur esse regula ad amicitiam prudenter ineundam.

Jam si omnes iis dotibus essent ornati, quas modo exposuimus, nihil prohiberet, quin eorum complures in nostram amicitiam adlegeremus: sed contra fere accidit, ut apud plurimos eæ conditiones considerentur. Multi secreti fidem tenere nesciunt, atque, ut Comædus loquitur, pleni sunt rinarum, hac atque illac per,
Z
flu-

LII.
Et pauci.

* Recte Horat. - - *Commissa tenere*
Qui nequit, hic niger est, hunc te Romane
caveto.

** Ovid. *Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,*
Tempore sic duro est inspicienda fides.

fluunt; (a) multi amicitiam simulant magis, quam vere colunt, quod suam unice utilitatem spectent; plerique autem in rebus amici ærumnosos deficiunt. * Præterea cum difficile sit unius hominis mores explorare, quanto magis plurium? Denique tam angustis ingenium; vires, & facultates hominis sunt circumscriptæ limitibus, ut ad multorum amicitiam sese explicare non possint. Ex quibus omnibus conficimus, arctiorem familiaritatem, nisi inter paucos, firmam constare non posse; ideoque non plures in eam aggregandos, quam qui ea digni sunt; & quibus perpetuo conservandis vires nostræ sufficiant, quorum non magnus potest esse numerus. ** Id vero de intimiore tantum amicitia dictum esto: nam vulgaris illa, quæ ex jure omnia decernit, ad penetralia vero animi se non insinuat, ut communi naturæ lege continetur, ita porrigi ad universos debet.

LIII. Ut jam inita semel amicitia caste & religiose conservetur, hæc potissimum efficient. *Prima*, inquit Cicero, lex amicitia sancta-

Leges conservanda amicitia Prima.

(a) Plautus in Capt.

* Verissimum illud Ovidii:

Donec eris felix, multos numerabis amicos:

Tempora si fuerint nubila, solus eris.

Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est:

Vulgus amicitas utilitate probat.

** Hinc Cicero de Amicit. Et omnibus, inquit, sæculis vix tria aut quatuor amicorum numerantur paria.

ciatur, ut neque rogemus res turpes, neque faciamus rogari. Virtutum enim amicitia adjutrix a natura est data, non vitiorum comes; scelestissimi sunt ii, qui ne amicitiae renuntient, amico ad crimina & vitia vires suppeditant; is vero inimicissimus, qui amicitiae obtentu id postulat, quod fieri sine crimine non potest. Sanctiora sunt divinae, quam humanae amicitiae jura: nefas, illam huic postponere. Sic olim Pericles rogatus ab amico, ut pejeraret, ivit usque in fanum, non tamen ad aram, in qua moris erat jurare; per quod locum fecit adagio: Amicus usque ad aras.

Lex altera est, ut amicorum causa honesta faciamus: ne expectemus quidem, dum rogemur. Bonorum enim & officiorum communicatione ut coalescit, sic alitur amicitia & confirmatur. Hinc vetus illud, amicorum omnia esse communia: quod scilicet utriusque fortuna, conditio, aetas patitur. Non placent fera aut extorta beneficia; prompta, & ultro delata vehementer devinciunt. Quibus autem partibus amicorum officia absolvantur ex iis; quae alibi de beneficentia diximus, intelligi potest. Ceterum ad duo capita possunt revocari, consilium, & auxilium. In consilio sinceritas & promptitudo eluceant; auxilium praesertim in dubia vel adversa fortuna amico debemus. Inter auxilia vero maximum est, & quod amicitiam heroicam constituit, ut minime vereantur bona, libertatem, & vitam denique pro amico in causa justa & honesta impendere.

LIV.
Secunda.

Z a

Ter-

LV.
Tertia.

Tertia est, ut sit maxima inter amicos voluntatum consensio: ut scilicet idem velint, idemque nolint, unaque in duobus corporibus habitare anima videatur. Amicus enim se debet habere ad amicum, sicut ad se ipsum; quia est alter ipse. Itaque is rebus amici secundis æque lætatur, ac suis; adversis autem æque indolet: studiis ejus non repugnat, sed ultro obsequitur: non carpit ejus confilia, sed vel approbat, vel, si minus recta putet, modeste & urbane refutat, ac flectere potius blande amicum nititur, quam vi aut jurgii in suas partes rapere: non acerbe, non ambitiose, non pertinaciter opiniones suas adversus amicum propugnat, ac dissentientem æquo fert animo: verbo eadem eum delectant, quæ amicum; atque ab iisdem, ut ille, rebus abhorret. Sed ea animorum consensio res inter mortales est rarissima: nam nisi si quos natura ipsa indole omnino pares effinxerit, paucissimos numeres, qui posito velut ingenio mores amici induant. *

LVI.
Quarta.

Quarta lex commercium sermonis inter præsentis amicos, literarum vero inter absentes, crebrum, & amœnum exigit. Hoc qui negligunt, eos aut amicitia pristinae poenitere, aut amicum contemnere judicamus;

* Plerumque usu venit, quod ait Horatius in ep.

*Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosum,
Sedatum celeres, agilem gnavumque remissi.*

quo fit, ut amicitia paulatim dissolvatur. Conluetudinem autem hanc ita comparatam esse oportet, ut sincera sit & comis, & taciturna. Assentatio ergo & simulatio omnis absit: sed & ambiguae locutiones vitandae sunt: id enim efficiunt, ut amicus diffidere amico incipiat. Procul dein sit rusticitas, incompta asperitas, quidquid politioribus hominibus grave esse potest: quin potius lepore, gratia, urbanitate sermones & gestus omnes condiantur. Taciturnitas demum caput est amicitiae; ea non modo res arcanas, sed vel familiares sermones vulgare prohibet: quia amicus cum amico velut cum altero se agit. *

Quinta est, ut ne criminibus aut inferendis delectetur amicus, aut credat illatis; immo famam amici summo studio contra calumniatores defendat, & ubique commendet. Sed ne suspiciosus quidem esse debet, nec oblati suspicionibus aures accommodare, unde virtuti amici ac fidei temere diffidat. Sunt enim, qui semper ab amico aliquid violatum esse eximant, ejusque dicta aut facta, quae incauto fortassis exciderunt, in crimen trahunt; ii morosi sunt, & facile se laesos putant. Aequitas ergo in iudicando adhibenda est, atque omnia in meliorem partem interpretanda, dum clare

LVII.
Quinta.

Z 3

non

* Duo hic monet Horatius l. i. ep. 18.

Arcanum neque tu scrutaberis ullius unquam;

Commissumque teges & vino tortus & ira.

non pateat, alterum ab amicitia discessisse, & nos lædere voluisse.

MVIII.

Sexta.

Postremo monendi sunt sæpe amici & ob-
jurgandi & hæc accipienda amice, cum be-
nevole fiunt. Molesta, inquit Cicero, ve-
ritas est, siquidem ex ea nascitur odium,
quod est venenum amicitiae; sed obsequium
multo molestius, quod peccatis indulgens
præcipitem amicum ferri sinit. Molles ami-
ci; qui omnia in amico laudant, nocent
magis, quam profunt: ignavum enim red-
dunt, non meliorem. Omnis igitur hac in
re adhibenda ratio & diligentia est, pri-
mum ut monitio acerbitate, dein laudes as-
sentatione careant. * Is vero, qui admonet-
ur ab amico, & libenter audiat monentem,
& cum voluptate ei obtemperet. Hinc exi-
stet præcipuus amicitiae fructus, morum sci-
licet emendatio, & virtutum progressus.

LIX.

*Leges ami-
citiæ inter
impares.*

Quas hætenus leges dedimus, ad eos fe-
re pertinent, qui statu, fortuna, conditio-
ne sunt pares: sed quoniam amicitia inter
super-

* Scite Augustinus: *Columba amat, & quando
rixatur; lupus odit, & quando blanditur.*

Assentatores depingit Juvenalis Satyra 3.

*Quid, quod adulandi gens prudentissima
laudat*

Sermone indocti, faciem deformis amici.

*Natio comæda est: rides? majore cachin-
no*

*Concutitur: flet, si lacrymas aspexit amici
Nec dolet &c.*

superiores quoque & inferiores locum invenit; hujus nunc peculiaris officia sunt exponenda. Primo, qui opibus aut alio honorum genere abundant, quod in inferiorum amicorum usum convertere possunt, id libenter efficiant: amicitia enim res amicorum, quoad natura rerum patitur, vult esse communes. Secundo, qui dignitate antecellunt, comitatem cum gravitate sociant, facile se inferioribus amicis præbeant, illudque curent maxime, ut amentur potius, quam timeantur. Tertio, si quos in amicis numerant virtute, sapientia, meritis commendatos, iis promovendis ad honoratioris gradus studeant dignitatem veluti suam illis communicando. Inferiorum autem erga superiores amicos hæc sunt officia. Primum, ut ne doleant se ab aliis superari, nec eorum fortunæ invident, sed gratulentur. Secundum, ut eos vereantur, & colant; caveantque, ne eorum comitate & modestia ad contemptum abutantur. Tertium, ut, si superiores amici cum potestate præsent, justum illis obsequium præstent, nec amicitia gratiam in criminum vertant impunitatem. Quartum, ut, quia paria reddere non possunt beneficia, gratum saltem animum pro viribus testentur.

Omnibus demum sanctum esse debet amicitia vinculum, nec unquam sine justa causa solvendum: ex eo namque præcipue intelligitur, veram fuisse amicitiam, si constans fuerit. Sed quæri potest, quibus de causis fas sit amicitiam dissolvere? Enim

LX.
An. &
quando sol-
venda ami-
citia?

vero levissimas plerumque esse, quæ animos alienant, experientia docet, atque haud scio, proniores ad ineundam amicitiam, an rescindendam sint homines. Nempe illæ amicitia, fucata esse solent, aut quæstuosæ, vel ambitiosæ; ideoque temporis diuturnitatem, aut rerum vicissitudinem sustinere nequeunt. Vere amicitia, quæ virtute & honestate nititur, æterna est: ea non lucro, non honore, non labore & periculo, non locorum distantia aut tempore labefactatur. * Una ferè est causa, ob quam jure & honeste amicitiam rescindere possimus, si videlicet amicus ad insanabilem improbitatem deflexerit, si nos criminum comites oblitinate velit. Cæterum omnia prius pertentanda sunt, ut amicum ad frugem reducamus: ubi nihil profecerit, palam amicitia renuncians est. Quamquam nec istud a vera amicitia resilire est, sed malam declinare: quia, ut superius diximus, vir probus amicum improbum, emendatum vult, non pertinacem.

PARS

* Qui se spectat, & propter hoc ad amicitiam venit, male cogitat: queuadmodum cæpit, sic desinet. Hæ sunt amicitia, quas temporarias populus appellat. Qui causa utilitatis assumptus est, tamdiu placebit, quamdiu utilis fuerit. - - In quid amicum paro? aut habeam, pro quo mori possim, ut habeam quem in exilium sequar, cujus me morti opponam & impendam. Seneca epist. 9.

P A R S IV.

OECONOMICA;
ET
POLITICA.

Hominem in statu sociali pars ista contemplatur, atque in eo ad officia format. Societatum simplicissimæ sunt, quæ intercedunt inter conjuges, inter parentes & liberos, inter heros & servos. Ex tribus hisce componitur Domus seu familia, de qua agit Oeconomica: ex familiis porro conflatur Civitas, Republica, Regnum, de quibus Politica commentatur.

C A P U T I.

De Societate conjugali, ejusque officiis.

Conjugium est societas, inter personas habiles, procreandæ educandæque rite sobolis causa, mutuo consensu inita. Dicitur *societas mutuo consensu inita*: conjugia enim contractibus panguntur, de quorum essentia est mutuus utriusque partis consensus. Dicitur *inter personas habiles*, scilicet ad finem in conjugii intentum aptas: alioquin frustraneus est consensus, qui effectum

I.
Quid conjugium?
quis ejus finis?

suum fortiri nullatenus potest, ut omnis contractus de re impossibili. Additur *procreandæ, educandæque rite sobolis causa*, quibus verbis princeps conjugii finis designatur. Sapientissimus enim Autor naturæ, ut genus humanum condidit, sic idem procul dubio & conservatū voluit; ideoque sexum constituit diversum, ut ne interiret genus humanum, sed nova prole suppleretur & cresceret. Præterea vero, cum omnes velit esse felices, recte inde inferimus, eum non modo ad procreandam, sed rite etiam educandam sobolem sexum utrumque condidisse. Quocirca procreatio sobolis, & recta ejusdem educatio finis est primarius conjugiorum. Primarius autem is finis dicitur; quia secundarius est vitæ societas, subsidium mutuum, solatium & auxilium quoad officia, præsertim domestica.

II.
*An omnes
 obligantur
 ad matrimo-
 nium. m?*

Inde vero nemo, qui sana mente est, arguerit, singulos quosque homines, quos natura ad generandum aptos fecit, ad ineundum matrimonium obligari. Propagationem enim sobolis, & humani generis conservationem Deus voluit, quod propositum obtineri potest, tametsi non omnes jungant matrimonia: nec profectio ullum adhuc fuit periculum, aut metuendum deinceps videtur, ne humanum genus pereat, si multos contingat a nuptiis abstinere, cum semper major eorum sit numerus, qui eas expetant. Quod autem illud ex libro Geneseos *crecite & multiplicamini* nonnulli objiciunt, id nihil evincit: primum ea verba benedictis, non præ-

præcipientis Dei fuerunt: deinde ut demus præcepti vim habuisse, eo non singulos determinate homines, sed indeterminate universos ligari priore argumento conficitur. Accedit, præceptorum affirmantium eam esse indolem, ut non obligent, si agendi desit facultas, & præcepta actio meliore omissione compensari possit: an ergo reprehendendus, qui nuptias vitat molestas sibi futuras? an non laudandus potius, qui iis coelibem vitam præfert?*

Quoniam finis matrimonii procreatio est sobolis, eaque sine communicatione corporum obtineri non potest; consequens est, ut qui societatem hanc ineunt, mutuum sibi jus in corpora tradant: in quo essentia matrimonii consistit. Hinc porro intelligimus, licitum esse usum matrimonii; tum quod licite suo jure quisque utitur; tum quod ubi conceditur finis, media quoque ad eum conceduntur: immo, cum cuique suum jus tribuendum sit, si altera conjugum pars usum exigat, alteram ei satisfacere, quoad citra grave periculum potest, obligari. Cæterum

III.
*Ufus ma-
trimonii li-
citus est, ac
debitus.*

* *Præceptum Genesis, multiplicamini, inquit D. Thomas 2. 2. q. 152. art. 2. ad 1. non respicit singulos, sed multitudinem hominum, quam necessarium est non solum multiplicari corporaliter, sed etiam proficere spiritualiter. Quocirca satis providetur humanæ multitudini, si quidem generationi carnali operam dent; quidam contemplationi Divinorum vacent, ad totius humani generis pulchritudinem ac salutem.*

tamen, quia natura rationem quoque certam utendi matrimonio definivit, eumque utrum propter generationem proles instituit; sequitur, eos contra naturæ legem delinquere, quia eam rationem pervertunt; atque nec eos a culpa omnino excusandos, qui matrimonio solius voluptatis causa utuntur.*

IV. Porro si licitus est usus matrimonii, quod *Extra matrimonium omnis libido est illicita.* conjuges jus mutuam habeant, quodque concedatur ad procreandam ac educandam sobolem, finem scilicet ab autore naturæ præfixum, & conjugibus ipsis spectandum, nec non propter bonum commune humani generis; merito hinc concludimus, omnem libidinem extra matrimonium lege naturæ severe interdici. Quodcumque enim libidinis genus extra matrimonium fingatur, illud vel est usus alieni corporis in quo homini libidine ardenti jus nullum competit; vel repugnat generationi, aut educationi proles; vel denique bono humanæ societatis adversatur: adeoque evertit ordinem, finem, institutionem naturæ. Ad hæc omnis actus libidinis extra usum matrimonii est ejusmodi, ut nobiliorem hominis partem appetitui carnis subjiciat, menti caliginem offundat, voluntatem depravet, totumque animum cupiditatibus sensuum irretitum ab æternis bonis avocet potentissima autem

vi

* Ideo damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio: *opus conjugii solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa ac defectu veniali.*

vi trahat in interitum: qui omnes effectus quia cum vera hominis felicitate maxime pugnant, non possunt actiones, ex quibus illi proficiuntur, non prohiberi. Neque tamen ideo legitimi matrimonii usus damnandus est: huic enim satis cavent leges naturæ, ne ad perniciosos illos effectus defluat; & ad providentiam autoris naturæ pertinet iis præidiis homines conjugatos munire, quibus tueri se, & intra honestatis limites continere valeant. Sed jam præcipua libidinis genera perstringamus.

Gravissimum inter cætera est adulterium. Primum enim eo violatur jus alterius conjugis; ut patet ex essentia contractus matrimonii, quo fides spondetur, & jus mutuum traditur. Deinde peccatur contra matrimonii finem, quia & incertæ plerumque sunt proles ex adulterio susceptæ, & incerta quoque, ac raro bona eorum educatio. Denique & bonum commune humanæ societatis: cujus permagni interest, suam constare fidem conjugis, tum ob successiones hæreditarias, tum ob educationem prolium, ne illæ in perniciem reipublicæ adolescant, tum alias ob causas, impeditur. Idque adeo certum est, ut ne consensus quidem alterius partis conjugum excusare possit. Tametsi enim verum sit alias, scienti ac volenti non fieri injuriam; tamen axioma illud locum non habet, ubi consensus sit invalidus, ut invalidus est in præsentis casu: cum conjux in conjugem tantum habeat jus quoad usum, non absolutum dominium; quale nimirum
quis-

V.
Hinc illiditum est adulterium.

quisque habet in sua membra, queis uti potest, absolute de iis disponere non potest. Accedit, quod consensus; qui cum injuria prolis cum præjudicio communis boni conjunctus est, nullus cenferi debeat. *

VI.
Illicita fornicatio.

Jam stuprum quoque, & fornicatio jure naturæ prohibentur. Ac de stupro quidem manifestum est; quia per vim, adeoque injuriolè infertur. De fornicatione autem inde patet, quia opponitur rectæ & a natura institutæ propagationi generis humani, prolique nascituræ est injuriolà, per vagam libidinem incerto patre & prole; sic ut incerta reddatur educatio, imo, & periculosa ipsa generatio; matribus quoque minore plerumque cura & amore in æjusmodi prole intentis. Præterea illa fornicandi licentia gravem adferret humanæ societati perniciem, eo quod plerique refugerent matrimonii onera, omniaque libidinibus completerent; ita ut neglecta passim prolium cura, incertaque in bonis successione, aliisque incommodis, mala gravissima in societatem hominum redundarent. Quare etsi demus causam, quo scortator bono prolis consular, non ideo a crimine excusari poterit. Nam finis adæquatus legis fornicationem prohibentis

- * Merito igitur damnata est ab Innocentio XI. hæc propositio: *copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium.* Merito quoque Platoniam communionem uxorum gentes omnes proscribunt.

tis non tantum est, ut vitetur damnum prolis, sed & periculum damni; nec periculum tantum particulare, sed universale etiam: quod periculum cum nunquam cesset, nunquam etiam cessat finis legis adæquatus, adeoque nec obligatio naturalis. Enimvero si vel quandoque aut rarissime licita esset fornicatio; ea licentia, in tanta effrænis libidinis proclivitate, pessumdaret omnem vim præcepti, everteret naturæ institutionem, matrimonii de se onerosi usum & finem cum manifesto prolis, propagationis, & societatis humanæ præjudicio tolleret: igitur necessarium fuit, ut lex naturæ societati hominum adversus tot tantaque pericula universali prohibitione caveret.

Multo vero magis honestati repugnat molli-
tates. Primo enim evertit finem naturæ,
dum, quod non nisi generationem huma-
nam a natura intentum, ad voluptatem di-
strahit. Evertit deinde ordinem: quia est
abusus proprii corporis per delectationis mo-
dum, ne bestiis quidem a natura concessum.
Denique non modo rationem appetitui car-
nis, sed corpus ipsum infra conditionem
belluarum abjicit. Itaque est perniciosa
menti, contumeliosa corpori, proli & propa-
gationi humanæ atque societati præjudicio-
sa: ut adeo ratione periculi tot malorum
necesse sit eam jure naturæ prohiberi, ne-
que eam aut sanitatis aut vitæ servandæ cau-
sa usurpare liceat; cum vel ipsa mors mi-
nus profecto sit malum, si cum periculo
tantorum abusu in comparationem ve-
niat,

VII
Illicite
mollities
&c.

niat, ut taceam, medium illud nec ad fanitatem vitamve servandam ita determinate esse necessarium; ut eo quis licite uti possit in præjudicium boni communis. Mitto jam alia veneris nefanda nomina, quæ turpitudinem suam per se satis ipsa manifestant.*

VIII.
Quæ matrimonia jure naturæ sint irrita?

Redeamus ad leges matrimonii. Cum illud mutuo partium consensu peragantur, atque eum consensum, ut in omni contractu, liberum esse oporteat, facile quisque intelliget, ratas non esse nuptias, ubi alterutra pars dissenserit, aut consenserit errore vel malo dolo capta, quo sublato minime annuisset; nullas quoque esse, initas inter illos, qui rationis usu destituti, quid rei agatur, non intelligunt; nullas inter raptorem, & raptam, nisi forte rapta persona eam vim non invita subiecit, aut postea vi cessante consentiat: omnibus his casibus aut omnino voluntas deficit, aut certe non est libera. Ex adverso patet, non esse nullum matrimonium, si error vel dolus afficiat circumstan-

* Fallunt ergo, aut fallere volunt Lambertus Velthufius, Thomafius, Camuel, & si qui alii sunt eorum affectæ, cum scortationem ac molitiam prohibitam esse: rationibus mere naturalibus demonstrari posse negant, easque scditates ut objecta mere indifferentia contemplantur turpius offendunt, eandem licentiam sodomizæ dando, quam Apostolus Rom. I. ne in gentibus quidem legis Divinz ignaris tolerandam putavit.

stantiam, quæ contrahentium voluntatem haud mutet; neque minus valere, si consensus injustis minis, quantumvis gravibus extortus fuerit: quia metus libertatem infirmiore tantum reddit, non perimit: *Vide P. 2. n. 189.* Dein quia matrimonium personas habiles ad exequendum munus suum requirit; manifestum est, eunuchos & spadones, & quicumque perpetua laborant impotentia, hoc societatis genus inire neutquam posse. Perpetua, inquam, qui laborant impotentia: temporaria enim, quæ veniente ætate cesset, aut medicamentis possit depelli, non est, cur valori matrimonii officiat. Demum, cum fieri posse debeant, de quibus inter partes convenit; sequitur, adjectam conditionem impossibilem aut turpem, contractum matrimonii vitare, atque infectum reddere.*

Non levis autem est quæstio, an inter IX.
homines sanguine conjunctos matrimonia *An irritum*
inire jure naturæ liceat, initaque teneant? *matrimo-*
Quidquid sit interea de aliis gradibus, id *nium inter*
probabilius videtur, conjugia in primo con- *patrem, &*
sanguinitatis gradu lineæ rectæ, puta inter *filiam?*
patrem & filiam, vel inter-matrem & filium,
jure

* Jure Canonico *c. fin. de cond. appof.* conditiones pugnantes cum natura aut sine matrimonii vitiant matrimonium; reliquæ impossibiles vel turpes non vitiant. Cujus ratio est, quod qui posteriore modo contrahunt, absolutam habere voluntatem, quæ alteram conditionem elidat, presumuntur.

jure naturæ vetita esse atque irrita. Quamvis enim illa non repugnet fini matrimonii, adversantur tamen bono familiæ, male permiscendo jura & officia, quæ conciliari inter se nullo modo possunt. Enimvero familiaritas conjugalis elidit auctoritatem patris, & observantiam filiæ; conjugalis æqualitas tollit eminentiam matris, & subjectionem filii: patria potestas in filio, vel & materna in filia evēvat familiæ regimen fratres inter & sorores: itaque in una eademque persona confunduntur jura & officia uxoris & matris, patris & mariti, patris & fratris, matris & sororis; filiali timori miscetur conjugalis amor, observantia jungitur familiaritati conjugali, verbo, omnia ὕπερον πρότερον vertuntur. Quæ confusio, quia ordinem & felicitatem familiæ evertit, ejusmodi conjugium jure naturæ nec ratum haberi, nec permitti posse videtur.*

X. De reliquorum ascendentium ac descendentium matrimoniis in diversa eunt Auctores. Plurimi impedimentum per omnes gradus in infinitum extendunt, ut Bellarminus, Laymanus, & cum Theologi, tum Jurisperiti facile quinquaginta apud Sanchezium; præsertim maxime, quod observantia, quam

* Quam ob causam hoc genus matrimonii ipsis paganis absurdissimum est visum, ut patet ex illo Ovid. Metamorph. l. 10.

*Tunc soror nati, genitrixque vocabere fratris?
Nec, quod confundas & jura sibi nomina sentis?*

quam descendentes majoribus debent, cum familiaritate conjugali stare neutiquam posse videatur. Contra vero D. Thomas, Sanchezius &c. tantum in primo gradu lineæ rectæ, matrimonium jure naturæ vetitum ac nullum; non item in secundo, minus in ulterioribus ejusdem lineæ censent: quorum ratio illa est, quod, sicut communitio sanguinis per generationes gradatim deficit; sic etiam jura & officia inter ascendentes & descendentes, quo magis a primo gradu receditur, extinguuntur. Inter collaterales nullo plane gradu vetari jure naturæ nuptias, existimant iterum D. Thomas: Sotus &c.; quod illæ nec repugnent fini matrimonii, seu primario, seu secundario; neque officia ac jura in familia multum confundant. Sed id negant Bellarminus, Laymanus, &c. Atque ex Protestantibus Heineccius, saltem si de fratrum ac sororum nuptiis quæstio moveatur: satis enim putant ad eas prohibendas, quod ex illis respectuum & obligationum confusio, etli non maxima, aliqua tamen oriretur; tum etiam propter magnum illicitum concupiscentiæ, ex cohabitatione continua, conjunctione sanguinis amorem nimium inflammante, facile oriundum. * Denique tenere matrimonium inter affines, etiam primi gradus, e.g. inter vitricum & privignam, alii affirmant, quia nihil in na-

A a 2

tura

* Equidem per nuptias, quas primorum parentum liberi inter se iniverant, propagatum fuisse genus humanum constat: neque tamen incesti eos ullus damnaverit. Sed quod tunc autoritatè

tura inveniunt, quod prohibeat: alii vero indecentiam objiciunt, quæ in ejusmodi conjugiiis non minus, quam in matrimonio patris cum filia reperitur. *Vid. P. Vit. Pichler Jur. Can. L. 4. Tit. 14. & P. Ignat. Schwarz J. N. & G. Part. 2. Tit. 1. Instr. 1. §. 2.* Utcunque autem hæc se habeant; tamen, cum eo honestiores sint nuptiæ, quo a sanguinis propinquitate remotiores; merito sacri Canones impedimenta matrimonii non in primo tantum gradu consistere, sed ulterius etiam porrigi voluerunt.

XI. Nec minoris momenti est quæstio de polygamia, prohibeatne eam jus naturæ, an permittat? Quoniam autem duo sunt illius genera, πολυανδρία scilicet & πολυγυνία, de utraque seorsim est agendum. Πολυανδρίαν quidem vetari, nemo, quod sciam, juris naturalis interpretum est, qui dubitet; & ratio quoque manifeste ostendit. Imprimis illa repugnat fini primario matrimonii: præterquam enim quod incertam reddat prolem, adeoque educationis curam in patre restinguat; tantum etiam abest, ut aliquid conterat ad propagationem humani generis, mulieribus regulariter non nisi semel quotannis parientibus, ut ei potius obsit; cum impediatur generationem, & fœcunditatem hebetet. Repugnat deinde etiam fini secundum-

ritate Dei, tamquam absoluti corporum domini, licite factum est, in exemplum trahi non debet, ut homines idem audiant, ubi divinam concessionem necessitas non ostendit.

cundario : rueret enim mutua communicatio in plurium virorum familia ; & imperium maritorum divideretur, uxore habente plures dominos. Quamobrem populi ab omni ævo, vel qui maxime plures uxores uni viro concessissent, unam certe pluribus viris fociari semper nefas putarunt.*

Sed & *πολυγυνίαν* jure naturæ, saltem aliquo modo prohiberi, communis fere est omnium cum S. Thoma, Bellarmino, &c. sententia contra Durandum, Abulensem, &c. Imo aliqui absolute contra jus naturale esse affirmant, ut Capreolus, Henriquez, Menochius, &c. Qui licitam ajunt, hoc fere nituntur argumento, quod ea non modo non impediatur, sed promoveatur etiam propagationem humani generis, saltem si non nimius uxorum sit numerus; sæpeque illam vel intolerabiles uxoris mores, vel ejusdem sterilitas, vel reipublicæ salus, aliæve justæ causæ suadeant. Sed his multa opponuntur. Primo videtur polygynia obesse educationi prolium : quia affectum patris in filios tori inæqualis dividit ; atque exhaurit patrias facultates alendæ tam numerosæ soboli, vel in opulentissimis familiis vix suffecturas ; unde & illud postea conse-

A a 3

qua-

XII.
An item
πολυγυνία?

* Quis enim mulierum Romanarum procacitatem illam approbet, quæ cum ex lepido Papirii commento vererentur, ne uni viro duæ uxores obvenirent, apud Senatum agere instituerunt, duos potius uni mulieri maritos ut esse vellet ? Gellius Noct. Attic. l. i.

quatur, ut tenui tandem plebecula refertæ civitates rempublicam mole sua opprimant. Secundo: quem autem locum inter plures uxores habere posset concordia, quas invidia, zelotypia, æmulatio, & sexcentæ aliæ causæ quotidie inter se colliderent? * Tertio neque justitiæ commutativæ convenit, ut jus corporis uni jam traditum, rursus tradatur alteri, tertiæ, & quartæ conjugii: cumque uxor non possit in suum corpus jus alicui, præterquam unico viro tradere; ut servetur æqualitas inter traditum & acceptum, quam exigit justitia commutativa, nec viro permittendum erit, ut pluribus fœminis sui corporis potestatem faciat. Sterilitas vero, aut insolentes mores uxoris hic nihil patrocinantur: quia id valde incertum, ut pro sterili fœcundam, pro refractaria maritus modestiorem acquirat: quid si etiam plures furivæ pro una ei obviant? Atque hujusmodi quidem rationibus ostenditur, monogamiam jure naturæ præferendam esse polygyniæ. Illud vero extra dubitationem est, quemadmodum licita erat polygynia veteris legis Patriarchis, propterea quod iis Deus, pro absoluto suo in corpora dominio, plurium corporum potestatem fecerit, ad propagandum populum fidelem; ita sublata illa potestate in lege nova, & instaurata per Christum primæva monogamiæ institutione, citra adulterii crimen fieri non posse, ut quis

* Cujusmodi exempla videre fuit in Abrahami, & Jacobi, alioquin piis familiis.

quis plures uxores accipiat ; adeoque polygyniam jure naturæ saltem reflexo , aut (si ita dicere fas est) hypothetico prohiberi. *Vid. P. Vit. Pichler Jur. Canon. L. 4. Tit. 4. & P. Ignat. Schwarz J. N. & Gent. Part: 2. Tit. 1. Instr. 1. §. 1. Confer. nostr. Part. 2. num. 37.*

Id quoque non mediocriter disceptatur, **XIII.**
 perpetuumne natura sua sit matrimonii *Vinculum*
 vinculum, an mutuo partium consensu so- *matrimonii*
 lubile? Et solvi quidem posse, illud po- *jure nat. est*
 tissimum argumento est, quod ad propaga- *perpetuum.*
 tionem humani generis non parum conferrat, si dimissa priore uxore sterili fœcundam aliam fas sit accipere. Sed multo graviora sunt, quæ suadent perpetuum esse. Imprimis nunquam metuendum videtur, ut in tanta conjugiorum multitudine genus humanum intereat, quamvis contingat non pauca esse sterilia. Deinde vero quid matrimonium solubile differret a vago concubitu, qui & ipse non semper excludit omnem contractum? nam si mulier nunc uni, nunc alteri nubat, incertus erit pater, incerta proles, incerta vero maxime ipsius educatio; quæ omnia vagam etiam libidinem prohibent, & fini matrimonii primario adversantur. Quocirca ita constituendum puto, ut, qui matrimonium ineunt, aut individuum pacisci debeant vitæ societatem; aut si temporariam velint atque solubilem, vel ideo nullum inter eos censendum sit matrimonium. Eandemque ob causam contra jus & fas naturæ egisse arbitror Judæos, qui propter adulterium

nūncium conjugibus remittebant : permiffum id eis fuerat πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν ipforum, non ut licite id agerent, fed ne ad graviora facinora profilirent. *

XIV. Hæc de natura matrimonii dicta fufficiant. Ex iis porro, quæ jura, quæ officia ſint conjugum, pronum eſt intelligere. Ac jura quidem duo ſunt potiffimum: alterum commune utrique conjugi, alterum viro peculiare. Commune utrique ac reciprocum jus eſt in corpora: hoc enim conſtituitur contractus matrimonii, quod vir & fœmina jus iſtud mutuo ſibi tradant. Peculiare autem eſt viro, quod ei imperium quoddam in uxorem competat. Ipſa primo natura hoc docet: nec enim propter mulierem vir, ſed propter virum creata eſt mulier; nihilque naturæ videtur convenientius, quam ut præſtantior firmiorque ſexus ſequiori ac infirmiori præſit. Deinde, quia ſumma requiritur inter conjuges animorum conſenſio, tum ad officia mutua,

* Hoc ſenſu, nec alio permiſſam fuiſſe repudiationem Judæis, Autores ſunt Tertullianus, Origenes, Chromatius, Hieronymus, Beda, Euthymius, Magiſter ſententiarum, apud Maldonatum. Nam quod alii diſpenſatione Divina licuiſſe exiſtiment, id quidem haud negaverim, ſi matrimonium jure Divino poſitivo tantum eſſet perpetuum; ſed quia perpetuum eſt lege naturali, quæ immunitatem omnem refugit, eorum ſententiæ ſubſcribere neuiquam poſſum.

tua, tum etiam ad rectam educationem prolium, totiusque familiæ gubernationem, eaque obtineri non potest, nisi alter ad alterius ingenium ac voluntatem seingat; facile patet, cum penes alterutrum debeat esse imperium, viro potius eam prærogativam competere, utpote quem natura ipsa majore ut plurimum prudentia instruxit; ideoque mulierem tamquam capiti subjectam esse viro oportere.* Attamen si virilis animi foemina hebetem forte sortita maritum, aut Princeps nupta alicui privato, imperium illud ex pacto obtineat, nihil alienum a jure naturali putaverim; quod ita fieri rationibus conjugum, prolium, ac familiæ universæ expediat.

Nec tamen herile vel despoticum est hoc imperium, sed familiare potius, & legibus conjugalis amicitiae circumscriptum: *XV. Quousque, illi porritæ enim sociam dat viro uxorem natura, gantur?* non servam; eamque potestati viri quidem subjicit, sed eatenus tantum, quatenus opus sit ad status conjugalis & familiæ felicitatem. Itaque jus mariti his fere terminis definitur, ut possit actiones uxoris prudenti consilio regere, errantem comiter admonere, si gravius quid deliquerit, aut jugum

A a 5 excus-

* Ita ipsa inæqualitas, quod alias paradoxum videri posset, necessaria est ad constituendam inter conjuges æqualitatem. Unde Martialis:

*Inferior matrona suo sit, Prisce, marito:
Non aliter fuerint foemina virque pares.*

excusserit, castigationibus etiam in eam animadvertere, moderatis tamen, quæque nec virum, nec uxorem dedecent: necessaria est hæc potestas ad mulieres in officio continendas, tuendumque felicem conjugii statum. At sævire in illas, captivas tenere, nihil libertatis, quod salva conjugii fide possit, iis concedere; id vero uxores ad servilem conditionem dejiceret. Præterea quia contagio, perfidia, mores intolerabiles conjugis, fini matrimonii magis adversantur, quam ipsum divortium; eas similesve ob causas, etsi perseveret vinculum, conjugii tamen a conjuge discedere, aut eam a se remove conceditur. Nemini vero jus esto conjugem vendendi, commodandi, necandi: absolutum hæc notant dominium, quale conjugibus ne in statu quidem mere naturali convenit; quia illud everteret omnem finem matrimonii, & pronam ad iniquissimas cædes viam (ut suspiciosus, præsertim conjugum est amor, & facile in furorem mutabilis) aperiret. Quod si etiam atrocissima quæque perpetraret conjux, ejici tecto poterit, ut modo diximus; necari non poterit, nisi defensionis jure, quod commune est omnibus. *

Officia

* Leges quorundam populorum permississe maritis in uxorem jus vitæ & necis, refert Julius Cæsar de Bell. Gall. l. 6. Gellius l. 10. cap. 23. Tacitus Annal. l. 13. c. 32. Sed enim quod rectæ rationi contrarium est, id usu gentium, præsertim male moratarum, justum haud redditur.

Officia demum conjugum ex ipsorum **XVI.**
 juribus, ut jura ex natura & fine matrimo- *Officia con-*
 nii, ducuntur. *Primum* itaque officium est, *jugum.*
 petenti usum matrimonii concedere, nisi
 gravis causa obest. *Secundum*, ut datam in-
 ter se fidem, salvam præstent; ideoque ab
 adulteriis, & furtivis amoribus abstineant,
Tertium, ut una vivant, quoad res atque
 negotia patiuntur; & uxor quidem tam-
 quam inferior ut sequatur virum, si is do-
 micilium mutet: divortium vero citra ju-
 stam causam ne faciant. *Quartum*, ut mu-
 tuo sese prosequantur amore; nec vulgari
 tantum illo; quo omnes complectendi sunt,
 sed intimo, qui unam in illis mentem con-
 stituat: quando quidem matrimonium, ut
 loquitur Augustinus, in animorum magis,
 quam corporum conjunctione situm est.
Quintum, maritus uxorem imperio regat,
 non austero, quale est dominorum, sed
 prudenti juxta ac blando; memor illam
 non ancillam, sed sociam & partem sui quo-
 dammodo esse. Uxor contra nec sibi po-
 tiores partes arroget, nec viro obluetur;
 sed modeste & peramanter ei pareat, mo-
 disque omnibus ut sine offensa Dei potest,
 ejus animum sibi studeat demereri. * *Sex-*
tum; quia cui imperandi potestas convenit,
 ei

* Homer. II. I. ὅστις ἀγαθὸς ἢ ἐχέσθρων τὴν
 αὐτῆ φιλῆει καὶ κηδεταί. Quisquis probus
 & cordatus est, suam amat & curat. Euripides
 Hippol. Cor. μή ἐν ἐμοῖς δόμοις εἴη φρονέσα
 πλεῖον ἢ γυναῖκα χρῆν. Ne talis domi mea
 sit, quæ ultra, quam deceat mulierem, sapit.

ei præcipue incumbit & cura subjeetorum, officium viri est, uxorem alere, vitam & incolumitatem ejus tueri, nec ea negligere, quæ ad commode vivendum pertineant. Cumque uxoris felicitas a marito pendeat; se ipsum etiam ille statumque suum uxoris causa servare pro virili tenetur. Vicissim autem & illa pro suo modulo salutem viri curare debet: id enim ratio conjugalis amoris postulat, & cumprimis necessarium est, ad educationem liberorum. *Septimum* est ut matrimonii, & familiæ regendæ oner^a communibus ferant humeris: sed vir tameⁿ majorem molem sustineat, quia est princeps familiæ: uxor vero tamquam adjutrix in curarum partem vocetur.*

C A P U T II.

De Societate Paterna, deque Officiis Parentum ac Libe- rorum.

XVII.
Societatis
Paterna
origo, &
finis.

Parentum & liberorum societas non eodem modo coalescit, ut conjugum: conjuges in societatem pacto conveniunt; liberos in societate parentum constituit ipsa natura.

* Ad significanda hæc officia moris erat apud veteres Germanos, teste Tacito, ut mariti & uxores dona sibi mitterent, boves jugatos, hastam, & equum phaleratum.

natura. Ex conjunctione enim viri & feminæ existunt liberi: eos providentissimus Autor naturæ & conservatos vult, & felices: cum vero teneræ illius ætatis ea sit imbecillitas, ut sibi consulere ipsa neutiquam possit, ac proinde ope aliorum, a quibus educetur, indigeat, consequens est, ut necessaria Dei voluntate liberi in societate vivant. Cur vero cum parentibus potius, quam aliis? Primum quia is finis est matrimonii, non modo conjuges procreent filios, sed etiam educant: deinde quia non frustra Deus progenitoribus tenerrimum liberorum amorem iniecit, sed ut eo diligentius in eorum educationem incumbere, quo magis naturæ ipsius impulsu in eos traherentur. Unde & finis hujus societatis intelligitur: nam nimirum ob causam in societate parentum oportet esse liberos, quo rite educantur, alantur, excolantur; dum confirmata ætate se ipsos regere, ac rebus suis prospicere possint.

Cum ergo finis hujus societatis sit recta *XVIII.* liberorum educatio, ea vero consistere ne- *Parentum* queat sine potestate eorum, qui educant; *in liberos* facile patet, quemadmodum natura ipsa *potestas.* eam curam parentibus mandavit, ita eisdem etiam potestate ad eum finem necessaria instruxisse. Utrique autem parenti ea potestas convenit, quia utrique incumbit cura prolem educandi: sicut & utriusque partus est soboles, & utrique ex fine matrimonii educatio proponitur, amorque a natura in situs utrumque officii hujus admonet. Quare, ut in solo patre potestas illa resi-

resideat, quod Romana jura volunt; id quidem ex jure naturali minime ortum habet: quamquam cum plerumque vir consilio præitet, ac propterea eum natura ipsa mulieri & familiæ tamquam caput præficiat: verissimum est, primas ejus potestatis partes deferendas esse patri, secundas dein matri familias; nisi forte inter conjuges ipsos aliter conventum fuerit, quod ad rectam educationem prolium non nunquam materna, quam paterna, cura potius conducere videatur.*

XIX.
Quousque porrigatur?

Jam si educationis tantum causa parentibus in liberos potestatis convenit, ut modo ostendimus; sequitur, eam nec indefinitam esse,

* Alii aliunde originem hujus potestatis ducunt: Hobbesius ex occupatione; ideoque matri tamquam primo occupanti, præ patre etiam, potestatem adjudicat. Sed recte contra illum arguit. P. Schwarzius, si id verum esset, fore, ut sæpe numero obstetrix eam potestatem matri præripiat: Puffendorffius illam ex pacto, parentum quidem expresso, liberorum autem præsumptio repetit. Sed hoc pactum est superfluum: quia proles, vel si dissentiret, jure naturæ parentibus subiceretur. Grotius ex sola generatione. At illa ad potestatem patriam non sufficit: parum enim obnoxia esset parentibus soboles, si semel in lucem edita; postea sibi soli vel aliorum commiserationi relicta foret. Apposite Seneca de benef. l. 3. *Ad bene vivendum minima portio est vivere.*

esse, nec angustius circumscribendam, sed ad ea demum porrigi, quæ necessaria sunt ad eum finem consequendum. Quare cum is obtineri nequeat, nisi parentes & præcipere possint liberis, & prohibere, immorigeros vero non modo objurgare, sed castigare etiam, & severioribus mediis ad frugem revocare; rectè hinc statuimus, ea omnia in potestate patria comprehendi.* Habendam tamen ætatis etiam rationem esse, eique potestatem patriam accommodandam, vel inde colligitur, quod non eandem potestatem requirat juventutis, ac pueritiæ educatio. Itaque in primam liberorum ætatem maxima est vis patriæ potestatis, tam quoad personam, quam actiones illorum: nam cum pueris omnino desit consilium, necesse est, ut nulla non parte dirigantur ab illis, quibus natura officium educationis injunxit. In ætate vero media juventutis jam maturioris, potestas illa se extendit ad eas tantum actiones, quæ familiam respiciunt; ut adeo sine consensu patrio attentatæ, merito nullæ ac irritæ censeantur: familiæ enim permagni interest, ut pars cum toto conveniat, & familiæ membrum ne capiti suo adversetur. At liberos ad certum aliquod vitæ genus cogere (quamquam non aspernanda sunt sana parentum

* Eoque magis parentibus hæc potestas debetur, quo minus patiens disciplinæ est pueritia. Plato l. 7. de leg. puerum vocat *δυσμενα χειριωτάτον πάντων θησίων*, *intractabiliorem quavis bestia.*

rentum consilia) id quidem, jure naturæ per se loquendo, patriæ potestati haud comperit: neque absolute necessarius est paternus consensus ad nuptias, quamdiu filius manet in familia; quamvis eo neglecto familia dimitti possit ob novum onus, invitis parentibus non imponendum. Sic & castigandi potestas, propria fere est primæ ætati: adultiori quandoque est accommodata, sæpe tamen inutilis, sæpe etiam periculosa.

XX.
An etiam
ad jus vitæ
& necis?

Patriam hanc in castigando potestatem eo usque excurrere visum erat veteribus Romanis, ut ei pro delicti gravitate etiam jus vitæ & necis attribuerint. Verum si omnis, quam natura parentibus concedit, potestas ex fine tantum ejus societatis ducitur; quæ poterit justa inveniri ratio, ut pater, quam filio dedit, vitam eripiat? Neque enim illud vel ad emendandum filium, vel ad familiam conservandam necesse videtur. Si enormis flagitii reus comperiat, an non suppetent alia castigationis remedia? an plagis affici, vinculis coerceri, exturbari patria domo non poterit? Quod si hæc deficient, atque is nihilominus patri aut familiæ perniciem machinari pergat, tum enim vero tanquam hostis & iniquus adgressor occidatur licet. Nec illud jam negaverim, in statu naturali, quia familiæ futuræ essent liberæ, ac nullius, præterquam patris, obnoxie dominatui, summum imperium, adeoque jus vitæ & necis in suos penes patrem familias fore: sed nimirum illa potestas ei tamquam principi, tamquam summo imperanti, non tamquam patri conveniret. Itaque
jus

jus vitæ & necis in liberos secretum est a potestate patria; & quamvis cum illa componi possit, uti componeretur in statu naturali, & hodie in familiis summorum Imperantium componitur, ex illa quidem certe neuitquam derivatur. *

De fortunis quoque liberorum quæritur, an in eas potestatis aliquid parentes habeant? Sed hac in re ex juris naturalis principiis nihil fere certi constitui potest. Nam si de pueritia agimus, ea profecto ætas nullius domini capax videtur, quippe defectu iudicii nec ad acceptandum dominium, nec administrandum idonea; nisi fingas eum defectum a parentibus suppleri: adultior vero proles, est illa quidem capax ad acceptandum, sed non perinde etiam ad administrandum dominium. Quare lis ad æquitatem naturalem devolvitur: ex qua Puffendorffius (3) discrimen faciendum putat inter bona, per industriam liberorum parta, & illa, quæ aliorum liberalitate, puta per testamentum aut donationem ipsis obveniunt.

Prio-

XXI.

An ad iura
liberorum?

- * Damnandum item est Aristotelis dogma Polit. 1. 7. c. 16. *De exponendis autem & alendis foetibus esto lex, ut nihil alatur mancum, & membris orbatum. Determinanda est procreandorum liberorum multitudo. Sed si quibus fuerit aliquid præterea genitum, abortionem ante sensum & vitam facere conveniet. Quatenus enim fas sit progredique liceat, sensu & vita terminabitur*

(3) J. N. & G. 1. 6. c. 2. §. 8.

B b

Prioris generis bona parentibus tribuit: quamvis enim hi jure naturali ad alendam sobolem teneantur, tamen & cum paucillum sit, quod liberi propria industria possunt acquirere, certe non majus; quam quod in ipsorum educationem impenditur, & eam ipsam ad acquirendum habilitatem parentibus acceptam debeant; æquissimum sane videtur, ut parentes in pensationem suorum laborum ac sumtuum id sibi vindicent. * Bona posterioris generis quoad proprietatem quidem adjudicat ipsis liberis, eo quod adolescentes per semet dominii sint capaces; puero- rum vero in acceptando defectus a parentibus possit suppleri; usum fructum tamen parentibus concedendum existimat, tum propter administrationem bonorum, tum propter cæteras educationis molestias. Cui definitioni, quia æquitati naturali omnino congruit, nihil est cur refrangemur: atque indidem colligimus, ea, quæ legibus Romanis de peculio filiorum familias castrensi, profectitio, & adventitio statuuntur, æquissima esse.

Po-

* Unde filius familias, nisi impudens sit, pro impensa parentibus, opera mercedem nunquam poposcerit. Apud Peruanos filii ad annum vigesimum quintum ætatis parentibus operam præstare tenebantur. Τῆς τελευτῆς γὰρ, ἂν εἰ ποτεί τις, δεῖ πόνησ- μνήμησ ἐχέειν. Parentum enim causa etsi quis laborat laborem tamen meminisse non debet. Sophocles in Oedipo.

Potestatem quidem in liberos parentibus a natura concedi, ex hæcenus dictis satis liquet: id tamen non vetat, quo minus illa in alios transferatur. Etenim, cum natura rectam educationem in prolibus unice spectet; id vero officium alii perinde, sæpius etiam melius exequi possint, atque ipsi parentes, immo necessitas ipsa quandoque exigat, ut alii pro parentibus curam prolium gerant; nemo dubitaverit, educationis munus a parentibus in alios posse transire: hoc autem translato etiam potestatem transferri oportet, sine qua educatio recta esse non potest. Sic liberi, præmature fato ereptis parentibus, in potestatem tutorum transeunt; nonnunquam in potestatem eorum, a quibus adoptantur; alias in avorum vel cognatorum; quin etiam magistris & pædagogis, quorum disciplinæ fuerint crediti, subjiciuntur. * Metienda porro est translata hæc potestas ex fine, propter quem conceditur: ut qui totum educationis onus recipiunt, parentibus in potestate plene succedant; quibus mandatur pars aliqua curæ, non obtineant potestatem, nisi ad eum finem accommodatam. Quamvis autem liberi alienæ potestati tradi possint, quando id utilitas ipsorum suadet, aut necessitas exigat, oppignorari tamen illos aut vendi jus naturæ

B b 2. nul-

XXII

An ea potestas transferri possit in alios?

* Merito Puffendorff. lib. 6. c. 2. §. 3. etiam susceptori infantis abjecti paterna jura attribuit; eumque solum casum esse ait, quo imperium in hominem occupatione acquiratur.

nullo casu permittit; cum id fini paternæ societatis nec necessarium, atque etiam contrarium videatur: nisi forte res ita comparata fuerit, ut alia ratio prolem alendi non suppetat: tunc enim, quia minus malum physicum præ majore eligere licet, præstat filium in tolerabilem servitutem tradi, ex qua iterum emergere possit, quam fame extinguere.*

XXIII.

Quando ea potestas solvatur?

Unum hoc loco explicandum superest, quamdiu potestas patria perseveret. Equidem vetus jus Romanum filios cum uxore & liberis per omnem vitam sub imperio patris esse voluit: sed eum rigorem jus naturæ ratum habere non potest. Nam si natura parentibus non aliam, nisi educationis ob causam, in liberos potestatem tribuit; quando illi pervenerint ad eam ætatem, ut se ipsos regere, resque suas administrare possint, ideoque parentum cum jam non indigeant, nulla est ratio, cur sub eorum imperio debeant permanere: itaque tunc potestate patria solvuntur, sui que juris fiunt.

Idem

- * Injustum vero hac in re fuit Romuli institutum, qui patri concessit terna filii venditione pecuniam quærere; majorem largitus potestatem patri in filium, quam hero in mancipium. Servus enim semel venditus, deinde libertatem adeptus imposterum sui juris est. Filius vero a patre venditus, si liber fieret, rursus sub patris potestatem redigebatur. Post tertiam demum venditionem eximebatur e patris potestate. Dionys. Halicarn. lib. 2.

Idem dicendum de tutorum, eorumque omnium, qui parentum vices obeunt, potestate. Sed quamdiu se ipsis regendis, suisque rebus administrandis impares censendi sint liberi, id jus naturæ eo minus definire potest, quo magis variæ eorum sunt indoles, aliique citius, serius alii ad maturitatem perveniunt. Quare id dispositioni juris civilis committitur, quod cum emancipationi eos statuerit annos, quibus jam liberi ut plurimum maturuerunt; ante illum terminum nec dimitti e familia filium, nec ultro excedere, citra justam causam licitum arbitramur.

Officiorum jam expedita est ratio. Summa eorum, quæ parentes liberis debent, in recta educatione consistit; educatio vero in corporis, animique cultura. Primum ergo quia Deus conservatos vult liberos, & præsertim quidem opera parentum; nemo dubitaverit eos jure naturali teneri ad servandam ipsorum vitam, membrorum integritatem, & sanitatem corporis; tum etiam ad ministranda ipsis alimenta, victum, amictumque, nec non ad fortunas venturæ ætati servituras, quoad honeste licuerit, comparandas. Unde injurii esse intelliguntur, qui vel abortum procurant, vel liberos nihil tale meritos hæreditate excludunt, vel eos etiamnum infantes & conditionis suæ nescios exponunt. Thebanorum ea de re justa erat & humanitatis plena lex, quæ capitis supplicium decernebat, si quis infantem in solitudine exposuisset: quod si alere non

XXIV.
Officia parentum erga liberos.
Cultura corporis.

posset, ad magistratum cum fasciis deferretur, a quo p̄irvo pretio educandus alteri tradebatur. (a) Optima & benignissima lex est Christianorum, qui quidem exponentibus p̄enam infligunt; nam expositos patria potestate eximunt, aliisque p̄œnis parentes afficiunt; levioribus tamen, quam p̄o merito: nascentium enim consulunt incolumitati, ne eos parentes necare quam exponere malint. De jure vitæ & necis dicere jam nil attinet; negari illud a parentibus a natura, jam supra ostendimus. Quam potius, cum liberorum saluta parentum incolumitate pendeat; hi non modo illos defendere, sed se ipsos etiam iis servare honesta quavis ratione debent.

XXV.
*Præsertim
in liberorum
infantia:*

Quamvis autem cura corporis omnibus liberis debeat, dum censetur in patris familia; peculiariter tamen eam sibi infantia vindicat. Hic matris præcipuum est officium, ut ipsa nutrix sit, & gerula, utque in ejus sinu nutriatur infans, e cujus visceribus effusus est. Mirandum vero, tam subito evanescere matris amorem, ut tanto labore gestatum, tanto dolore luci editum, tam cito oblivioni det: * ex quo sæpe evenit, ut filii adulti nutrices æque ac parentes ament, interdum etiam propensius, memores teneram suam ætatem a matribus contem-

(a) Aelianus. lib. 2. var. hist.

* Π. δ̄βατον ε̄κ ἀπολείπει τὸ αὐτῶν ἔργοον
ε̄δὲ λύκος. ἄνθρωπος δὲ ἀπολείπει. Nec
ovis; nec lupus factum suum deserit: homo vero
deserit. Arrian. l. 1. epist. 23.

temptam esse, a nutricibus matrum vicariis susceptam. Illud vero perniciosissimum, quod infans improbam forte nactus nutricem, ex illa corruptam indolem pravosque mores cum lacte trahit: unde malum in omnem manat ætatem. Attamen hæc non eo dicta velim, ut si nunquam matres hoc onere eximendæ sint: lex, quæ illas ad lactandam prolem obligat, affirmativa est, necessitati cedit: itaque vitio illis vertendum non erit, si delicatiores, infirmæ, lacte destitutæ, infantem commendent nutrici, dummodo valenti, vegetæ, a moribus commendatæ. Reliqua de curando infantis corpusculo quid memorem? Instrumentis aliqui regere membra consueverunt, ne distorqueantur: sæpiusne successu bono, an deteriore, nescio. Aristoteles, *συμφέρει δὲ εὐδὸς καὶ πρὸς τὰ ψυχὴ συνεδίξειν*, *conducat* inquit, *statim a puero eos ad frigora assuefacere*. Hoc in viâ non est, sed revocari tamen posset; nam & ad sanitatem, & bellicas res valet: frigus ut plantas & fegetes firmat, ita & infantes. Illud quoque prudenter monet, primis annis nec labori, nec disciplinæ admovendos esse liberos; ne incrementum impediatur; lusu id consecuturos constat. Neque vero lachrymas & explorationes inhiere convenit: Sunt hæc exercitatio quædam corporis, venas & arterias dilatant ac roborant, jvantque incrementum. Sed hæc de corporis cura satis.

Altera educationis pars in animo excellendo versatur. Parum profuerit liberis,

XXVI.
Cultura
animi.

vitam accepisse a parentibus, iisque servatam debere, si nobiliore sui parte negligantur. * Non conservatos tantum vult liberos Autor naturæ, sed etiam veræ felicitatis participes, cujus propria sedes est animus. Sed is felicitatis fructus institutionem requirit: cæca enim est teneræ ætatis indoles, & nisi aliena velut manu ducatur, atque interdum trahatur, aberrat: quæ autem a teneris unguiculis quis perceperit, ea plerumque seros etiam servabit in annos. Quantum dein reipublicæ interest sobolem recte institui! inde salus, tranquillitas, & incrementum commune pendet: quales a parentibus educati fuerint liberi, tales reipublica cives habebit. Inculta juvenus quid, nisi numerus & fruges consumere nati, futura est? male culta in perniciem reipublicæ adolescet. Itaque si parentum est officium corpora liberorum curare, ut vivant; quanto major eis incumbet animos excolendi obligati-

* Optabat olim Crates altissimum civitatis locum conscendere, & summa contentione exclamare: ὦ ἄνθρωποι ἐπὶ φέρεθε, οἵτινες χρημάτων μὲν κτήσεος περὶ, πᾶσά ποιεῖθε σπυδαῖν. Τῶν δὲ υἱῶν, οὓς ταῦτα καταλείψετε, μικρὰ φροντίζετε. Quo ferimini o mortales, qui ad possidendas opes magno studio incumbitis, filiorum vero, quibus illa relinquatis, exiguam curam geritis, Plutarch. lib. περὶ παιδῶν ἀγαγῆς.

gatio, ut felices sint, & reipublicæ utiles? *

Constat, animi culturam ab intellectu ordiendam esse. Ea duabus continetur partibus: primum ne erroribus, deinde ut veri cognitione animus imbuatur. Ne infima quidem ætas sit expers hujus institutionis: lis exerceatur lusibus, qui futurorum laborum sint quædam velut adumbratio: caveatur, ne gerulæ anilibus fabulis pravas absurdasque opiniones ei ingerant: balbutientem linguam in ejusmodi doceatur flectere voces, quarum intellectus postea ad honestatem erudiat. Ubi vero adoleverit proles, tum enim vero parentes non labori, non sumptibus parcent, ut ea divinarum humanarumque rerum scientiis excolatur. Sed cum primis instillanda sunt castæ religionis principia & præcepta, quo a teneris recte de Deo sentire, eumque vereri assuecant. Quod ad cæteras scientias vel artes attinet, duo maxime prudens pater curabit. Primo, ut ad eas filios suos admoveat, ad quas ingenium a natura attulerint: repugnante Minerva cassus est labor, & cruciatus ingens discantis. Alterum est: ne pa-

XXVII.
Primo quidem intellectus.

B b 5

tia-

* Graviter Juvenalis Sat. 14.

*Gratum est, quod patriæ civem populoque dedisti,
Si facis, ut patriæ sit idoneus, utilis agris,
Utilis & bellorum & pacis rebus agendis.
Plurimum enim intererit, quibus artibus, & quibus hunc tu
Moribus instituas.*

tiatur filium inutilium rerum meditatione torqueri: in his operose nihil agitur, conteritur tempus, & exhauriuntur animi vires, impendio quidem maximo, juventutis vero compendio nullo. In quibus ergo studiis adolefcens versabitur, ea sint istiusmodi, ut meliorem aut reipublicæ utilio rem efficiant; cætera, quæ non majore emolumento sciuntur, quam ignorantur, omnino præterire expedit: non leve reputandum est damnum, in tam brevi vitæ humanæ curriculo, operæ ac temporis jacturam facere. *

XXVIII.

Tum voluntatis.

Voluntatis jam eo accuratior debet esse cultura, quo magis ad felicitatem pertinet, ac juvenus facilius transversum agitur. Dent ergo operam parentes, ut liberi, quidquid honestati repugnat, cane pejus & angue ode rint; ament vero, & toto animo exercere studeant, quæ sunt virtutis. Id ut efficiant, nascentia vitia in ipso ortu suffocent; alioquin crescunt indies, & vires accipiunt, non vi, non arte domandas. Absint fœda omnia imaginum, verborum, librorum; absit &, quisquis nocere potest: natura enim in vitium eunt juvenes; quibus si exterior
res

* *Multum temporis verborum cavillatio eripuit, & copiosa disputationes, quæ acumen irritum exercent. Ne cœtimus dolos & ambiguan significationem verbis alligamus, deinde dissolvimus. Tantum nobis vacat? Jam vivere jam mori scimus? Tota illo mente pergendum est, ubi provideri debet, ne res nos, non verba decipiant. Seneca epist. 45.*

resillecebræ adjungantur, toto impetu ruunt.
 * Omnes denique vias prudens pater occupabit, quibus ad vitia patet aditus; nam postquam virus jam in vitalia effuderint, aut iera est medicina, aut periculosa adhibenda, quia magnis malis lenia remedia cedunt. Præter hæc omnia patris vita sit institutio filii. Magna vis exempli est ad omnes, tota est in docendis teneris: id discunt, quod in patre viderint; hoc primum putant licere, quod patrem facientem intuentur; & quia judicare non possunt, quæ vident, ea sequuntur. ** Facile est a paterna virtute degenerare posteros: sed probos evadere eos, qui paternorum flagitiorum rudimenta habuerunt, est rarissimum. Eodem pertinet, ut familiam honestam, piam, pudicam, parens habeat: tam õbest filii moribus sceleratus servulus, quam malus pater.

Universim autem severa sit, & laboribus
 mista educatio. Habeat parvulus, quod vereatur; habeat, quo negato doleat: cogatur & quandoque cedere. Nisi enim multis frænis
 coerceatur; cum prudentia careat, maximis
 & variis desideriiis agitetur, necesse est; ut
 si

XXIX.
*Educatio
 sit severa,
 ac lenis.*

* Juvenalis Satyra 14.

*Nil dictu fœdum, visuque hæc limina tangat,
 Intra quæ puer est: procul hinc, procul inde puella,
 Lenorum & cantus pernoctantis parasiti.*

** *Beatum adolescentem, qui eum potissimum imitandum habet, cui natura simillimum esse voluit!* Plinius lib. 8. epist. 12.

si habenas permiseris, petulantissimus evadat, immo naturam induat, quam nulla postea disciplina excutiet. Tyrannus est pater, filio indulgens. Attamen disciplina suavitate etiam condiri debet: constanti & æquabili gravitati, severitati, imperio, sit adjuncta lenitas, quæ labores exercitationesque velut honorificas & gratas efficiat. Non sic patrem severum esse convenit, ut solo metu filius morem gerat, nam asperitas imperantis res alioquin gratas, & ingenio adolescentum consentaneas, reddit odiosas. Severitas ergo in eo versetur, ut a vitiis, ignavia, licentia retrahat; lenitas ut ad honesta civiliter suaviterque traducat. Recte factorum præmia semper speret filius; veniam & impunitatem semper difficillimam esse experiatur. Neque eadem in omnes educationis ratio valet, tanta enim est ingeniorum varietas, ut cum ad particularia ventum est, diversis & contrariis pene utendum sit artibus: minis alii ad officium ducuntur, alii indignati animum abjiciunt, alii attoniti fugam capessunt: laudibus bona indoles affurgit, levia ingenia turgescunt, superba fiunt contumacia. Indolem ergo filii noscat pater, ut ad eam educationis modum accommodet. Cæterum illa generalia sunt, quæ diximus: nulla indoles adeo bene nata est, quam exempla non corrumpant, nulla, quæ severitate non sit constringenda, lenitate non fovenda; virtutis namque semina a natura omnes accipiunt, quæ ut radices agant, & lætas in fruges excrecant,

scant, non sole tantum & imbre, sed etiam frigore & ventis indigent.

Quia institutionem liberis jure naturali parentes debent; si illi partes suas per semet explere nequeant, seu quod natura vel studio ad id muneris parum sunt comparati, seu quod necessariis vel publicis distinentur laboribus, tenebuntur eas vices aliis commendare. Sed ea in re, ne officio desint, accurate primum circumspicient, quibusnam tradendæ potissimum videantur. * Deligendi igitur sunt magistri, quorum inculpatâ est vita, doctrina castigata, qui reprehendenda nec committant ipsi, nec in discipulis tolerant, iisque ad virtutem duces ac doctores se præbeant: ab ore enim magistri pendent adolescentum ingenia, & in ejus mores solent migrare. Quod non de iis tantum, qui moribus præsumunt, sed etiam qui artes ac scientias tradunt, est intelligendum: nunquam illabuntur perniciosius in animos dogmata religioni aut pudori contraria, quam ubi eruditionis specie exornantur. Altera dos magistri est doctrina. Res probatione non eget, docere alterum velle, quod nescias, insanix est: Sed doctrina qui emineant, paucos invenias: difficilis ad illam

XXX.
Qualibus
magistris
committendi
liberi?

* Nunc vero etiam despuas in contumeliam quorundam Parentum, qui priusquam futuri magistri ullum fecerint periculum ignoratione aliquando, aut etiam imperitia decepti, non spectatis, adeoque etiam malæ notæ hominibus filios suos committunt. Plurarchi de lib. educat.

lam est via, etiam ingeniosissimis, etiam laboriosissimis, etiam cura aliarum rerum solutissimis, multi medio dum in conatu sunt, vitam ponunt; non pauci in radice montis positi, dum paululum progressi fuerint, elanguescunt; longe maxima pars eorum est, qui dulcissima opinione sese solantur, & quasi eruditi sint, pacatissime fruuntur. Nec doctrina tantum sufficit; opus est methodo & dexteritate docendi. Ingens laboris in omni arte compendium est via & ratio doctrinæ: eam qui ignorant aut negligunt, tenebris involvunt ingenia, & vix sero ad scopum perveniunt. Cæterum patris virtutes æmuletur magister, calleat artem tractandi animos, severitatem lenitate temperet, iisque pro indole singulorum utatur. Talibus comissa magistris institutio, parentibus liberos, cives reipublicæ optimos dabit. *

XXXI.
*An extra
 patriam
 mittendi?*

An vero expediat juventutem institutionis causa extra patriam domum concedere-

- * Addit sapienter Plutarchus ibid. *Culpani sunt Parentes nonnulli, qui postquam filios suos pedagogis magistrisque commendarunt, ipsi quid discantur neque inspiciunt unquam, neque inaudiunt, magno sane cum errore: oportebat enim ipsos intervallo paucorum dierum subinde explorare puerorum profectis, neque in mercenarii voluntate omnem spem collocare. Qui & ipse majorem diligentiam pueris instituendis erat impensurus, si identidem muneris sui rationem sibi reddendam fore sentiret.*

dere, problema esto. Multis id emolumento fuit, nec paucioribus forsan exitio. Ut quærere foris scientias, quæ domi inveniuntur, vanitatis est: sic obbrutescere juvenes in patria, peregre melius excolendos, ignominiosum. Reprehendenda hic nonnunquam nimia matrum teneritudo, quæ filios a sinu avelli non patiuntur. * Sed tamen res plena periculi est: qui procul absunt, patriæ caritatis obliti, peregrinos mores & opiniones induunt, quos postliminio invehunt in patriam, magno reipublicæ malo. Huic ut occurratur, si quando filius ablegandus fuerit, tria potissimum curæ habebit pater. Primo, ne ableget, nisi jam adultum: puerorum peregrinatio inutilis est; neque enim situm oppidorum, commoda fluminum, opportunitates portuum, multo minus instituta legesque gentium notari possunt. Deinde ne procul, neque ad longum tempus: vicinis potius tradat doctoribus, ut de filii progressu cognoscere possit; ne corruptum peregrinæ gentis moribus, ne patriarum legum ac consuetudinum contemptorem recipiat. Tertio comitem addat, atti-

* Perfarum filii seorsum a familia agebant. Romani pueritiam domi custoditam, juventutem in bello agebant: adolescentuli statim castrensibus stipendiis imbuebantur, ut imperare parando, duces agere, dum sequuntur, assuescerent. Plin. l. 8. ep. 14. Causam reddit Tacitus annal. l. 2. *Juvenes urbane luxu diffuentes, melius in castris habentur.*

actionum arbitrum & rectorem, prudentem ac probum, denique talem, qui nihil minus patre faciat. His munitus præfidiis, tutus versabitur in extero solo filius; sed domi tamen multo tutior, si cultura non desit.

XXXII.
*Suprema
Parentum
officia.*

Postquam sobolem educaverint parentes, & ad maturiorem ætatem provexerint, certum ei vitæ genus proponent, quo Reipublicæ sive in sagō, sive in toga, utiles esse possint; illud interea caventes, ne vim aut necessitatem eis inferant; felicitati enim ipsorum debent contulere, quam raro fortuntur violenta imperia. Si liberis adhuc impuberibus occumbat pater, iis testamento, si possit, provideat, eosque amicis & consanguineis commendet, qui tutelam ipsorum vel curationem gerere non graventur. Sin vero superstite patre liberi vel novam ipsi constituent, vel in aliam migrent familiam, quamquam parentes tunc eximuntur educationis onere: æquitas tamen naturalis, fundata in amore, quem liberis debent, quique non extinguitur illis e familia dimissis, suadet, ut ne tum quidem omnem eorum curam deponant; quin potius iis re & consilio prodesse studeant, eosque instituant bonorum hæredes, nihil demum reliqui faciant; ex quo liberi intelligere possint, quos habuerint parentes. *

Li-

* Quare alienum ab æquitate naturali erat vetus Romanorum institutum; quò filii emancipati paterna hæreditate excludebantur. Mollivit eum rigorem Prætor con-

Liberorum jam Officia juribus paren- **XXXIII.**
 tum officiisque respondent. *Primo* igitur, *Officia li-*
 qua per eos habent, & quod existant, & *berorum*
 unde felices sint; proxime a DEO illos *ergo parentes*
 amare præ ceteris hominibus debent, eum-
 tes.

que amorem quâ verbis, qua operibus
 testari. *Secundo*, quia parentes liberis cum
 potestate præiunt: tenentur hi illos reve-
 reri, omnique honoris significatione pro-
 sequi. *Tertio*, ex eodem capite obligantur
 eorum iussis morem gerere, seque ad vo-
 luntatem ipsorum totos formare; dumne
 impium aut turpe quid illi imperent.

* *Quarto*, puniendi castigandique potestas
 timorem filiis injiciat, oportet; ita ut ex
 timoris amorisque temperamento exiit timor
 filialis, quo non tam metuatur poe-
 na infligenda, quam injusta indignatio
 parentis, cujus argumentum est poena.

Quinto, amor parentum in liberos, &
 innumeræ, quas in educatione exhauri-
 unt, curæ, insignem poscunt grati animi
 vicem, quam reddere ne emancipati qui-
 dem negligant: non enim ut potestas pa-
 tria solvitur, sic evanescunt educationis
 beneficia, quorum dulces fructus vel in
 fera ætate legunt; ut propterea nec

C c

me-

cessa illis bonorum possessione; Imperator
 vero omnino abolendam putavit Novell.
 118.

- * *Et si parendum in omnibus patri; in eo non
 parendum, quo efficitur, ne pater sit. Se-
 neca lib. II. Controv. 9.*

memoriam illorum ulla unquam debeat obliterare oblivio. Grati autem erunt tum aliis modis, cum præcipue si beneficia beneficiis pensent, si egenos alant, injuriis pressos sublevent; senio confectis solatio sint atque præsidio,* Quæ grati animi officia etsi præstare jure tantum imperfecto liberi tenentur: est tamen eorum tanta apud nos opinio, quam insitam à natura accepimus, ut pene quoddam parricidii genus videatur ea negligere.

CAPUT III.

De Societate Herili, deque officii Dominorum & Servorum.

XXXIV. *Orig^o societatis herilis.* **N**atura liberi omnes nascimur, quia natura omnes æquales: neque ullius, præterquam DEI, & quos secundum DEUM superiores habemus, parentum

* Egregie Plato de leg. lib. 4. Parentibus fas est prima & maxima debita, omnium antiquissima debitorum persolvere. Putare enim quisque debet, omnia quæ possidet, eorum esse, qui genuerunt, & educarunt, ita ut illis hæc omnia pro viribus ministrare debeant; primum quidem externa bona, deinde etiam corporis, postremo quæ ad animum pertinent, hæc omnia videlicet mutuo dato persolvens, & pro curis doloribusque priscis parentum; in senectâ recentes reddens, quando maxime indigent. In verbis quin etiam per

tum imperio a natura subijcitur. Sed exterius orta necessitas inæqualitatem illam humanæ conditionis invexit, ut alii dominarentur, alii vero servirent. Posteaquam enim a primæva rerum communione discessum est, cum alii abundarent, alii in egestatem delaberentur, mutuamque præterea obsequendi studium refrixisset; inde scilicet ditiores aliorum operis, egentiores alimentis indigere cœperunt. Igitur in parta itum est, egenis operas, ditioribus alimenta & mercedem stipulantibus. Accessit apud aliquos etiam hebetudo ingenii, quæ ad serviendum, quam dominandum magis idoneos multos reddidit. Porro insignis quæ a servis in heros manabat utilitas, vel etiam cupiditas cumulandi opes, accedente fortassis quodam commiserationis & humanitatis sensu, effecit, ut increbescens bellis victores victos servituti servare, quam trucidare mallent: quæ ratio homines bello captos mancipandi, usu & consuetudine populorum confirmata, postea in mores abiit. Ea fuit duplex origo societatis herilis: quæ proinde nihil aliud est, quam societas inter herum & servum, eo consilio instituta, ut hic in ejus commodum debita servitia præstet.

C c 2 Cum

totam vitam parentes venerari maxime decet. Oportet itaque iratis, animumque expletibus cedere, seu verbis, sive rebus id faciant, non ignorantes, patrem jure admodum filio valde succensere, si quando injuriam ab eo sibi fieri arbitretur.

2. Quosdam homines φύσει δέλας nature

XXXV.
Hinc duplex servitutis genus.

Cum igitur alii quidem ultro servituti se dedant, alii vero victoris arbitrio in eam redigantur: patet, duo servorum esse genera. Priores *pastitii* dicuntur, quia intervenienti pacto, scilicet locatione, conductio-
 ne, servi fiunt; itemque *mercenarii*, quia mercede conducti. Posteriores appellatur *obnoxii*, *coacti*, atque *mancipia*, quia non sponte, sed coacte mancipantur; nec mercenariam, sed obnoxiam serviunt servitute[m]. Id vero præcipuum inter utrosque est discrimen; quod in obnoxios herus jus proprietatis saltem aliqua ratione habet, non item in mercenarios; ut infra ostendemus.

XXXVI.
Jure natura utrumque licitum.

Quamvis autem natura liber sit homo, congenitam vero libertatem servitus circumscribat; eam tamen juri naturali nil adversari putamus. Cum enim eo consilio instituta sit hæc societas, ut servus in commodum heri obsequia præstet, adeoque servitus utilitati cedat domino; si eadem citra injuriam servorum, aut etiam aliquo ipsorum commodo statuatur, non est, cur eam jus naturæ prohibeat. Jam id de mercenaria servitute manifestum est:

servos esse, veterum quorundam fuit opinio, quos inter Aristoteles, Euripides &c. Nisi forte, quod verisimilius, de majore unius gentis habilitate naturali ad imperandum, alterius ad serviendum interpretari quis malit: ut Asiaticos homines ἑλευθέρος μὲν καὶ εὖ δούλους δὲ ἀγαθούς, liberos malos, servos optimos esse; observaverat Agesilaus apud Plutarchum

est: ea enim libero pacto sancitur; nemoque est, quin eam miseræ libertati præferendam putet; igitur nec injuriosa est servo, & cum aliquo etiam ipsius commodo, aut certe minore incommodo conjuncta. At nec obnoxiam servitutem esse contra naturam, vel inde patet, quod & ipsa ex consensu coacto illo quidem, & metu mortis extorto, attamen vere libero proficiscitur. Nec victor cogendo injuriam infert; nam quos vita, eosdem & libertate spoliare, jure potest; & qui vincuntur, servitutem durissimam, quam mori merito præoptant. Itaque servitutem natura, sicut non præcipit, quia absolute non necessariam; ita nec prohibet quia dominis utilem, servis non injuriosam. *

Ad jura veniamus. Quod ad mercenarios servos attinet, cum ii non nisi ex locato teneantur, quidquid in illos juris hereditarij competit, ex illius pacti indole debet existere. Itaque 1^{mo} potest iis herus operas, sibi locatas, imperare: non alias. 2^{do} potest eos adigere, ut ad illum usque terminum, de quo conventum fuerat, servitia præstent. 3^{tio} jus habet capiendi omnem fructum ex opera locata acquisitum. 4^{to} itemque disponendi ac dirigendi eorum actiones; quoad interest, ne per eas operæ interturbentur. 5^{to} si servus pacto non steterit, jus

XXXVII.
Jura Domini in
servum
mercenarium.

C c 3 esto,

* Nec contra Christianam mansuetudinem est, servorum opera uti, Abraham certe mancipia plurima habuit. Sic & alii Sancti, quorum servis etiam utilior fuit illa subjectio, quam periculosa libertas. Quin de servitiis æquissimæ sunt leges Mosis Exod. 21. v. 2. & seq. & Levit. 25. v. 6. 42 44.

esto, eum pro ratione delicti castigandi, mercede. ejusve parte multandi, in malo pertinacem omnino a familia segregandi. Contra vero jus vendendi invitum heros non competit: hanc enim conditionem mercenarius non præsumitur inivisse, qui huic Domino, non alteri, quem duriores forte nancisceretur, addicere sese voluit. Multo minus ei concedendum jus vitæ & necis; quia illud neque ex pacto sequitur, neque ad finem societatis herilis est necessarium nisi in statu puræ naturæ, ubi herus idem & princeps foret, summique imperii autoritate in familia sua valeret: sed in civitate adest potestas publica, quæ de nefariis servis extrema supplicia sumat.

XXXVIII.
Atque in
obnoxium.

Obnoxiorum servorum eo durior est conditio, quo minus spontanea, & coacta magis. Cum etenim victor, quem iusto bello persequitur, hostem trucidare possit; si ejus vitæ malit parcere, ut servire cogat, nemo dubitaverit, eum in ipsam victi personam dominium obtenturum. Si ergo in dominio est servus obnoxius: cum effectus domini sit libera rerum suarum dispositio, consequens est, ut etiam de servo obnoxio herus quomodolibet disponere possit. Hinc potest 1^{mo} ei quascunque operas, quibus præstandis par fuerit, imperare. 2^{do} omnem ex illo utilitatem capere; atque adeo etiam liberos ipsius sibi vindicare. 3^{to} si servus fuga se ejecerit, vel ab alio subductus fuerit, eum non secus atque rem suam persequi & recuperare. 4^{to} poenis pro merito afficere, servilioribus etiam, quam mercenarium. 5^{to} demum & vendere, aliisque qui-

quibusvis titulis alienare illum potest. Vitæ & necis tamen potestatem ei tribuendam non arbitror, nisi fuerit summus imperans: tamen si enim occidere illum in iusto bello victor poterat, quia hostem; is tamen hostis esse deliit, ut primum in servitutem vel coactus consensit. Dominium autem, quod herus in obnoxium servum habet, non ita est absolutum, ut eum perinde atque ad rem mancipi destruere possit: quamvis enim servus, attamen idem & homo est, & natura hero suæ æqualis.

Ex Dominorum juribus, servorum consequuntur officia. Cum itaque illi a mercenariis operas locatas exigere, omnemque ex iis utilitatem capere, dirigere ipsorum actiones, & neglecti officii reos multare possint: consequens est, ut hi vicissim promissas operas fideliter præstare, partumque ex illis fructum hero reddere, exequi imperata, & iuste inflictas pœnas æquo ferre animo; abstinere vero ab omni contumelia, fraude, perfidia teneantur, nec ante constitutum tempus servitutem exuere. Obnoxii autem servi gravioribus tenentur legibus. Nam præter ea, quæ de mercenariis nunc diximus, obligantur etiam, ut quascunque præstent operas, & quantumlibet arduas, si modo licitæ sint, nec viribus majores; deinde ut se, suosque liberos, ac res suas omnes liberæ Domini dispositioni relinquunt: quandoquidem re ipsa suam dicere nihil possunt, & quidquid acqui-

XXXIX.
*Officia servorum ad-
versus Do-
m. nos.*

C c 4 runt,

Abst ergo sævitia; nam & servo injuria fieri potest L. un. C. de emend. serv. quod insigni errore negat Hobbesius de Cive c. 8. §. 9.

runt, heros acquirunt, quemadmodum & ipsimet sunt in Dominio.

*XL.
Et Domi-
norum erga
servos.*

Quoniam vero herus non absolutum in servos habet dominium, sed in mercenarios conditionibus locati conducti, in obnoxios lege naturæ circumscriptum; necesse est, ut illi quoque sua incumbant officia, itaque mercenario nisi locatus operas non imponet, eique præbebit alimenta, & partam mercedem solvet. Si accidat, ut operæ aut culpa servi aut casu aliquo non præstentur, jure quidem perfecto ad nihil tenebitur, alimenta enim & merces debentur tantum ob locatam operam: humanitatis tamen fuerit vel ægrotantem alere. Obnoxius etiam servus ali debet; nec modo, quando operas præstat, sed etiam dum præstandis impar est. Qua in re illius, ac mercenarii, diversa est conditio; hic enim cum mercedem accipiat, in ægritudine unde se alatur habet; ille vero cum sit in Dominio, adeoque proprii nihil habeat, a quo alatur nisi a Domino. Nec operæ injungendæ sunt servo obnoxio graviores, quam vires ipsius ferant. Atque ut verbo dicam, ut homo tractandus est, non ut jumentum; quia tametsi liber, homo tamen esse nunquam desinit. Unde a barbarie illa, qua servi apud Romanos (a) aliasve gentes vix in hominum numero, ac pene pro nullis habebantur, natura semper abhorruit.

*XLV.
Servitus
quomodo
finitur?*

Postremo, qua ratione servitus, adeoque societas herilis finitur, ex ejusdem constitutione potest intelligi. Mercenaria enim ex contractu locationis existit: iisdem

ergo

(a) l. 39. ff. de reg. jur.

ergo plane modis, ut ille dissolvitur, ac præsertim lapsu temporis, in quod conventum fuerat. Servitus autem obnoxia, perpetua quidem dici solet, propterea quod herus, quem semel mancipavit, servum habere sibi perpetuo possit: attamen cum idem liberam quoque de servo disponendi habeat facultatem, nemo dubitaverit, quin ei sit integrum, accepto lytro servum dimittere, aut gratuita etiam libertate donare. * Quemadmodum vero qui juri suo renunciant, partem sibi ejus aliquam, si velint, reservare possunt: ita nihil prohibet, quin herus manumissionem certis quibusdam legibus circumscribat.

CAPUT IV.

De Societate Civili: ejus origine, & variis formis.

IN segregatis familiis, satis beatis hominibus esse licuit, præsertim cum suprema potestas esset penes patres familias, quorum imperio familiæ singulæ regerentur. Civilis tamen forma placuit; & gentes pleræque alicui subicere sese potestati, quam liberta-

XLII.
Civilis societatis origo varia.

C c 5

ta-

* Veteres servos frugi manumittere ante mortem solebant, ridiculo plane beneficio, & nihil profuturo; & illud tamen magni instar præmii jactabant: ut Martiali. de Afro Demetrio epigr. 81.

Destituit primos virides Demetrius annos:

Ne tamen ad stygias famulus descenderet umbras

Cavimus; & Domini jus omne remisimus agro.

Sensit deficiens sua præmia meque patronum

Dixit, ad infernas liber iturus aquas.

tate naturali perfrui maluere. Seu necessitas id fuit, seu insignis aliqua utilitas, quæ homines ad hoc societatis genus impelleret, certe a natura non abhorrebat. Primum enim pars hominum naturaliter adamavit nuptias; inde procreati liberi naturali amore parentibus adhæserunt; multiplicatæ deinceps familiæ, ac expertæ vitæ socialis commoda, manserunt inter se conjunctæ. * Verum in ea familiarum multitudinem ac varietate, cum primæva elanguisset caritas, nec jura familiæ jam obtinerent, ac hominum malis studiis susdeque verterentur omnia, id unum erat reliquum, ut legeretur suprema aliqua potestas, quæ familiis conjunctis jus diceret, profligatorum hominum quilibet audendi cederet licentiam, & omnes denique, qui in eadem censerentur societate, in officio contineret. Ita coaluit civitas. Quod si disjunctæ etiam inter se erant quædam familiæ, quod post sublatam rerum negativam communionem credibile est evenisse, aut ferarum more vagam ac solitariam per sylvas vitam agebant, ut Plato & Cicero existimarunt;

æ

- * Cum hoc sit natura commune omnium animantium, ut habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso conjugio est: proxima in liberis; deinde una domus, communia omnia. Inde autem est principium Urbis & quasi seminarium Reipublicæ: sequuntur fratrum conjunctiones, post consobrinorum, sobrinorumque, qui, cum una domo jam capi non possint, in alias domos tanquam in colonias exeunt; sequuntur connubia, & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui, quæ propagatio & soboles origo est Rerum publicarum. Cic. Off. l. 1. c. 17.

æ tamen labente tempore, in civitatem con-
venerunt; partim quod in ea vitæ prædicia
sperarent, quæ alibi frustra quæsisissent: par-
tim ut improborum conatus atque infidias uni-
tis inter se viribus possent repellere. Civita-
tum itaque non una fuit origo: cum homines
alios quidem naturalis ad societatem propen-
sio, alios vero metus improborum in civita-
tem coegcrit: cumque ex duobus malis phy-
sicis id quod minus, aut ex inæqualibus com-
modis quod majus, fas cuique sit eligere; pa-
tet eos libertati societatem civilem non re-
clamante jure naturæ prætulisse.

Quodcumque autem eorum fuerit mo- XLIII.
mentum, quæ modo recensuimus, quod ho- Finis ejus
mines impulit, ut in civitatem coirent; dubi- felicitas.
tari tamen non potest, quin in ea constituen-
da communem felicitatem respexerint. At
quia felicitas, quæ in vitæ commodis, &
pace exteriori securitateque ponitur, anceps
est & incerta, nec vero felicitatis nomine
digna, nisi interiore, quam religio, ju-
stitia, & honestas morum constituunt, ni-
tatur, ut explicatum est Part. 1. c. 3; con-
sequens est, ut omnis recte constitutæ ci-
vitatæ finis non exterior tantum illa, sed
vel maxime interior debeat esse felicitas,
Quare non ad confirmandam, sed everten-
dam rempublicam valet doctrina Machia-
velli, in præfatione *Spharæ Cælestis* scribere
aut, statum civilem sine virtute, sine reli-
gione salvum stare & conservari posse: nec
jam magis ii reipublicæ consulunt, qui
omnia ad exteriorem ejus referunt utilita-
tem, quo fit, ut sæpe utilitati cedere de-
beat

beat religio, succumbat justitia; honestas postponatur.*

XLIV.
*In quem
consentire
omnes de-
bent,*

Jam si finis civitatis est communis ejus felicitas, necesse est, ut qui societatem hanc moliuntur, vel ad eam accedunt, in ejus felicitatem, mediaque illam procurandi omnes consentiant: alioquin ut societas quævis alia libere inita, esse aut intelligi nulla potest, nisi consentientibus in eundem finem mediaque omnibus sociis, ita nec civilis; ac propterea si quis non consentiat, aut consentiat sub conditione, quæ exitum non fortitur, ejus quidem dissensu non dissolvetur ceterorum societas, ipse vero secretus a civitate res suas habere sibi poterit. Hoc itaque primum ac præcipuum est pactum, quo civitas coalescit, communis videlicet sociorum in civitatis finem mediaque consensus. Et quia ad vim pactorum nihil interest, explicita, sint an præsumta, ultronea, an metu extorta; in civium numero non modo ii sunt censendi, qui pactum illud primi inveniunt, sed etiam qui ex illis nascuntur; nec tantum qui ultro, sed etiam qui coacti a victore consentiunt: priores enim consentire merito præsumuntur: quia educantur ve-

* Sapienter ille servus

Quid id, quod vidisti? ut munitum muro tibi visum est oppidum?

P. Si incolæ bene sunt morati, pulchre munitum arbitror? Perfidia, & peculatus ex urbe, & avaritia si exulant; Quarta invidia, quinta ambitio, sexta obretractatio, Septimum perjurium, S. Euge. P. Octava Indiligentia, Nona injuria, decimum, quod pessimum aggressu scelus. Hac nisi inde aberunt, centuplex murus rebus servandis parum est.

velut successuri parentibus; posteriores vero, cum sub jugum mitti quam perire a victore malint, quamvis coacte, liberè tamen consentiunt.

Generali hoc pacto si starent omnes, qui societatem civilem ineunt, nihil præterea desiderari posset ad ejus constantiam; tunc enim civitas haud dubie sine suo potiretur, sociis ad ejus felicitatem unanimi studio contententibus. Sed ea fides & animorum concordia in magna societate sperari non potest sine regimine; quandoquidem, ut hominum sunt ingenia, nisi superiore potestate regantur, plerique ad libertatem defluunt. * Ergo regimine opus est, opus a voluntate civium universorum voluntas pendeat. Cumque variae occurrant formæ regiminis, integrum autem sit hominibus ultro consentientibus, quam e pluribus malint, eligere; postquam illi de instituenda civili societate consenserunt, necesse est, ut quale futurum sit illius regimen, inter se decernant. Cui quidem decreto etsi non teneantur sese subicere, qui sub conditione certæ tantum formæ consenserant, si eis diversa obtrudatur; tamen qui pactum pure inierunt, ubi postea de forma agitur, si stare plurimum suffragiis debent. Locum vero hoc decretum vix habebit in populo, qui armis vincitur: non enim est ejus arbitrii, sed in potestate victoris, imperii formam

* *Est enim summum imperium inquit Seneca l. i. de clementia c. 4. vinculum, per quod Respublica coheret; est Spiritus ille vitalis, quem tot millia trahunt, nihil alioqui futura, nisi unus & præda, si mens illa imperio subtrahatur.*

mam describere; nisi forte aut mitiores sint deditiois leges, aut victor sibi formam aliquam certam stipuletur.

XLVI.
Nec non
pacisci cum
ejus Re-
store.

Decreta Reipublicæ forma reliquum est, ut populus in suffragia eat de summa imperii in unum vel plures conferenda. Quod cum eo consilio fiat, ut una sit omnium in eundem finem mediaque consensus; ea vero obtineri non possit, nisi etiam caput & membra inter se conspirent: patet, hic altero pacto opus esse, quo imperantes quidem se rempublicam secundum conceptam priore decreto formam gubernaturos recipiant, cives vero suas voluntates imperantium voluntati subjiciant. Quam obrem hoc pactum legis fundamentalis rationem habet, qua imperantes non minus quam cives obligantur: ut adeo quidquid contra gestum fuerit, merito nullius roboris censeatur. In domito etiam populo pactum hoc requiritur: quamvis enim nullæ sunt illius partes ad principem eligendum, tamen vel coactus voluntatem suam dedit victori, quemadmodum hic vicissim de procuranda ejus felicitate fidem suam obstringit.

XLVII.
Hinc tres
ta t. m.
bonæ sunt
Reipublicæ
formæ.

Quoniam ergo regimen civitatis ex eo pendet, quod cives voluntates suas alienæ subjiciant; subjicere vero eas possunt vel unius tantum voluntati, vel plurium: atque inter eos vel paucorum & optimatum duntaxat, vel universæ multitudinis, non possunt nisi tres constitui Reipublicæ formæ. Prima scilicet est *Monarchia*, seu regnum, aut principatus, ubi rerum unus potitur. Altera *Aristocratia*, quando imperium est penes optimates. Tertia *Democratia*, seu

po-

populare regimen, cum populus communi consilio Rempublicam gerit. * Eaque formæ omnes valent ad recte constituendam Rempublicam; modo, qui parent, voluntates suas imperanti subjecerint, & qui imperant, ea potestate non ad proprium, sed commune Reipublicæ bonum utantur.

Ex quo porro consequitur, injuste imperare eos, quibus voluntates suas cives non dedidere, ac eam quoque vitiosam esse rempublicam, in qua imperantes suam magis suorumve privatam, quam communem felicitatem spectant. Quod cum attentari possit vel ab uno, vel paucis, vel multitudine: patet, quot supra recensuimus reipublicæ formas, totidem in ea contingere posse aberrationes. Nempe si unus rempublicam injuste occupet, vel eam in suum præcipue commodum vertat, Monarchia in *Tyrannidem*; si imperium invadant pauci, aut suæ tantum utilitatis causa imperent, *Aristocratia* in *Oligarchiam*, si demum promiscua fax hominum neglecta communi salute omnia pro libidine sua decernat, *Democratia* in *Ochlocratiam* degenerabit.

XLVIII

Totidem-
que vitiosa

Ce-

* Has Politici aptis symbolis adumbrant: Symbolum Monarchiæ est corpus humanum, ubi caput Principem: oculi Senatam, pectus Equestrem ordinem, manus Milites, pedes Plebeium statum exhibent, epigraphe: *In omnibus unus*. Aristocratix, sunt columnæ marmoreæ, palatium quoddam sustinentes. Epigraphe: *Sustinent, & ornant*. Democratix, formicarum examen. Epigr. *In commune par omnibus ardor*. Monarchici formam imperii apud plerasque hodie gentes videre est; Aristocratici in Venetorum Republica; Democratici apud Helveticos, & Bataves,

Ceterum ut probatæ illæ Respublicæ, ni ca-
veatur, facile in vitiosas abeunt; ita fieri non
nunquam potest, ut quæ primum vitio coalue-
re, mutato consilio meliorem postea formam
induant.

XLIX.

*Inter bonas
optima est
Monarchia.*

Ad communem vero felicitatem cum re-
ferri debeat imperium, ut justum sit; si qua est
forma, quæ eum finem certius procuret, &
tueatur firmitus, ea procul dubio præferenda
erit ceteris. Jam laudatæ superius formæ ser-
viunt quidem omnes ad communem salutem;
tamen si inter se conferuntur, una inter eas ex-
cellere videtur Monarchia. Quæ enim ad feli-
citem reipublicæ faciunt, tria potissimum
numerantur; concordia, vires, atque justitia;
quæ omnia in Monarchico præ quam in ullo
alio regimine invenimus. Primo, in Optima-
tum imperio potentia divisa est in plures,
quæ ubi diversis studiis sententiisque jactatur,
Rempublicam omnem distrahit; in Popula-
ri autem regimine multo etiam crebrior
solet esse animorum dissensio: raro duo
Consules collegæ: rarissime decem tribuni
concordas fuere. ** At ubi unus imperat,

in

* Ita sapientes omni ævo senserunt. Solon: ἡδαι-
μον πολιτεῖον εἰς κέρουλος ἀκέρου. *Felix
iuris, quæ iussa unius Principis audit.* Seneca se-
cundum naturam esse regalis civitatis genus arbitra-
tur l. 1. de. clem. *Natura enim commenta est re-
gem: quod ex aliis animalibus licet cognoscere, & ex
apibus quarum regi amplissimum cubile est, medioque
ac tutissimo loco. Præterea onere caret, exactor
alienorum operum, & amisso rege totum dilabitur
examen.* Similia Plato, Aristoteles, Mocrates.
Lipsius &c.

* Sensit Aristocratæ incommoda Romana Resp.
sub Trumvialis Pompejo, Crasso, & Julio; sub

in ejus arbitrio sitæ sunt voluntates omnium; nec discerpere possunt corpus civitatis membra; quæ cum capere uno conspirant. Secundo, potentior est Monarchia, quia vires unitas habet; in alio regimine, distractis voluntatibus, vires quoque reipublicæ infringuntur, ut nec rejiciendo hosti extero, nec curandis intestinis malis sufficiant. Id causæ esse arbitror, quod nulla Respublica adhuc sine concordia stetit; nulla fere interiit sine discordia: attenuatur enim Respublica scissionibus, ut flumen in rivis diductum. Quapropter in bello exercitui Imperator unus præficitur; & apud Romanos, si quando Respublica inclinaret, consul Dictatorem decebat: Tertio, justitia in regno sanctius custoditur. Optimates enim sese mutuo respectant, sibi ignoscunt, aliis alii indulgent, seu quia sanguine conjuncti, seu ut, cum iisdem in culpis hærent, pari cum aliis impunitate fruuntur. Populum in ferenda sententia non ratio sed impetus, non consilium sed furor agit.* Regibus verò major est cura, efficacior autoritas ad justitiam conservandam, & minor ad eam violandam causa. Nam vel jus ipsi dicunt,

Antonio, Octavio, & Lepido. Recte proinde Tacitus l. annal. *Discordantis patriæ non aliud est remedium, quam si ab uno regatur; & alibi testatur, pacis inter,uisse, ut deponeretur potestas in unum.*

Argumento est ostracismus Atheniensium. Hic Aristides per Themistoclem accusatus, & damnatus plebeja sententia, cum ignotus ipse in media turba ex obvio quæreret, cur Aristidem damnaret? an hominem noisse? *Minime, alter reperuit, sed quia audio ostracismo damnandum, & meo id fiat calculo oportet.*

D d

cunt, atque ita haud facile discedunt ab integritate; quia supra gratiam sunt & supra metum: vel iudices constituunt, quos rationis reddendæ cura facile in officio continebit. Multa alia sunt Monarchiæ commoda, quæ, cum in conspectu sint omnium, libenter silentio præterimus. Nemo vero jam mirabitur, Republicas, quæ monarchico regebantur imperio, ceteris diutius floruisse; nempe ætatem non ferunt, nisi optima.*

L.
*Præsertim
temperata.*

Hoc ergo statuamus, quod modo probavimus, inter bonas Reipublicæ formas optimam esse Monarchicam. Attamen, ut nihil est humanis in rebus omni ex parte perfectum, ita ne laudatissima quidem illa regendi ratio omni penitus nævo caret. Non potest Princeps, præsertim in vasto imperio, omnia unus cognoscere; singulis rebus adesse & consulere in tanta eventuum multitudine ac

varie-

* Monarchia *Affyriorum* 1300. annos stetit. *Perfarum* usque ad Darium Codomanum 208.; ab Arface usque ad Artabanum circiter 480, dicta regnum *Parthorum*; inde revocato nomine hodieum durat. *Agyptiorum* reges usque ad Cleopatram annorum millia plura numerant. Millia item *Sina. Romana* imperium a Julio, in oriente usque ad Constantinum ultimum, annos circiter 1495. in Occidente usque ad Augustulum supra 500. & a Carolo M. ad nostram ætatem ultra 900. *Gallia* a Faramundo annis plus 1300. regnat. *Hispania* vero 1400. & amplius. Non sic Republicæ liberæ. *Sparta* vix 500. annos tenuit. *Athensæ* sæpe mutarunt. *Roma* sub consulibus 400. paullo plus annos exegit. Sola *Veneta* est, quæ ævum millenarium jactet; sed tamen Ducem habet.

varietate non potest; atque, ut prudentia longissime præstet omnibus, tamen, ob humanæ mentis imbecillitatem, sperare non licet, ut consilium eum nunquam deficiat. Quid vero si iners ad clavum sedeat; si ad imperandum nec a natura nec arte formatus, si denique suis lucris immineat, communem vero negligat felicitatem; an non res ad tyrannidem atque exitium spectabit? Obviabitur his malis, si monarchicum regimen temperetur. Nolo equidem Principem precario imperare; precaria potestas præter inane nomen principi nihil reliquum facit: sed tamen, quia unus tantæ moli non sufficit, & regia potestas fines justitiæ excedere non debet, aliquo temperamento opus est. Sint ergo Principi curarum adjutores & ministri: sint viri cordati & graves, qui consilio prodesse & norint, & audeant: polleant illi quoque autoritate, ut principem deerrare non sinant: ne populi quidem voces contemnantur. Hinc existet pulcherrimus Reipublicæ ordo; ut Princeps jure suo magna temperantia utatur, & optimates ac populus ei non dominantur, sed pareant.*

D d s

Cum

* Hodie vix ullam Monarchiam vel Aristocratiam vel Democratiam, simplicem ac omnino puram invenias: Imperatores, Reges, Principes, plerique circumscriptam habent potestatem, & Sacramentis se Reipubl. suæ obstringunt; & multo magis, quàm ex Optimatibus vel Populo Magistratum capefunt; itaque omnia fere regna Monarchiæ sunt temperata. Sed præcipue in Romano Imperio admirabilis elucet trium formarum compositio,

Caput

LI. Cum populus in regem societati suæ præficiendum conspirat, alterutrum decernit: *Regnum vel hæreditarium est, vel electitium.* nimirum vel ut jus successionis, hæreditarium sit in regnante familia; vel ut priore fati elato, suffragiis novus eligatur. Si electio decreta est, in ea vincere major suffragatorum numerus debet, si vero hæreditaria successio placuit, advertendum, an certam successionis seriem definierit populus, nec ne. Priore casu standum erit decreto; posteriore vero sequendus naturalis sanguinis ordo, ut mares foeminis præferantur, & qui regem natura propius consecuti sunt, potiore gaudeant successionis jure. Etenim rex nemo nascitur, sed fit consensu populi: sicut ergo in arbitrio populi erat, principio regem dicere aliquem aut nullum; ita postquam aliquem renunciavit, integrum ei esse oportet, Regnum seu Hæreditarium sive Electitium velle; & si hæreditarium esse voluit, ejus successionis seriem judicio suo definire: quod si eam non definivit, censetur nihil diversum a naturali continuationis ordine voluisse. Idem & de ceteris Reipublicæ formis dicendum: sive enim Populare in Republica aliqua sit imperium, sive Optimatum; qui illud constituerunt, poterant rem communi

COR-

Caput est Imperator, qui jus quidem in omnes habet, sed judicare debet secundum leges. Optimates sunt Electores, alique Principes; nec desunt Nobilitati sua decora, & privilegiis firmata libertas. Nec populus excluditur. Civitatum liberarum sunt gubernacula, earum in Comitibus suffragia audiuntur, ad summos quosdam magistratus plurimis aditus patet.

consilio vel ita conficere, ut imperantium hæredes in ipsorum jura succederent, vel ut alii adsciscerentur.

Lis est inter Politicos, successio Hæreditaria, an Electio præstet. Utramque multa sequuntur commoda, incommoda etiam multa utramque. Si Electione res agitur, copia est legendi optimos tantum & imperio dignissimos: iique moderatius fere imperant; quia nec innutriti sunt potentia, & ex ea superbia; neque proprium regnum habent, aut aliis acceptum, ad alios transmittendum: denique & virtutibus campus aperitur, ut multi ad eas vel spe principatus aspirent. Hæc pro Electione. Contra vero faciunt: primo, quod non, ut posset atque deberet, optimi semper eliguntur: rara electio sine privato partium studio atque respectibus; sibi opportunum quisque legit, Reipublicæ utilissimum vix pauci; promissis & donis, vi & fraude trahuntur suffragia. * Deinde,

D d 3

Prin-

LII.
*Electio
commoda
atque in-
commoda.*

* Alexius Imp. Græc. fato vicinus & sine liberis, de eligendō successore cum suis agitabat; Igitur, ut refert Nicetas Choniates, alii atque alii nominabantur; sed omnes, qui sibi opportuni aut utiles essent, nominabant: de eo autem eligendo, qui optime & ex usu publico imperaret, nulli cura aut cogitatio erat. Idem Autor Imperatores Roman. Neronem, Caligulam, & Vitellios contemplatus, exclamat: O quanto deterius est multorum suffragium & electio, quam unius! Tu inclytum Romanum Imperium, & gentibus adoranda Majestas, quos tyrannos pertulisti? quales amatores te petierunt? quibus substrata tui copiam fecisti? quales corona & diademate,

Principe vita functo, res ad interregnum devolvitur: quanta hic rerum perturbatio, quæ scelera! silent enim justitia & leges regno vacante, vis & licentia valent: quanta vero inter electores dissensio: quæ factiones, atque etiam bella! Moderatius regunt electi? at quandoque etiam nimis remisse: ut quid enim intendant curam rei nec suæ, nec postea suorum? & quia obnoxium alieno beneficio gerunt imperium, difficile est justitiam integram conservare, nec connivere noxis potentium. Quod postremum erat, virtutes sic excitari; mirum est, si valde: immo exempla docent, plures ad regnum, gratiæ quam virtutis via, grassatos.

XIII.

Itemque
hereditaria
successionis.

Omnia alia in successione. Primo, nullum hic interregnum, atque ita nec competitio, nec dissidiorum ac bellorum materies; præsertim si jura successionum legibus aut moribus firmata fuerint. Secundo, hæreditarius Princeps a primis unguiculis regiam mentem combibit, principiisque ac institutionibus effingitur, ut eo in matura ætate ad regendum nihil jam sit scientius, nihil expolitius. Majorum etiam virtutes ad imitandum vehementer extimulant. Tertio, acrius incumbit in salutem regni; quia illud ut rem propriam curat; nec facile fuerit tam
vecors,

demate, & punice vestitu exornasti? Graviores utique tulisti, quam Penelope procorum illa frequentia obsessa.

Magnum est incitamentum: & pater Aneas, & avunculus Hector. Euripides: οὐκ ἔστι τοῖς θεοῖς καίσιον κάλλιον γ' ἄρας, ἢ πατρὸς, εἰδὼς καὶ ἀγαθὸν περὶ κένειαι.

vectors, quin ad hæredes transmittere confirmatum & auctum, quam miserum malit. Quarto, majore pollet autoritate, eumque magis verentur populi, quia imperium non alieno beneficio, sed jure hæreditatis capeffivit: itaque & justitiam, nulli obnoxius, liberius exercet. Quinto demum charitas utrinque est major, & subditorum in genitum & sanguine principem, & principis in subditos certo ac vetere jure suos. Duo tamen adhærent incommoda, quod vel inepti aut mali, vel infantes aut pueri, quos ætas ipsa ab imperio arcet, sunt admittendi. Grande malum, rex puer; & manifesta Reipublicæ perniciēs, crudelis, avarus, aut stolidus princeps: nam ut improbum patrem melior natus excipiat, incerta est medicina & sera; dum vero maturior ætas expectatur, Respublica perit. Unum saluti esse potest, si temperetur regis autoritas, ut ei nefas sit sine consensu ordinum quidquam gravius moliri; & regis pueritia, matris tutorum agnatorumve prudentia gubernetur.*

Rationibus his utrinque inter se collatis, facili quisque perspiciet, quamvis libertati magis favet electio, ac ordine instituta principem regno pollicetur optimum, successionem tamen hæreditariam longe præstare;

LIV.
Utra alteri præstet?

D d 4

non

* Joas, etiam puer, fecit rectum coram Domino cunctis diebus, quibus docuit eum Jojada Sacerdos. 4.Reg.12. Ipsius Neronis quinquennium Seneca & Burrho ductoribus multos bonos principes superavit. Puer erat Theodosius; quis eo tamen principum melior, dum serpens Pulcheriæ consillis uteretur.

non modo quod facilius medetur incommodis, quæ ex illa non nunquam oriuntur; sed præcipue etiam, quod intestinis diffidiis, quibus electivæ Republicæ concuti solent, non ita est obnoxia. Illud hic magni est ponderis, quod plerique populi, vel qui maxime antea reges electione optarunt, hodie hæreditarios habent; non discessuri utique a veteri instituto majorum, ni longus usus docuisset, quanto præstabilior sit electione successio. Hoc tamen addo, si qua in Republica comitiorum paci, ac integritati suffragiorum legibus satis cautum est, nihil innovandum videri: cum enim per se bona est electio: tum vero, si incommoda removentur, etiam successione melior. *

LV
An & fœmina imperio apta?

Successionis ordo quandoque ad muliebrem sexum delabitur. Quæritur, an recte? foeminas enim quædam regna excludunt. * * & Plutarcho prævaricatio naturæ est a fœmina gubernari. * * * Equidem viros natura
ipla

* Hujusmodi electionis formam Romano-Germanicum hodie servat Imperium. Potentissimus & clarissimi nominis plerumque aliquis Princeps eligitur: ita, electo major est autoritas. Electores sunt decem; ex his tres Archi-Episcopi, qui ad regnum aspirare non possunt; Septem sæculares, inter quos semper unus alterve, qui vel per ætatem vel alias causas non sit aptus imperio; ceteri principes, quia alioquin potentes ægre non ferunt, si negligantur: ita electio est inter paucos, & minime turbulenta. Vid. Bulla aurea Caroli IV.

* * Ut in Gallia per legem Salicam.

* * * Plutarchus, *ἡ φύσις παραγομένηται γυναῖκα-
γεγενημένη.*

ipsa ad imperium format: vir animi magnitudine, autoritate, consilio valet; quibus virtutibus fere destituitur sexus infirmior. Sed nunquid omnes tam ineptas putabimus? an eas etiam, quæ in spem regni educantur? * Certæ multæ multis viris ingenio, fortitudine, solertia præstant: & quamvis sæpe exitio fuit scæminam imperalle, tamen idem & in virorum imperiis non raro accidisse historiæ produnt; nec exempla desunt scæminarum, quæ Respublicas summa sapientia, & constantia admirabili, ad invidiam adeo virorum principum gubernarunt. ** Quid quod ea ipsa indoles, quæ in scæminis vitium putatur, si transfertur ad regni administrationem, regiæ plane virtutis naturam induit: timiditas cautas efficit & circumspectas, lenitas animi clementes, gloriæ vero ambitus ad res maximas maximeque difficiles molliendas impellit. Quare, quod in privatis familiis diximus, fas esse, ut virilis animi scæmina ex pacto imperet: hoc mihi & in

Dd 5

Rebus-

* Nimis acerbum est, quod procax ille scæminarum insectator ait:

Γυναῖκες εἰς μὲν ἐὸν ἀμνηχανώταται,
κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται.

*Mulieres quidem sumus ad bona ineptissimæ,
Ad mala vero omnia artifices callidissimæ.*

** Illustrata sunt scæminarum nomina: Dehora, Judith, Hesther; Placidia, Fulcheria, Irene, Augusta; Blanca Franciæ, Isabella Hispaniæ, Margarita Angliæ, Libussa Bohemorum, Venda Poloniarum regina.

Rebus publicis concedendum videtur. Primæ scilicet dandæ sunt stirpi virili, quam natura ipsa nobiliorem esse voluit: sed si illa deficiat, aut impar sit imperio, quia vis imperandi ex hominum voluntate, permitte natura oritur, & Reipublicæ tamen permagni interest utilem habere Principem; in tali rerum conditione nihil alienum esse videtur a natura, atque etiam expedit, ut Rex sit sœmina.

CAPUT V.

De Juribus Majestatis: primo de immanentibus.

*LVI.
Potestas
imperanti-
bus est ne-
cessaria.*

Qui societatem civilem ultro iniverunt, imperium penes unum vel plures esse voluerunt felicitatis communis gratia; & victores etiam, qui populum aliquem armis suo subjecerunt imperio, ne ad vitiosum imperii genus deflectant, nihilominus eum finem spectare præcipue debent. Inde vero facile quisque intelliget, quoniam frustra requiritur procuratio finis ab illo, cui procurandi facultas deest, necesse esse, ut qui Reipublicæ gubernacula tenent, ad procurandam ejus felicitatem idonea etiam potestate muniantur; atque ideo facere omnia possint, quæcunque ad Rempublicam recte constituendam, tuendam, ac promovendam pertinent. Hoc generatim de jure imperantium ad instar principii dictum esto, ex quo singularia ipsorum jura cognoscantur: quod quidem principium quam late pateat, aut

aut quos intra limites sit accipiendum, doctrina mox infra proponenda dabit, postquam paucis docuerimus, unde illa imperandi potestas in principes derivetur.

Ubi hoc primo in memoriam est revocandum, quod alias stabilivimus, in statu naturali & segregatis familiis summum imperium penes patres familias fuisse; civitatem vero, ejusque imperium, non ex institutione naturæ haberi, sed advenire ex facto hominum. Manifestum est autem ex ipsa surgentis civitatis origine, familias, quæ in civitatem migrant, exuere se ea libertate, qua poterant in statu naturali, atque se unius vel plurium (sive ultro id faciant, sive coacte) voluntati subjicere. Itaque patres familias summum imperium, quod natura iis dederat, in principem civitatis transferunt: & tam hi, quam qui ipsis ante ut summis imperantibus subjecti fuerant, ejusdem potestati se dedunt. Unde conficitur, quidquid potestatis est principi in civitatem, id totum ab iis, qui societatem hanc quomodocunque ineunt, in ipsum derivari. Sed si altius originem hujus potestatis repetimus, fatendum est, eam a Deo, sapientissimo nempe omnium societatum Governatore, proficisci. * Necessarium enim erat in societate humana ad beate vivendum summum quoddam imperium; illud ergo Deum inter homines esse voluisse

LVIII.
A Deo conferatur, an a populo?

* Per me, ait Deus, Prov. 8. Reges regnant, & legum conditores justa decernunt; per me principes imperant, & Potentes decernunt justitiam. Et Apostolus Rom. 13. Non est potestas, nisi a Deo.

voluisse merito arbitramur : at quia integrum erat hominibus vel privatam tantum in familiis societatem colere, vel conflare civilem ; per eos utique stetit, ut summum imperium aut patres familias aut civitatum rectores obtinerent. Quare, dum populus civitatem mavult, non tam ipse potestatem confert imperaturo, quam personam designat, penes quam resideat potestas a Deo tradita.*

LVIII.

Ea quidem est summa ;

Translata ergo in Principem potestate, Civitas statum imitatur familiæ segregis : quemadmodum hæc non subjicitur nisi patri familias, ipse vero non subjicitur ulli ; sic princeps civitatis subiectos habet cives, cum ipse nemini subjiciatur. Atque hæc demum perfecta est civitas : nam quæ aliarum imperium sequuntur, non civitas, sed pars sunt civitatis. Porro cum cives principi sese subjiciant, ipse vero subjiciatur nemini ; consequens est, ut ejus summum sit imperium : ideoque decernere possit, quidquid e Republica visum fuerit ; gestorum vero rationem

* Ita fortasse conciliari possunt Autores, quorum alii, Principes a Deo potestatem accipere ἀμέτρος, alii a populo ajunt. Prorsus autem ad sententiam nostram Chrysostomus in illud, Rom. 12. *Non est potestas, nisi a Deo*, Hom. 23. *Quid dicis? Ergo omnis Princeps a Deo constitutus est? Istud non dico. Non enim de quovis Principe mihi sermo nunc est, sed de re ipsa, id est, de ipsa potestate. Quod enim principatus sint, quodque non simpliciter & temere cuncta feruntur, Divinæ sapientiæ opus esse dico. Propterea non dicit : non enim Princeps est, nisi a Deo ; sed re de ipsa differit, dicens : non est potestas, nisi a Deo.*

nem reddere nulli debeat, nec legibus ullis teneatur humanis, nullius denique judicio aut sententiæ poenæve sit subjectus. Hoc *Majestatem* dicimus; & quæ illud comitantur, *Jura Majestatis*. Unum videlicet Deo, & si qua est alia in terris peculiariter a Deo constituta potestas, subjecti sunt summi Imperantes, nulli præterea humanæ potestati obnoxii. Nam vel inter se conferuntur; atque sic manent in statu æqualitatis naturalis, cum alter alteri se non subjecerit: vel conferuntur cum subjecto sibi populo; & tunc, quia non populo Imperantes, sed istis se ille subjecit, manifestum est, superiores populo esse Imperantes. Quo minus etiam ferendum est monarchomachorum dogma; cum ratione nulla intelligi possit, manere potestatem in populo, qua se abdicavit, quinque in Imperantes transtulit; nisi quis & servus, propterea quod servituti se ipsi addixerunt, per summam insaniam superiores heris esse contendat.

Hæc explorata sunt, sed tamen certis circumscriptibenda limitibus; neque adeo summis Imperantibus, quod Hobbesius & Machiavellus docuit, quidquid libet, licet.

Primo summi Imperantes tenentur legibus naturæ: illæ enim sine discrimine omne hominum genus efficiunt; qua conditione non sunt superiores, qui imperant. *Secundo* tenentur jure gentium, quod conditur discretis vel tacitis earum pactis: quia tametsi Principes inter se, ut gens genti comparata, in statu æqualitatis versantur; immunes tamen præstari non possunt a lege naturæ, quæ stare pactis jubet. *Tertio* positivis etiam Dei,

LIX:
Suos tamen
habet limi-
tes.

&

& sacratoris cujusque potestatis, si quam civitatum ille rectoribus majorem esse voluit, legibus tenentur. Potuisse enim Deum pro suo arbitrio leges ferre, quibus obligentur vel summi principes; potuisse etiam vicariam sui potestatem in terris constituere, nisi impius nemo negaverit: si ergo leges ejusmodi tulit, si talem potestatem sui vice constituit; necessaria consecutione fateri cogimur, iis summos imperantes teneri. *Quarto* Jus Majestatis non excurrit ultra fines felicitatis publicæ. Cum enim civitas constituta sit felicitatis communis gratia, eaque tantum lege populus summo imperanti se se subjecerit; mensura autem potestatis sit populi sese subjicientis consensus; quidquid cum eo sine pugnat, jure summis imperantibus convenire non potest. *Quinto*. Non nunquam Principes certis conditionibus, ordinum populivæ arbitrio descriptis, imperium accipiunt sibi que stipulantur: illudque angustioribus multo terminis, quam quæ absolute traduntur, circumscribi patet; cum sancta ac inviolata esse debeat, præsertim a Principe, data fides.*

Jus

* Exleges igitur non sunt summi Imperantes, qui veluti *Pro-Dei*, ut eos nominat Hornius L. 2. de Civit. P. 1. Sect. 6. §. 17. *id possint omne in territorio, quod Deus in universo.* Atqui tamen Dei vices gerunt? *O dignitas!* exclamat J. Lipsius Mon. & Ex Polit. l. 2. c. 7. *vicarium Dei esse, & non esse æmulum!* Tum pergit, appellans Principem. *Vide ut ille ab orbe condito dispenset, & regat; - - omnia in statu & concordia, etsi maxime discordia, servet; parcat plurimum, interdum purgat &*

Jus Majestatis sic extensum, sicque circumscriptum, bifariam potest dividi. Vel enim felicitas communis, quæ finis est civitatis, evertitur aut perturbatur intestinis malis, vel extraneis; & ad felicitatem communem pertinet, non modo felices esse cives secundum se spectatos, sed etiam comparatos cum gente quavis externa. Cum igitur ex fine Reipublicæ repêtanda sint jura Majestatis: ea debent esse ejusmodi, primum quidem, ut viscera civitatis recte constituent; dein vero, ut eam ab exterorum quoque injuriis præstent immunem. Prioris generis jura, quia civitas statum interiorem spectant, & usum habent perpetuum, *interna ac immanentia*; illa vero generis posterioris, cum externos quoque respiciant, nec deduci in utrum nisi casu aliquo emergente possint, *externa ac transeuntia* appellantur. De his sequenti capite erit agendum; nunc de prioribus.

LX.
Ejus jura
vel imman-
nentia sunt,
vel tran-
seuntia.

Primo itaque jus esto summis imperantibus, dandi mandata, & leges ferendi. Hoc ex origine civilis imperii, & fine, necessario consequitur. Voluntates enim suas Imperantium voluntati subjiciunt, quotquot societatem civilem ineunt; & conspiratio voluntatum in felicitatem communem; mediaque spectari non potest sine ejusmodi jurisdictione: ergo jus esse debet Imperantibus, voluntates civium in eundem finem mediaque cogendi; id, quod per leges fit, & mandata.

LXI.
Jus leges
ferendi.

punit; verus pater simul & Dominus generis humani. Quid desideres; præter hoc exemplum? subsequere: & a Deo reges, ad Deum eant.

data. * Illud tantum inter mandata & leges intercedit discrimen, quod hæc ad totam communitatem extenduntur, illa stringunt singulares personas: finis tamen utrobique est idem; quia sicut felicitas communis jus legum ferendarum exigit, sic ejusdem quoque interest singulos cives præceptis posse adstringere.

LXII.

Quousque porrigatur?

Quousque autem procurrat ea potestas, ex num. 59. liquet. Quidquid nimirum Juri naturæ aut gentium, quidquid Divinis aut vicariæ ejus potestatis legibus, quidquid bono Reipublicæ adversatur, immo quidquid Ordinum voluntati est contrarium (si ea conditione imperium Principi delatum est) injustum & nullius roboris censei debet. Veritur ergo Legislatoris potestas circa eas duntaxat civium actiones, quæ cum ceteroquin indifferentes sint, Reipublicæ tamen prodesse aut officere eatenus possunt, ut præcipi aut vetari cum ratione queant. Tum vero illa etiam, quæ natura, quæ Deus, quæ consensus gentium, aut quæ Sacra Jura sanxerunt, eo rectius Principum confirmantur ac muniuntur legibus, quo magis illa ad humanam felicitatem pertinent, suntque fundamentum veluti,

quo

* Bene Livius lib. 1. *Multitudo coalescere in unius populi corpus, nulla re, quam legibus potest.* Et Martianus lib. 2. de legibus: ὁ νόμος πάντων ἐπιβασιμὸς θεῶν τε, καὶ ἀνθρώπων πραγμάτων. Δεῖ δὲ αὐτὸν προσαιτῆν τε καὶ εἶναι τῶν ἀλλῶν καὶ τῶν ἀισχυρῶν, καὶ ἀρχόντων καὶ ἡγεμόνων· καὶ κατὰ τὸ τοῦτο κανὼνα τε εἶναι δικαίων καὶ ἀδικῶν, καὶ τῆ φύσει πολιτικῶν ζωῆν προσαιτῆκόν· λέει, ὡν ποιητῶν, ἢ ἀπαγορευτικῶν δὲ ὡς ποιητέων.

quo omnes civiles constitutiones nitantur. *

Cum jus legum imperantibus competat: idque circa actiones indifferentes versetur; consequens est, ut illi, sua quisque in Republica; atque adeo in diversis ejus partibus, leges diversas possint condere, quodque alibi imperaverint, idem alibi tantum permittere; alibi etiam prohibere. Immo quia finis legum est felicitas communis; hæc autem propter locorum hominumque varietatem non iisdem ubique gentium obtinere legibus potest; non licitum modo; sed cumprimis etiam curandum est Imperantibus; ut eas subditorum conditioni accommodent. Itaque Legislatores gentis & regionis indolem, ac præcipue ingenium populi observabit; durum sit, an flexile; superbum, an humile; laboriosum, constans; placidum, an contra iners; leve, iracundum: hicque magna prudentia; ac propè divina opus est, ut sit *ὁ νόμος κατὰ τὸ πρόπον* *lex ad mores accommodata.* Non equidem id contendo, ut lex sit regula Lesbia; & vitiis, quæ subvertere debuit, sese acclinet,

LXI.
Possunt etiam esse diversa.

Et aut

- * Cicero lib. 2. de Leg. Constat profectio ad salutem civium, Civitatumque incolumitatem, vitamque omnium quietam & beatam; conditas esse leges: eosque, qui primum ejusmodi scita sanxerunt, populis ostendisse; ea se scripturos; atque laturos, quibus illi adscriptis susceptisque honeste beatæque viverent; quæque ita composita sanctæque essent, eas leges videlicet nominarunt. Ex quo intelligi par est; eos, qui perniciose & injusta populis justa descriperint; cum contra fecerint, quam polliciti professique sint; quidvis potius tulisse, quam leges:

aut propensiones hominum, quibus cohibendis fertur, incitet; sed in unamquamque gentem secundum ejus mores, opiniones, affectiones, quoad fas per sanctiora jura fuerit, ad felicitatem promoveat.*

LXIV.
Non expedit esse multas.

Jure ergo Principes dant leges, diversas etiam; non expedit tamen, ut multas; paucæ potius sint, & simplices. Hoc sapientum commune fere est consilium. Plurimæ civem mole sua opprimunt, cum memoria teneri nequeant, nedum re ipsa servari. Et quia in ea multitudine ac varietate fieri non potest, quin aliæ aliis in speciem contradicant, aut certe sententiam reddant ancipitem; inde nimirum feruntur lites ex litibus, dum litigantes utrinque præsidio legum se tuentur, ac sæpe unam eandemque legem in contrarias causas distrahunt. Quibus si partium pervicaciam, si imposturas & fraudes, si quæstum advocatorum adjicias, quantum iniquitatis cumulum adjecisti! At enim, inquam, opus est multitudine. Quid ita? ut variæ factorum eventuumque species discernantur. Obsecro, quæ illa vel cogitatione fingi potest legum copia, quæ omnia comprehendat aut distinguat? Justinianicum ipsum volumen quoties deficit! quam multa, non nisi ex similitudine aut obscuris ex eo argumentis ducuntur! At calumniæ fiunt

* Hinc Asiatici, Ægyptii, Arabes, genus nempe servile, durissimo reguntur imperio; at ingenæ gentes mitius gubernandæ. Hinc suæ quibusque rebus sunt leges. Aliæ item provinciis, aliæ vero urbibus, aliæ pagis conveniunt; unde statuta provincialia, leges municipales &c.

sunt. Quid igitur? quo fine iudex; quo fine Princeps est? ille vir bonus, & os justitiæ; iste potens, & viva ipsa lex, an non verbo uno decideret, quæ alias litibus infinitis jactantur.

Venimus ad efficacitatem legum. Infirmum foret hoc civitatis præsidium, nisi poenarum etiam jure muniretur. Vagæ etiam sunt populi voluntates, & ad libertatem sæpius ita obfirmatæ, ut, nisi vim facias, vix possint ad officium adduci: ergo ut efficienter omnes in eundem finem mediaque conspirent; atque unius arbitrio stent voluntates omnium, necesse est Legislatorum potestate valere, intentatis etiam poenis, cives ad obsequium cogendi. Nec exteriorem tantum hanc obligationem, sed interiorem etiam in conscientia lex justa invehit; quippe cum potestatem a Deo imperantes acceperint, jubeamur autem lege Dei necessaria legitimæ potestati parere;

E. e. s. fieri

LXV.
Leges ligant etiam in conscientia.

- Verissime Plato, ὅτι πᾶς ὅς κλείσσι νόμοις, ἢ δίκαι παρὰ τέτοις, ἢ εἰσι μοχθηροί, quod ubi plurimæ leges, ibi & lites, itemque mores improbi. Strabo lib. 6. scribit, Zeleucum Thuriis olim paucas & simplices leges dedisse, sed qui eum secuti sunt, alias per nimiam curam addidisse; ex quo factum sit, ut celebres magis quam boni redderentur. Additque dogma quantitatis præiis: εὐνομεῖσθαι, γὰρ τῆς ἐν τοῖς νόμοις ἀπαντα φυλάττομένης τα τῶν συκοπαντῶν ἀλλὰ τῆς ἐμμενοῦτας τοῖς ἀπλῶς κειμένοις. Bonis enim uti legibus, non qui omnes iis sycophantias aut calumnias cavent & excludunt, sed qui simpliciter latis, firmiter inhaerent.

fieri profecto non potest, ut quis legem Imperantis violet, quin una Divinam transgrediatur, ideoque culpam Divino etiam iudicio contrahat sibi imputandam. * Duplex itaque est legis effectus, quod culpæ, & quod reos pœnæ, ejus violatores constituit; atque hoc differt lex a consilio, cum istud non obliget.

LXVI.

Quinam
ligentur le-
gibus?

Porro, cum jus Majestatis a consensu populi sese dedentis pendeat, sequitur, eos quidem omnes, qui se dedidere, legibus Imperantium teneri! nisi si quos aut impotentia, aut jus quoddam divinius, aut concessa ab ipso Legislatore immunitas eximiis faciat; peregrinos vero ac exteros eatenus tantum obligari, ut ne tranquillitatem Reipublicæ aliënæ obturbent, nec ejus cives ab officio abducant; quæ quidem obligatio non tam ex civili, quam gentium jure fluit. Principes demum, quia nullius subjiciuntur imperio, nec superiores fingi possunt se ipsis neutiquam stringi legibus, quas ferunt; quamquam apprime deceat, ac æquitas ipsa naturalis suadeat, eadem ab illis fieri, quæ subditis imperarint; cum populus ea fere sit indole, ut ad Principis exemplum actiones suas componat. **

Ut

* Pauli Rom. 13. est hæc doctrina juxta & argumentatio: *Omnes, inquit, anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas, nisi a Deo; quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt, Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit --- Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.*

** Sallustius: *Qui magna imperio præditi, in excelsa ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita maxima fortuna, minima licentia est.* Pindari

ad

Ut vero leges eam, quam diximus, vim obligandi exerant, necesse est illas civibus promulgari; seu præconis id voce, seu publicis tabulis, sive alia idonea ratione fiat; alioquin longe iniquissimum foret, crimini dare iis violationem, ad quorum notitiam lex pervenire, non potuit. Eamque promulgationem oportet id genus conceptam esse verbis, ut omnes intelligere possint, Legislatorem non suadere duntaxat, sed omnino præcipere: secus, cum libertas possessione sua non deturbetur per legem ambiguum, voluntas Principis effectu suo frustraretur.

LXVII.
Ut ligent, promulgatione opus est:

Diversa est acceptionis ratio. Nec enim, ut feratur lex, rogandæ sunt necessario populi voluntates præterquam in statu Democratico, ubi leges multitudinis sciscuntur iudicio: nec, postquam lata fuerit, ut robur suum habeat, approbatio est populi expectanda; cum is jam inde a principio initæ civitatis voluntates suas Imperanti subjecerit. *

LXVIII.
Non item acceptatione.

Et 3 quo-

ad Hieronem Siciliae Regem est monitum: *Μὴ παρίει καλά. νόμα δικαίῃ πηδαλίῳ κρατὸν, ἀψευδεῖ δὲ πρὸς ἄκρονι χάλκῳ γε γλῶσσαν. Ἔστι καὶ φλάδρον παραιδύσσει, μέγα τοι φέρεται πὰρ σέθεν, πολλῶν ταμίας ἔσι, πολλοὶ μάρτυρες ἀμφοτέροις πῖσοι. Ne omittite honesta; gubernæ iusto clavo populum, veracemque ad incudem fabrica linguam. Si enim vel leve eruperit, magnū feretur abs te: multorum dispensator es, multi testes utrisque fidi,*

* Quam ob causam ab Alexandro VII. merito proscripta est hæc propositio: *Populus non peccat, etsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.*

quorum majestatem pacta sic attemperarunt, ut, nisi suffragante ordinum populivæ assensu, Principis leges non teneant.

LXIX.
Jus leges
mutandi.

Jam si Principibus competit jus leges ferendi, ut supra demonstravimus; profecto sequitur, quamvis illi quidem nihil immutare possint eorum, ad quæ sanctiore aliqua lege ipsi tenentur; quas tamen de actionibus civium indifferentibus leges tulerunt, eas non modo mitigare aut intendere, sed earum etiam gratiam non nullis facere, quin immo & antiquare easdem possit. Omnia scilicet hæc nituntur eo consensu populi, quo imperantibus in civium voluntates imperium summum acquiritur; vi cujus, ut stringere eas legum vinculis, sic etiam solvere iisdem integrum esse debet. Cumque summorum imperantium æqualis sit majestas, & jura æqualia, consequens est, ut, quæ illi circa suas, eadem quoque circa decessorum suorum leges possint statuere.

LXX.
An expediat
leges
mutari?

Et vero justæ causæ sunt plures, cur vetera abrogentur: 1mo si ea injusta fuerint, 2do si multa, 3tio si nimis ardua; 4to si inutilia, 5to si nova meliora: quarum momenta, cum per semet pateant, nil attinet hic expromere. * Illud tamen sapienter

MO.

* Aristoteles mutandas leges censuit lib. 2. Polit. c. 8. ubi sic ratiocinatur: *In aliis enim scientiis hoc profuit; ut medicina commutata a patriis institutis, & ars corporum exercendorum, quam gymnasticam, Græci appellant; omnes denique artes & facultates mutatae magnas rebus utilitates attulerunt. Quare quoniam & civilis prudentia in his numeranda est, nimirum & de ea quoque necessario idem est sentiendum.*

monent Politici, nec facile mutandas esse leges, nisi urgeat necessitas, aut utilitas manifesta in rempublicam inde profectura appareat; nec, nisi bene de republica meritos, earum immunitate esse donandos. Spectanda enim est semper, ceu norma, felicitas communis: ad quam sicut pertinet, ut bene meritis præmia decernantur, quo acuatur civium in rempublicam studium; & , quæ a majoribus sancita sunt, pro temporum ratione decretis utilioribus commutentur: ita neglectis his cautionibus ea non mediocrem labem acciperet. Nam immunitates, præterquam quod semper derogant juri communi, profusæ insuper sine meritorum discrimine, sine modo, præsertim ituræ per familias, veniunt sensim in contemptum, constant invidiam, Principum jurisdictione, rempublicam subsidiis privant. Conversiones vero legum, quia plerumque in obices incurrunt magno negotio superandos, & conjunctæ fere sunt cum privatorum incommodis; nisi polliceantur insigne ali- quod reipublicæ compendium, cui concedant dispendia privatorum; eæ nec sine perturbatione civium, nec sine injuria fiunt.*

Non tantum diserta Principum voluntas, sæpe etiam mores populi, legem face-

LXXI.

Jus consuetudinis.

E e 4

re-

dum, Justinianus ipse olim novavit, ante cum Theodosius, post utrumque Carolus M. & Fridericus Imperatores, in Hispania Rex Alphonsus: an Principibus hodie magnis atque potentibus non idem juris sit?

* Quare prudenter censuit Cleon apud Laert. meliorem esse statum Reipublicæ, quæ legibus utitur deterioribus, sed firmis, ea, quæ frequenter eas mutat.

re, mitigare, aut extendere, & abrogare possunt, quamvis non sine omni consensu Principum. Etenim, cum civilium legum potestas consensui hominum, in unum finem eademque media conspirantium, originem suam debeat; profecto mores illi, qui animorum consensionem non obscure loquuntur, si ad eos tacita saltem Principis potentis usum prohibere, nec tamen prohibentis, voluntas accesserit, eandem vim habent. Porro si vim habent eandem, etiam naturam legis æmulantur: quamobrem sicut illa iusta censi non potest, si naturæ, gentium, aut Divino juri repugnaverit, ita nec mores; eosque tunc non tam mores, quam corruptelam morum, appellare par est: & quamvis legibus mere civilibus consuetudo nonnunquam sit contraria ac propterea qui ei dant initium, procul dubio peccent: tamen ut earum vim elidat, debet etiam eo casu cum ratione eatenus esse conjuncta, ut ad felicitatem communem non nihil conferat, aut sin id quidem minus, certe illi non officiat. Nec vero existimare possumus, hoc jus consuetudinis aliquid de jure Legislatorum detrhere; quandoquidem iis semper est integrum quamlibet consuetudinem, si qua forte invaluerit, quam sanctiora jura non præcipiant, autoritate legum tollere, & ne qua deinceps inducatur, disertis etiam verbis cavere.

LXXII.
Potestas
judicialis,
ejus-

Redeo ad majestatem. Inanes futuræ essent leges, si deesset, qui de actionibus civium, an eæ ad normam legum exactæ sint, cum potestate sententiam ferat: itaque
ut

ut illæ finem suum consequantur, qui est *que par-*
 ctionum cum legibus conformatio, necesse *tes.*
 est in republica ejusmodi potestatem con-
 stitui: cumque hæc non conveniat æquali
 in æqualem, & nihilominus exeri debeat in
 omnes cives, sane attribui nisi summo im-
 peranti non potest. * Hanc *Judiciariam*
 potestatem dicimus; cujus duæ sunt par-
 tes, altera ferendi sententiam; dein, quia
 hæc fieri nequit de rebus ignotis, pars al-
 tera est, jus causam cognoscendi. Actio-
 nes autem civium vel consentiunt cum le-
 gibus, vel iis adversantur: illæ præmio
 dignæ sunt, hæc pœna: quoniam ergo Prin-
 cipibus juris dicundi potestas competit;
 ne ista sit frustranea, ii per necessariam
 consequentiam & præmia bene meritis, &
 reis pœnas decernere possunt.

Equidem præmiorum non eadem, atque
 pœnarum, est ratio: nam qui contra legem
 faciunt, eos sua culpa pœnæ reos peragit:
 quos vero commendant merita, præmium
 jure vindicare sibi nequeunt, cum aut ea
 tantum gesserint, quæ leges exigebant; aut,
 si quid præstiterunt uberius, illud nulla pa-
 cta mercede sit præstitum. Sed si æquita-
 tem tamen spectamus, quid huic magis est
 consentaneum, quam ut præmia laborum
 proponantur ac deferantur merentibus?

LXXIII.
 Quid juris
 circa præ-
 mia?

E e 5 præ-

* Pulchre Homerus:

Εἷς βασιλεὺς ὃ ἔδωκε Κρόνος παῖς ἀγχι-
 λομήτω
 Σκῆπτρον τ' ἢ παρ δειμισὰς, ἵνα σφίσιν
 βασιλεύῃ.

Unus rex, cui concessit Saturnia proles

Sceptrumque & leges, ut judicet, & dominetur.

præfertim cum id plurimum ad reipublicæ felicitatem attineat, Nullum enim potentius est incitamentum ad virtutem, spe præmiorum: eo honestissimus quisque ducitur, inde vires & animos ignaviæ etiam mentes ad res magnas exequendas accipiunt. Ingrata respublica aut Princeps haud facile viros bonos, magnanimos nunquam numeraverit, inimicos vero sæpissime: jacet enim virtus, quam præmia non invitant; & cives, dum negligi sua merita animo ægro aspiciunt, alio convertunt studia, ubi melius & cum sænore beneficia ponant, * Gratus igitur sit Princeps, grata respublica; cito etiam, ac honorifice, & firma, & speciosa reddat, hoc decet ejus magnificentiam, hoc civium industriam acuit, hoc rempublicam servat præ quam imperia. Ceterum, in distribuendis præmiis quæ justitiæ ratio sit habenda, Part. 3. n. 46. jam diximus,

LXXIV.
*Quid juris
 circa pæ-
 nas?*

Pœnarum etiam moderatio ex eodem loco nunc citato colligitur; hic jam Principibus asserendum est jus illarum. Nulla illerit, unquam respublica sine hoc jure; im-

- * Sic ingratam patriam Coriolanus obsidione preffit, Carbo per Barbaros oppugnavit, Marfes Longobardos Justiniano imposuit, Bonifacius Africæ Comes Wandalos adduxit. Nempe καὶ τὰ μὲν θεινὰ τῶν ἔργων αἰεὶ μνημονεύεσθαι, τὸ γὰρ λυπησαί. δυσεξάλειπτον, τὰ δὲ χρεῖα ἅμα τῇ ἀπολαύσει ἔ τὴν περὶ αὐτῶν μνήμην λυγαλίσκει. Eorum, quæ graviora acciderunt, semper manet memoria; quidquid enim contristat, difficulter deletur: beneficiorum vera memoria cum fructu consumitur. Herodianus.

impunitas enim viam parat sceleribus, quæ evertant rempublicam: necessariam itaque hanc potestatem quia dubitare non possumus a providentissimo numine societati hominum esse concessam, eaque a populo in imperantes transit, consequens est, ut ea horum sit propria. Hoc generatim dictum satis esto; ad singularia descendamus.

Primo. Finis civitatis, unde omnia Principum jura manant, felicitatem ejus interiori pariter atque exteriori complectitur: non ergo injurias tantum hominibus, verum etiam Deo illatas (quamquam quæ committi potest in Deum injuria, quin eadem civitatem lædat, cujus interiori certe obest felicitati? Principes jure puniunt.*

Secundo Delicta, quibus officia aliis debita violantur, aut privatum civem, aut lædunt rempublicam: quoniam ergo reipublicæ interest cum inter cives factam rectam servare justitiam, tum imprimis rempublicam ipsam incolumem præstare; competit jus Imperantibus & privatis, quibus civi læso, & publicis, quibus satisfiat læsæ Reipublicæ poenas irrogandi. *Tertio.* Saluberrimæ quidem sunt poenæ, quæ reus emendatur:

at,

D. Barbeyrac in notis ad Puffendorffium negat atheum a Principe puniri posse, prætermittenda sane erat hæc nota vel inutilis, vel periculosa. Aut enim sermo est de occulto atheo; & sic nota est inutilis, cum justitia humana de occultis judicare nequeat: aut est de aperto; & cur hic non pari jure, atque ille, qui suum principem ejurat, puniatur? an Religionis jura sunt magis adlaphora, quam Status? aut minus exitiosi sunt athei, quam alii scelerati?

at, quia emendatio disciplinæ publicæ quam privatæ est potior, jure Principes non tantum medicinam malo adhibent, sed crimen etiam ulciscuntur; quod postremum proprie dictæ est pœnæ gentis. *Quarto.* Sunt homines tam projectæ audaciæ, quos non nisi mortis metu in officio contineas; multi ne isto quidem adducuntur, ut ad frugem sese recipiant. Cum itaque Imperantibus credita sit respublica; si eam servare nequeunt salvis omnibus ipsius partibus, profecto debent potestatem habere, exitialia membra a corpore refecandi, eoque redigendi, ut peccare deinceps non possint, atque adeo morte mulctandi. *Quinto.* Tametsi pœna locum non habet, quam culpa non præiverit; extendi tamen illam posse etiam ad innocentes hæredes, si quando sit periculum, ne isti in delinquentium vestigia eant, ipsa servandæ reipublicæ necessitas satis persuadet; tum enim illa non jam pœna est, sed cautio. Ceterum cum perpetratum delictum certum sit, quæ vero metuuntur, sint incerta; facile quisque videt, justitiæ rationem exigere, ut mitiora sint remedia, quibus futuris malis obviatur, quam quibus plectuntur commissa.

*LXXV.
Illud non
est inter
æquales.*

Quoniam jus pœnarum proprium est summi Imperantium, ut supra demonstravimus; manifeste hinc sequitur, quamvis illud quidem exercere etiam ii valeant, quos in ea potestate sibi suffecerint summi Imperantes; civi tamen in civem, æquali scilicet in æqualem, neutiquam convenire. Neque necessaria est hæc in civitate potestas; imo etiam perniciosa. Non necessaria, cum justitiæ satis consulatur per summos

mos Imperantes, iisque suffectos magistratus, apud quos causam agas, reumve in judicium arcessas; quorum deinde fuerit, re explorata, litem dirimere, aut crimen vindicare. Perniciosa vero etiam: quia, si fingimus jus puniendi esse in singulis, civitatem sustulimus, immo humanam omnem societatem. At enim suum cuique jus non tribuunt semper iudices? Sit ita sane, neque tunc tamen fas privato fuerit vindictam sumere; satis est jus illud, quod a natura omnes accipiunt, ad vim vi repellendam; hoc si uti quis, ac tueri se resve suas nequeat, ferenda est injuria potius, quam arrogandum jus aliquod reipublicæ tam perniciosum futurum. Quare nec jus talionis privato illi competit: quod enim Exod. 21. & Lev. 24. dictum est, *oculum pro oculo, dentem pro dente &c.* ad iudices tantum pertinebat; non etiam, ut peperam interpretabantur Pharisei, ad privatos.

Diximus, imperantibus tribuendum esse jus pœnarum; quia illud Reipublicæ salus exigat: jam vero eadem requirit etiam Principem clementem. Etenim, si ex rigore justitiæ crimina semper vindicentur, quam multis capitibus minuetur respublica! * Amore præterea, quem clementia conciliat, non minus reguntur animi atque judiciorum metu; & si effectus severitatis, quod pareant cives, certe clementia facit, ut etiam libenter pareant. Itaque qui punire delicta, iidem & pœnarum

LXXVI.

Jus pœnarum remittendi.

- * Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat Jupiter, exiguo tempore inermis erit.

rum veniam facere, easve mitigare possunt; quæ sunt partes clementiæ. Tantumque abest, ut inter se pugnent hæc duo jura, ut potius in unum eundemque scopum mirifice conspirent: justitia severitate & metu emendat, clementia benignitate & remissione: illa pœnam dat, hæc veniam; sed cum judicio utraq; & ubi debet. Ratione proinde & consilio opus est, ut noverint imperantes, cui, quibus in rebus, quo loco, & quantum parcant. Sunt crimina quædam atrociora, quam ut impune abire debeant; bene de Republica meriti venia aliqua digni sunt, pulchrius etiam contemnunt Imperantes injurias, quæ ad ipsos solos attinent, quam quæ offendunt rempublicam. * Sed illud denique est præcipuum, clementiam sic temperare, ut ne in indulgentiam degeneret, & quæ servare debebat, ne perdat communem felicitatem impunitas; hæc enim cum sine judicio ostentatur, infirmiores obnoxios reddit injuriis, facinorosos in perniciem Reipublicæ alit.

LXXVII.

*Infontem
punire ne-
fas.*

Plectere ergo fontes possunt summi Imperantes, atque, ubi id Reipublicæ salus postulat, debent etiam: non ideo tamen illis absolutum jus in cives competit. Cives, cum se unius vel plurium imperio subjicerent, non transtulerunt in Principes rerum suarum dominium; neque enim amittendi eas, sed tutius conservandi causa, civili societati se addixerunt: earum vero re-
rum

* Ludovici XII. Regis Gall. in hoc genere digna immortalitate fuit oratio: *Rex Gallia non ulciscitur injurias Ducis Aurelianensis.*

nam, quarum ipsi custodes duntaxat & administrari a Deo sunt constituti, dominium se potuerunt quidem transferre; sed neque Deus potestatem aliam contulit imperanti- bus, nisi eam, quæ necessaria esset ad rem- publicam recte gubernandam. Hinc porro non obscure conficitur, cum jus illud ab- solutum minime necessarium sit ad Reipu- blicæ finem, netas esse Imperantibus in- fontes pœnis afficere, siue pecuniariæ illæ sint, seu famam, multoque minus si vitam innocentis petant; & quia Principes jure majestatis vel ipsis reis gratiam possunt fa- cere, si quando accidat, ut aliquis crimi- nis vincatur, cujus innocentiam ipsi perspectam habeant, ne judiciorum quidem lege effici, ut ejusmodi civem jure possint damnare, *

Legum & judiciorum jura Principibus stabilivimus: nunc dicendum est, quid in fortunas civium iidem valeant. Ac primo quidem illud est extra controversiam, in extrema Reipublicæ necessitate jus esse Im- perantibus civium fortunas in communem salutem vertendi. Cum enim omnia eos posse oporteat, quæ in eum finem sunt ne- cessaria, eaque etiam lege populus civita- tem iniverit; profecto in eo rerum articu- lo,

LXXVIII.
*Quid juris
in fortunas
civium, ur-
gente neces-
sitate?*

* Justitia ergo plectit reos, absolvit innocen- tes. Contra injustitia: sæpe enim. ut Boe- tius queritur.

- - - *Premit infantes
Debita sceleri noxia pœna:
At perversi resident celso
Mores folio, sanctaque calcant
Injusta vice colla nocentes.*

lo, ubi salus reipublicæ periclitatur, in fortunis civium nihil tam esse debet eximium, quin illud, quoad necessarium fuerit, ad eam conservandam possint impendere. Itaque urgente e. g. bello, possunt non modo subsidia rei frumentariæ, pecuniariæ, aliæque id genus, civibus imperare; sed etiam castris occupare eorum agros, munitiones in illis ponere, demoliri ædes suburbanas &c. Quamquam, cum communia onera secundum justitiæ leges certa quadam proportione inter cives sint dispartienda; eam vero proportionem urgens necessitas non ferat; justissimum plane esse videtur, ut postea civibus, qui reipublicæ causa res sua exciderunt, damnum pro rata ex ærario publico resarciatur.

LXXIX.
*Quid in
 tranquillo
 Reipublicæ
 statu?*

Sed Reipublicæ parum foret consultum; si extremis tantum ejus malis civium fortunæ cederent. Imperantium officium est; eam sic præmunire, ut etiam pericula arceantur malorum, & cum aliqua forte occurrerint, ut nullo non tempore sit expedita ad resiliendum. Præterea civitas non illud tantum spectat, ut vivant cives, sed etiam ut commode vivant: atque ideo Imperantes secundum necessitates Reipublicæ ejus quoque utilitates debent curare, præsertim cum hæ plerumque sint ejusmodi, ut necessitatis aliquid conjunctum habeant: Jam vero hujusmodi fines nemo non videt obtineri non posse sine opportunis subsidiis; & quia fructus inde ad omnes pervenit, æquissimum esse, ut etiam onusea conferendi commune sit omnibus. Manifestum ergo est, tranquillis etiam rebus, Prin-
 ci-

cipes jure imperare civibus tributa & vectigalia aliasque ejus generis pecuniarum collationes, ex quibus condatur ærarium publicum; unde in subitis casibus in promptu sit subsidia promere, unde & curari opera publica, muniri viæ, ali exercitus, ceteraque præsidia, quæ ad salutem ac utilitatem Reipublicæ pertinent, valeant sustineri. *

Tributa demum & vectigalia civibus possunt imperare Principes eo etiam sine, ut semet, familiamque suam alant, & pro dignitate sustineant: in Principibus enim vertitur salus Reipublicæ; & quidquid illis impenditur, id fere totum in communem utilitatem redundat. Itaque in civitatibus præter ærarium publicum est arca, quæ fiscus dicitur, ad quam ea pertinent, quæ sustentationem Principum fuerint destinata. Solent autem hodie gentes pleræque suis Principibus non modo aliqua tributa: vectigalia, verum etiam fundos & prædia, itemque multas pecuniarias, bonas acantia, sylvas majores, maria, & omnia enique ἀδασμοσά, quæ sint intra limites Reipublicæ, eum in finem cedere. Ac

LXXX.
Jus Fisci.

po-

Veterum Romanorum hac in re singularis erat providentia. Triplex illi ærarium habuerunt. Primum quod *Sacrum* dicebant, in æde Saturni, cujus autor laudatur Valerius Publicola: illud in extema reip. tempore servabatur; unde apertum est tempore belli Punico secundi, deinde tempore belli civilis. Alterum, *Aeternum* dictum, quod destinatum erat tantum bello Gallico. Tertium opulentissimum, in quo civium & sociorum tributa, vectigalia, prædiæ, census popul.

Ff

postremus quidem iste fiscum locupletandi modus eo est tutior, quo minus cum singulorum damno est conjunctus; quippe cum circa eas res versetur, quæ in dominium nullius pervenerunt. Hinc cetera fisci jura sequuntur: qualia sunt, jus venandi, piscandi, gemmas colligendi, jus occupandi bona vacantia, jus fodendi metalla, aliaque plura, quæ minutim persequi non est animus, quod ea pro diversis populorum moribus nimium quantum varient. Confer. Part. 2. num. 157. seqq.

LXXXI. Fiscum imperantium discernendum esse ab ærario publico, paullo ante innuimus. Quid interstet inter ærarium publicum, & fiscum? Ejus rei duplex adferri potest ratio. Prima est, quia usum diversum habent: ærarium enim publicum in necessitates ac utilitates solius Reipublicæ, fiscus vero proxime in sustentationem Principum destinatur. Altera, quia ærarii publici cura tantum & administratio Imperantibus incumbit, cum interea ejus dominium sit penes rempublicam; contra, quæ populus in fiscum confert, videtur conferre eo animo, ut eorum quoque dominium esse penes imperantes velit; id quod arguere licet tum inde, quia, cum ex fisco Imperantibus affatim suppeditet ad dignitatem tuendam, populus tamen nunquam postulat, ut, quæ redundaverint, in usum publicum convertantur; tum etiam, quia est infra dignitatem Principum, precariam pene vitam vivere, nec habere, de quo pro libitu suo disponant. Ne igitur usus diversi pervertantur, nec imperantes sibi vendicent, quæ Reipublicæ tuerant impendenda, necesse

esse est, ut distinguantur arcæ, quarum altera fortunas publicas, altera res Principum sustentationi destinatas contineat. Consuetudinem, quæ hodie in multis reipublicis, ac præsertim in monarchiis obtinet, geminam illam arcam in unam conflandi, non moror: neque enim quæ sunt, sed quæ fieri jure oporteat, ea sunt describenda. Quod si Imperantes id propterea faciunt, quod suum esse nihil dubitant, quodque facultates, quas ipsis jus Majestatis tribuit, communes esse velint Reipublicæ: tum enimvero, sicut omni laude digna est talis in rempublicam voluntas, ita in permissione arcarum nihil apparet, quod merito reprehendi possit. *

Atque hæc sunt, quæ majestatis jure circa fortunas civium possunt Imperantes: quæ omnia si insignire appellatione eminentis Domini velis, non repugno, nolim enim de voce litem movere. Re ipsa est aliquod dominium eminens in extremis reipublicæ malis: tunc enim res privatorum, comparatæ ad rem publicam, sunt in medio velut positæ; ut adeo Im-

LXXXII.
An imperantibus competat dominium eminens?

Ff 2 persn-

* Exempla sunt in utramque partem, Augustus, ut refert Dio Cass. λόγῳ μὲν τὰ δημοσια ἀπὸ τῶν ἐκείνῳ ἀπεκρίστο, ἔργῳ δὲ τὰυτὰ πρὸς τὴν γνῶμην αὐτῆ ἀνήϊστατο, licet pecunias suas dicis causa ab ærario separatas haberet, reipsa tamen his quoque pro arbitrio suo utebatur. Contra Hadrianus, teste Spartiate, damnatorum bona in fiscum privatum redigi vetuit, omni summa in ærarium publicum recepta; auditus etiam sæpius dicere: ita se Rempublicam gesturum, ut sciret rem populi esse, non suam.

perantibus, quippe qui rempublicam sustinent, vel natura ipsa potestatem concedat eas occupandi, Est etiam in tranquillo reipublicæ statu species quædam dominii eminentis, imperare tributa, seu quæ ærario, seu quæ fisco adscribantur: huic enim juri subjecta sunt dominia singulorum. Sed si eo nomine jus aliquod proprietatis intelligas, quo elidantur civium proprietates, aut imperium, vi cujus imperantes quilibet a subjectis & quolibet ex causa possint exigere; id quidem cum rectæ institutæ reipublicæ pactis & forma minime cohæret; neque enim se rerum suarum dominio abdicarunt homines, cum civitatem inirent. ut qui eam non ad amittendas res suas, sed certius sibi habendas iniverunt; & quamvis eas Imperantium potestati submiserint, id tamen ea conditione egerunt, quatenus necessitas vel utilitas publica postulet. Itaque jus eminens in fortunas, imperii, quam dominii, est magis; nec aliud infinitum, sed ad rationem necessitatis utilitatisque publicæ metiendum. *

Cum

- * Adde, sapientis esse principis, quidquid illud est, quod in fortunas civium juris habet, eo magna cum temperantia uti. Quippe, ut in suis legibus (L. 15. tt. p. 2.) dixit Rex Alphonsus: *Optimus Regis thesaurus, quique amitti, nisi perditis jam omnibus, non posset, populus est, si rite custodiatur.* Atque hic Justiniani Imperatoris dicta consentiunt, dum ait: *tum demum regnum, Regisque aut Imperatoris ærarium opulentum fore ac locuples, cum subditorum fortuna ac facultates amplæ fuerint & copiosæ.*

Cum tributa imperare civibus possint incipēs; profecto & prospicere illis de-
nt, ut habeant, unde tributa pendant:
quin temerarium est & iniquum, mē-
e, ubi non severis. Ratio vero præ-
ceteras ad eam facultatem cives pro-
endi præcipua sunt commercia: iis
que efficitur, ut, quarum rerum ali-
i est inopia, eæ aliunde petantur; &
i illis lucrum percipitur (cujus qui-
percipiendi complures sunt justæ cau-
rerum gerendarum nervus in repu-
a nunquam deficiat, quin immo no-
accessionibus augeatur. Quia ergo
non minima curæ imperantium est
i commercia; facile quisque perspi-
ut eæ ex utilitate reipublicæ, & se-
lum justitiam fiant, necessarium ef-
ut illi possint de exportandis impor-
isque mercibus leges ferré; pretium
im, tum vulgare, cum eminens de-
; illudque augere vel minuere, pro
rerum necessitudine, copia, arte,
e; tum etiam moderari contractus,
e conditionibus illigare, quibus de-
i pro irritis habeantur; peregræ ve-
dvenientibus mercatoribus comnea-
dare, eosque ornare privilegiis, ut
ceantur ab rerum utilium invectione
omnia denique illa agere, quæ e re-
ca futura videantur, nec adversen-
imen juri naturali, aut pactis cum
nea gente initis.

LXXXIII.
*Jus circa
commercium.*

æcipua hæctenus jura explicuisse satis
: omnia enim recensere non vacat;
quin illa etiam, quæ silentio præter-

LXXXIV.
*Jus circa
Magistra-
tus.*

Ff. 3

imus,

imus, si modo libuerit animum ad finem reipublicæ primasque imperii pactiones advertere, inde nullo fere negotio quisque eliciet. Ceterum, cum jura majestatis Imperantibus rectæ gubernationis causa conveniant; ea res vero majoris sit molis, quam ut perfici ab ipsis unis possit; consequens est, ut jus habeant adsciscendi sibi curarum adjuutores, qui partem aliquam reipublicæ ipsorum vice sustineant, eique cum potestate præsent, non illa quidem eminente, quæ Imperantium est propria, sed inferiore. Porro, quia in his constituendis res tanta agitur, facile est cogitare, quanta circumspectione, quantoque delectu sit opus Imperantibus, ut viros idoneos, fide in rempublicam & caritate conspicuos, rerumque gerendarum apprime gnaros, iis admoveant: neque adeo probandum videri consilium, ut magistratus sint hæreditarii, nedum venales ut proponantur; quandoquidem his viis est pronissimum, ut homines inepti aut malevoli in magistratum irrepant. * Ex eo demum, quod magistratum potestas pendeat a potestate Principum, sequitur, iis, qui magistratum sententia se læsos senerint, fas esse,

* Alexander Severus, teste Lampridio, ubi aliquos voluisset vel Rectores Provinciis dare, vel Præpositos facere, vel Procuratores ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut si quis quid haberet criminis, probaret manifestis rebus. Rex Ferdinandus Catholicus Ministrorum electiones prius deliberabat cum populo permittendo quasi per incuriam, ut ante manarent in vulgus, quam fierent.

Te, ad Principem appellare; hunc vero potest magistratum acta rescindere; ab illis rationem administrationis reposcere; eos, qui munere male functi fuerint, gradu movere; que adeo afficere pœnis pro eo ac merentur.

Unum in hoc capite prætermitti non debet; est enim maximi ad rem publicam ornandam momenti. Quæritur nempe, an *is Sacrorum Imperanti conveniat?* Ejus autem quæstionis duæ sunt partes: nam sacrorum nomine vel religionis mysteria, vel honores iis exercendis dicati, intelliguntur; is sacrorum priore sensu *Potestas Ordinis*, posteriore *Jurisdictionis* vocatur. Copiose ea de re, & magna vi argumentorum differitignatius Schwarzius Institut. Juris Univ. & G. Part. 1. Tit. 3. institut. 2. & 3. Hunc, si volet, adeat; ego enim rem paucis ita excedio. Necessariam esse aliquam in republica sacram potestatem, eo minus indubium vocari potest, quo liquidius est, veram ejus licitatem inde pendere: sed ut illa velut dividua comes potestati profanæ adhæreat, tum sint potestates diversi generis, non est excessu. Itaque si naturalis tantum religio ferenda nobis præciperetur, sacra potestas in oculis dubio, in segregatis familiis penes Patres familias, in civitatibus penes earum principes locum haberet, illa enim nihil continet majus humanis viribus. At postquam Servator noster religionem ad submiorem gradum evexit, iisque mysteriis consecravit, quorum vis ac efficacia omnem mere humanam facultatem superat; resercto jus talium sacrorum nisi illis, qui- bus id ipse proprium esse voluit, conveni-

F. F. 4. re

re non potest. Quare cum illud non politicis Rectoribus, sed iis, quos Apostolos vocavit, & quibus deinceps ipsi auctoritate Divina idem contulissent, voluerit esse proprium; illud penes Rectores civitatis non esse, manifeste consequitur. Porro quibus ordinis, iisdem & jurisdictionis potestatem contulit, atque ita Hierarchiam constituit distinctam a profanis Imperiis: igitur ne jurisdictio quidem sacra est profanorum Principum. * Quæ cum ita sint, & nihilominus tamen interfit reipublicæ, sinceram in ea religionem vigere; consequens est, Imperantibus hanc unam relictam esse gloriam, ut Sacra pro viribus tueantur, atque promotum eant.

CA-

* Justinianus in Authent. *Quomodo oporteat Episcopos, princ. Maxima quidem in omnibus fiant dona Dei. a superna collata clementia, Sacerdotium & Imperium: illud quidem Divinis ministrans, hoc autem humanis præsidens.* Theodosius in epist. ad Synod. Ephes. *Illicitum est, cum, qui non sit ex ordine Sanctissimorum Episcoporum, Ecclesiasticis immisceri tractatibus.* Honorius ad Arcadium: *Cum, si quid de causa Religionis inter Antistites ageretur, Episcopale esse oportuerit judicium: ad illos enim Divinarum rerum interpretatio, ad nos Religionis spectat obsequium.* Basilius Imp. in Actis 8. Synod. Gen. *Nulla modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem habere: hæc enim investigare & querere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, -- qui Ecclesiasticas atque cælestes adepti sunt claves; non nostrum, qui pesci debemus.*

CAPUT VI.

De juribus transeuntibus
Majestatis.

Transeuntia vel externa jura dicuntur, *LXXXVI.*
 quæ Imperantibus eo fine conveniunt, *Quæ sint*
 rempublicam, comparatam cum exteris, *jura trans-*
 livam incolumem præsent. Respubli- *euntia?*
 e autem inter se comparatæ duplicem ha-
 bent statum, vel enim pace inter se fruun-
 tur, vel bellum gerunt: idcirco & jura
 transeuntia duobus universim capitibus, sci-
 cet jure belli, & jure pacis comprehen-
 dentur.

Bellum latiore sensu acceptum a Grotio *LXXXVII.*
 sic definitur, esse status hominum per *Quid sit*
 in certantium, qua tales sunt. Si defini- *bellum?*
 onem belli proprie dicti petas, dixeris,
 statum esse gentium liberarum, vel homi-
 num in statu naturali positorum. per vim
 certantium, qua tales sunt. *Status* dicitur,
 modo intelligatur, bellum non in ipso tan-
 tum certandi actu consistere, sed etiam in
 proposito certandi, & machinatione hostili,
 dicitur, *gentium liberarum, vel hominum in*
statu naturali positorum: eorum videlicet,
 qui Superiorem non habent, adeoque inter
 eos intercedit naturalis æqualitas: alioquin
 inferiores contra superiorem, aut homi-
 nes imperio subjecti inter se pugnant, non
 bellum, & seditio, sed rixa est. Dici-
 tur, *per vim certantium:* ut discernas
 bellum a forensibus, aliisque ingeniorum
 concertationibus, quæ citra violentiam
 sunt.

fiunt; Additur, *qua tales sunt*: id est, quantens actiones hostiles exercent vel meditantur; ceteræ enim actiones ad belli rationem nil pertinent.

LXXXVIII.
Quibus ex
causis ju-
stum sit
bellum?

Duæ sunt causæ, ex quibus juste bellum suscipitur. Prima est, injusta læsio; ut, cum populus alter alterum injusto bello petit: altera, rerum ablatarum detentio, seu denique, cum id negatur, quod jure perfecto deberur. Etenim, cum republicæ inter se collatæ æqualitate ac libertate naturali fruuntur; in eo autem statu læsis nullum sit, præterquam in se ipsis, præsidium; ideoque natura eis ipsa jus tribuat, vim & injuriam a se propulsandi, &, quæ sibi jure perfecto debentur, vi extorquendi; facile patet, easdem causas etiam reipublicæ favere, ut ex utralibet bellum jure suscipiat. Hinc duplex oritur belli genus: Aliud *Defensivum*, quod ad propulsandam injuriam; *Offensivum* aliud, quod ad eam resarciendam suscipitur. * Tertium addunt multi, bellum *Vindicativum*, quod nec

* Christianis licitum non esse bellum, vetus erat Manichæorum error quem postea errarunt etiam Erasmus & Lutherus. Sed refutavit jam dudum Augustinus lib. 22. contra Faustum c. 47. ubi præter cetera: *Ipsum ait, Dominum Jesum audiant, stipendium jubentem reddi Cæsari: ad hoc enim tributa præstantur, ut propter bella necessaria militi stipendium præbeat. Merito & illius Centurionis fidem laudavit, non illius militiæ desertionem impetavit.*

nec avertendæ, nec refarciendæ, sed ulciscendæ tantum infertur causâ injuriæ. Difficile est hujus causæ justitiam ex jure naturali probare: nam superiori tantum in subjectos natura jus puniendi concedit, pari in parem nunquam concedit. Quare, si justum est hoc belli genus, ex consensu gentium potius est justum: videbatur nimirum parum consultum fore singulis rebuspublicis, si quidem illæ gladium gererent ad vindictam malefactorum internorum, in eos autem, qui externis iniuriis vexant rempublicam, gladium stringere, vindicare injurias, & acerbitate poenæ abterrere alios a simili injuria non aulerent: itaque tacitis gentium liberarum nimis, ut quidem ex earum moribus licet opinari, in eam itum est sententiam, ut læsa respublica, cetera æqualia cum externis, hac parte lædentibus etiam esset superior: adeoque injuriam, quam avertere aut refarcire non possiet, certe nec leberet inultam ferre.

Id multo est verissimum, quoniam LXXXIX.
 òla injuria justam bello causam offert, *Ex quibus*
 qualibet alia susceptum ex causa bellum, *vero inju-*
 injustum esse. Primo itaque sunt ini- *stati?*
 iusta, quæ avaritia, furor, aut domi-
 nandi libido parit; quæ sola invitante
 occasione, vicino quippe imparato; quæ
 ad proferendos fines imperii, vel pa-
 vandam nominis famam geruntur. Quod
 in hæc forte conjuncta sint cum aliqua
 earum causarum, quas ante approbavi-
 mus, illa quidem justitiam belli non eli-
 dent, facient tamen, ut sit illicitum,
 quia

quia sinistra animi voluntate susceptum. Secundo, perfecti tantum juris negatio justam dat bello causam: igitur si quis populus alterius exercitui neget transitum, si novas sedes quærentes non admittat, si belligerantibus hospitium, commeatum, pecuniam nolit sufficere, aliave id genus officia, quæ humanitas vel jus imperfectum tantum requirit, deneges: nulla hinc justa nascitur belli movendi ratio: nisi forte hujusmodi officia aut ex pacto debeantur, aut urgente extrema necessitate petantur, vel denique ita sint innoxia, quod quidem est rarissimum, ut sine omni detrimento præstari possint. Tertio, quemadmodum jure bellum suscipitur ad resarciendam injuriam; ita si satisfactio offeratur, quæ exæquet injuriam, seu id fiat ante susceptum bellum, seu illo jam suscepto: ea acceptari debet, nullusque jam bello justo est locus. Satisfactio, inquam, si offeratur, quæ exæquet injuriam, neque enim cuivis, sed justæ ac integræ læsi juris, reparationi læsa respública acquiescere tenetur. Postremo injustum foret, ob levem injuriam arma corripere: sive enim repellenda aut resarcienda est injuria, sive etiam vindicanda, semper justitia inter injuriam & injuriæ remedium vel pœnam, proportionem exigit.

XC. Quæritur hoc in loco, justumne videatur, nulla alia præterquam religionis causa bellum movere? Duobus id fieri modis potest: primus est, si externi

ni

i a sincera religione aberrant, Deumque contumeliis afficiant, nec aliis tamen noceant; deinde, cum vi aut dolo id agunt, t in eundem errorem ac impietatem alios quoque abducant. Si sibi tantum improbi sint & blasphemii, bellum contra eos gerere ea solum causa non licet; * licet, verum per vim aut fraudem inferre sua vitia et errores in rempublicam conantur.** Una triusque est ratio: quia sola injuria, quam respublica ab extraneis acceperit justam eos dat bello causam; priore casu respublica injuriam nullam accipit, accipit in ostremo.

Hoc jam constat, cum injuria gravificimur, justam nobis offerri bellandi usam. Quoniam vero perinde est, sive si lædamur, sive per alios ulterius peccatur, sive item nobis jus perfectum negetur, sive aliis, quibus vel ex pacto, vel nostrimet causa ad opem ferendam obstringimur; recte inde arguimus, etiam si a sociis & fœderatis, immo & pro vicinis, quorum ruina & nos opprimendi

XCI.
*An licitum,
pro aliis
bellum gerere?*

*. Quamquam si Deus, ut potest, imperet, omnino justum fuerit. Sic Josua Dei imperio Chanaanos occidit, quia jam completæ erant iniquitates eorum. Moabitas vero & Idumæos non multo meliores non attigerunt Israelitæ quia mandatum Divinum de puniendis illorum sceleribus non habuerunt.

** Ita contra Antiochum, aliosque ad idololatriam impellentes, justissima bella Machabei gesserunt.

di essemus, licitum esse arma capere: * Nihil autem interest, eademne sacra nobiscum colant, quos adjuvamus, an diversa; cum religionum dissimilitudo justitiam causæ non corrumpat: adeoque nihil prohibet, quin etiam Christiana respublica alteri superstitionibus ac erroribus deditæ superpetias ferat, dum religioni tamen satis caveatur. Id vero nunquam negligendum, ut sociorum justa sit causa: nam si pro nobis ipsis bellum gerere sine justa causa, merito nefas putamus; quis justum arbitretur, patrocinium injustæ aliorum causæ suscipere?

XCVII.
Cui competat jus belli?

Dicendum nunc est, cui jus belli competat. Cum bellum sit status gentium liberarum, vel hominum in statu naturali positurum; patet ex hac ipsa definitione, in segregatis quidem familiis jus belli penes Patres familias, in civitatibus vero penes earum Principes esse: nam æqualitas & libertas naturalis locum non habet, nisi inter eos, qui nullius subjiciuntur imperio; quales priore casu sunt patres familias, posteriore summi Imperantes. Ipsa præterea origo summæ potestatis hoc docet: eam societati hominum, quippe ad beate vivendum necessariam, providentissimum Numen concessit; eandem oportet in illis relidere, quibus incumbit cura societatis.

* Recte monet Cicero Lib. 4. de Rep. *Nullum bellum suscipi ab optima civitate, nisi pro salute, vel fide: fides enim sociis præstanda est. Ita populus Romanus precibus Campaniæ motus, non pro se, sed quod speciosius est, pro sociis Samnites invasit.*

etatis; hujus pars curæ altera est, societatem ab externis injuriis immunem præstare; igitur in segregatis familiis, ut cura familiæ, sic jus illam ab externis injuriis immunem præstandi, id est jus belli, est pes Patres familias: porro cum familiæ invitatem constatæ curam pariter ac universam potestatem in summos imperantes transtulerint, consequens est, ut in civili societate jus belli proprium sit summorum imperantium. Nemini proinde civium, ac ne magistratibus quidem, citra auctoritatem Principis jus esto bellum movendi; sed si qua injuria reipublicæ oblata fuerit, ad illum perferatur. * Quamquam, cum privato cuique natura sit licitum injustam vim vi repellere; defensionem reipublicæ in repentinis casibus etiam inferior magistratus recte susceperit; maxime si iis locis præsit, unde nuncii ad Principem non nisi sero veniant.

Ante vero, quam Princeps bellum decernat, sollicitam dabit operam, ut causæ momenta, seposito omni partium studio, a rerum prudentibus & piis consiliariis expendantur. Sæpe enim philautia, furor, cupiditas, causas bellorum fingunt: cumque per bellum tanta mala inimicæ reipublicæ, nec modica sæpe pericula ipsi læsæ bellumque meditati immineant; temerarie utique atque inju-

XCVI.
Causam
belli oportet esse liquidam.

* Quare leges etiam eas Romano Imperio subiectas gentes, inter latrones numerant, quæ sine Augusti auspiciis bella movent. L. 24. ff. de captiv. l. 118. ff. de V. S.

injuste Princeps egerit, qui suo unius fretus iudicio, sine deliberatione, sine maturo consilio ad bellum profiliat. Ubi causa ad liquidum perducta fuerit; ablata repetet, aut pro læsione fatisceri sibi postulabit; omnia denique ante experietur, quam instituat jus suum manu & ferro persequi. * Quod si adversarius omnes æquas pacis conditiones respuat, atque adeo jus reddere pertinaciter neget: tum enim vero nihil jam obert, quin contra eum bellum decernatur.

XCIV.
*An bellum
solemniter
indican-
dum?*

Mos etiam est cultioribus gentibus, bellum denunciare ante, quam inferre, quod olim per Fecialem, hodie proposito edicto fieri consuevit. Et habet ea res duo præcipue commoda: primo, quod ita constet, non ausu temerario, sed juris tantum ergo, cuius consequendi aliæ viæ nequidquam tentatæ fuerant, bellum a nobis suscipi; deinde, quod factum humaniter videatur, si læsus, æquo Marte cum hoste congregi quam eum imparatum velut ex insidiis obruere malit. Verum, cum natura ipsa liceat vim in-
ju-

* *Omnia prius, experiri, quam armis, sapientem decet recte, quamvis ridicula occasione, Terentianus miles dixerat. E converso tamen & illud cavendum est, ne longis deliberationibus Respublica in discrimen adducatur: sæpe enim Roma deliberante, Saguntus perit. Consilia itaque precant, sed maturato consilio studiose aggradiendum bellum: nam*

*Εἰ γὰρ χερσὶ τέλους πολέμου, ἐπέων ἐν
πῶλ.*

In manibus finis belli, verborum in consilio.

justam in vestigio vi repellere, & quæ jure perfecto debentur, sin aliter obtineri nequeant, vi extorquere; postquam justis propositis causis nihil æqui ab hoste impetratum fuerit, humanum quidem & liberalem dixerò, qui ei bellum ante denunciaret, non ideo tamen injustum, si confestim ad arma descendat. Hinc, quamvis bella sint *solemnia*, quæ prævia denunciatione, alia *minus solemnia*, quæ ea neglecta geruntur; ea tamen divisio, quantum ad justitiam belli, nihil momenti adfert: siquidem potest accidere, ut solemnî bello mala, minus solemnî optima causa agatur,

Quando ad arma semel ventum est, **XCV.**
 ei, qui justa causa nititur, licere debent *Quid hosti
 in hostem
 liceat?*
 omnia, quæcunque necessaria ad consequendum jus suum fuerint; dum ne ex illarum rerum sint genere, quas natura sub omni ratione prohibet, aut singularia gentium jura excipiunt. Illud ergo obtinere cum nequeat, nisi hostem eo adducat, ut jam nolit, aut certe non possit esse injurius; licitum ei est, hostem vi petere, stratagematibus circumvenire, armis, commeatu, opibus spoliare, ejusque populari agros, solo æquare urbes, homines ipsos vel abducere captivos, vel igni ferroque perdere. Contra vero nefas est, magicis uti artibus, seu illis, quæ hosti noceant, seu quibus ipsius armorum impetus obtundatur; eas enim natura sub omni ratione prohibet. Nec auisim affirmare, annonam, fontes, arina citra violationem juris gentium venendo posse in-

G g

fici;

fici, quia inter moratiores saltem gentes tacita voluntatum consensione ita convenit, ut bellum robore & consilio geratur, non veneficiis. *

XCVI.
*An idem
 liceat in
 innocentes?*

Inter eos, quibuscum bellum gerimus, sunt sæpe, qui minime hostili in nos ferantur animo, sunt multi viribus, ætate, sexu imbelles. Hos, quia nihil injuriæ nobis obtulerunt, ad necem designare, aut plagis, aliove damni genere ex proposito afficere, haud dubie est injustum. Attamen, cum innocentia illorum noxæ esse nobis non debeat, quo minus jus nostrum exequamur, & in ea permissione hominum fieri quoque non possit, ut illos discernamus ab hostibus; consequens est, ut liceat nobis hostem persequi, quamvis prospiciamus futurum, ut multi innocentes eadem clade pereant. Permittimus nimirum tunc eorum interitum, quod jure suo utenti semper licet; non deliberata voluntate expetimus, quod nunquam licet. In fortunâ illorum plus etiam juris esse videtur: cum enim liceat omnes hosti succidere nervos, quibus contra nos reddi pos-

* Jus naturæ si respicias, nihil sane interest, gladio an veneno interimas, quem interficere licet. * Re ipsa gentes Barbaræ tela & sagittas veneno inficiebant; quod de Getis tradit Ovidius, de Parthis Lucanus, de Afris quibusdam Silius, & nominatim de Aethiopibus Claudianus. Quare id non pugnat cum universali jure gentium; sed Europæarum, & si quæ aliæ ad Europææ melioris cultum accedunt.

posset validior ; validiorem autem possint reddere fortunæ suorum civium , non iniuria eas innocentibus etiam dominis extorquemus , etsi nullo incommodo distingui a fortunis hostium possint.

Affinis prope est quæstio , an liceat **XCVII.** Imperantibus neci dedere civem infontem; *An liceat, quando id hostis intentato urbi excidio pe- infontem nit. Directe fieri id non posse , luculen- host: tra- ius jam est , quam ut demonstrari rursus dere?* oporteat. Sed cum eo casu in unius caritate salus civitatis vertatur ; possunt imperantes necem , quam impedire communi periculo non tenentur , communis securitatis causa permittere. Enimvero tunc ipse innocens pro republica tenetur , finis ex iustitia , certe ex caritate , illi discrimini caput suum objicere ; utque objiciat potest etiam imperio cogi , perinde ac non necessario bello cogi ad simile discrimen iubeundum & milites possunt ; id si renuat, non fonte habendus est , ac vel eo nomine potest hostibus tradi. Hac ergo ratione permitteretur tantum ejus occisio ; nam secundum se spectata deditio non ita est fatalis , ut eam necessario cædes sequatur ; et quamvis hæc certissime prospiciatur consecutura ex hostis malitia , ab Imperante videm minime intenderetur.

Non tantum inter hostes , quo tem- **XCVIII.** ore agunt inducias , sed amicas etiam *An licitum, iter gentes accidit , ut alterius reipubli- repressaliis æ civis civem alterius aliquo damno uti ?*

afficiat, & Princeps, cujus in potestate est civis nocens, quamvis compellatus nolit satisfactionem præstare, aut nimium cunctetur; damnum tamen forte est levius, quam ut propterea bellum ciere liceat. Tunc locus est repressaliis, * quæ sunt species quædam belli privati. Potest nimirum Princeps, quo cives suos indemnes servet ac vindicet ab exterorum injuriis, facere iis copiam vi capiendi quemcumque civium, etiam innocentem, nocentis reipublicæ, eumque velut obsidem tenendi, vel ejus bona pignerandi ac possidendi tum diu, dum satisfiat pro damno; ac demum, si ne haec quidem ratione jus extorqueatur, ea sibi habendi. Equidem jure naturæ nec privatus quisquam, nec respublica, factò alienò tenetur; cum obligationes, sive ex pacto, sive ex delicto ortæ, suos tantum autores teneant: at vero jure gentium inductum est, ut, si respublica aut Princeps, pro suo suorumve debito, exteris satisfactionem præstare negligat, pro eo singuli cives & bona eorum obligentur. Neque id immerito; valet enim ea obligatio ad cohibendam vagam exteris damna inferendi licentiam; &, quia cives corpus civitatis constituunt, æquum est, ut factum singulorum civitati, factumque civitatis singulis imputetur. Unde respublica aut Princeps, qui negligentia sua efficit, ut alicui suorum intonti repressaliorum

* Quia Latio sermoni vocabulum deerat, dicta sunt *Repressaliæ* ab italica voce *ripresse*.

rum jure damnum daretur, tenebitur illud resarcire. Subjacent ergo repræfaliis omnes ejus reipublicæ subditi, cujus in potestate est is, qui damnum prior dederat: nisi si quos jura eximios velint: quemadmodum jure gentium eximuntur legati, non ad hostes nostros missi; immunitatis privilegio & constitutione peculiari (a) hi, qui ad cultum Divinum sunt destinati, seu Ecclesiastici; civili jure, qui literis dant operam, & qui ad mercatum veniunt. (b) Porro, cum subditi in repræfaliis ut obsides, res eorum ut pignora æstimentur; profecto ii in servitutem redigendi non sunt, nec plagis morteve multandi; res quoque eorum non amplius, quam ad exæquandum damnum satis fuerit, sunt retinendæ.

Paciscuntur hostes inducias, non quod propositum belli deponant, sed ut ab hostilibus actibus ad tempus cessent. Unde colligimus, in illo otio licitum quidem esse, reficere mœnia, scribere militem, ultro citroque ire; vim vero & insidias omnino abesse oportere: quippe fides vel hosti data præstanda est. * Qui eam violarit, contra eum jus esto bellum redintegrandi; eum ejus

XCIX.
Quid per
inducias
liceat?

G g 3 per-

(a) C. un. de jurejur. & damno dato in 6.

(b) Nov. 134. c. 9. l. un. de nundinis.

* Sæpe etiam extra inducias jus commeandi certis hominibus datur. Eorum proinde itus ac reditus similiter debet securus esse; alioquin inutile est beneficium. Unde accusatus fides Alexandri, qui, quibus abundè potestatem ferat, eos in ipso itinere jussit interfici. De quo

perfidia effectum sit, ut pactum rumpere-
tur. Privatorum tamen offensiones non
rumpunt inducias, nisi publica approba-
tio accedat; censetur autem illa accedere,
si, qui deliquerint, non puniantur, si res
non reddantur, si denique satisfactio nege-
tur: tum enim, pro damni gravitate, vel
repressaliis uti, vel bellum instaurare lice-
bit. Sunt præterea quædam, de quibus
dubites, licita sint per inducias, an illicita;
sed ea omnia ad vivum rescari non pos-
sunt, quia ex paciscentium arbitrio pen-
dent: sic plerumque dantur induciæ tan-
tum permutandorum captivorum, aut hu-
mandorum corporum, aut colloquii causa;
ubi nihil est immutandum: interdum dan-
tur obsessis, tantum ne oppugnentur; id-
que non prohibet, quin intercipientur au-
xilia & commeatus ipsorum: alias personis
cavetur, non item rebus; quo casu quam-
vis non sit integrum, directe personas læde-
re, si tamen lædantur, ad res defenden-
das, id contra fidem induciarum haud fuerit.

C. Rerum captarum justo in bello acqui-
ri dominium, alibi jam ostendimus, (a)
Quid juris acquiratur in res bello captas? superest tamen explicanda una & altera
circa eam rem quæstio. Ac primum qui-
dem,

Plutarchus: τῶτο τοῖς πολεμικοῖς ἔργοις
αὐτῶν, τὰ ἄλλα νομίμως καὶ βασιλικῶς
πολεμήσαντος, ὡς κηλὶς προσεστί: *Hæc
velut macula adhæsit bellicis actionibus Reges
cetera in bello agere & juste & regaliter soliti*

(a) Part. 2. num. 161.

dem, si hoc tantum justo in bello valet; quid dicemus de rebus bello captis, quando illud bona fide susceptum, re ipsa injustum est? Dein, si acquiritur dominium rerum bello captarum: cujus illæ demum futuræ sunt? Cipientium, an reipublicæ? Quid vero, si nostræ ante fuerunt? An non postliminii jure ad priores dominos redibunt? Multum hic discrepant inter se jura. Jure naturæ res mea manet, etiam materiali tantum cum injuria mihi ablata: itaque bello re injusto, quantumvis justum existimetur, non acquiritur rerum captarum dominium. Res justo bello captæ fiunt reipublicæ seu Principis; nihilque interest, mobiles an fixæ sint: illius enim jure, sicut geritur bellum, sic etiam res hostium capiuntur. Idem dicendum de receptis rebus, si in dominio hostium fuerunt: quia priores illarum domini semel extinctum non ideo jus recuperant, quod illæ denuo hosti eripiantur. Sin vero injuria res suas amiserunt, cum propterea non desierint illarum esse domini, receptæ ad illos redeunt, Gentium contra jure acquiritur rerum captarum dominium, si vel formaliter justum sit bellum. Præda rerum moventium obvenit capientibus, etiam receptarum, modo hæ jam fuerint in hostium potestate. immobiles vero, ut fundi, agri, urbes, ad Principem seu reipublicam bellantem pertinent; receptæ redeunt postliminii jure ad priores dominos,

perinde ac si nunquam hostis fuissent. •
 Poterant autem leges ac mores gentium
 hac parte a naturæ jure discedere : cum
 ut miles ad pugnandum spe prædæ exci-
 retur magis , tum ne integri exercitus re-
 stitutionis discrimini objicerentur ; quan-
 quam non discedunt re vera , si accuratelo-
 quamur , sed efficiunt , ut dominia rerum
 in eos transeant , in quos transitura per jus
 naturæ non essent , nisi reipublicæ summo
 imperio aut consensione mutua gentium
 transferentur.

Cl.
 Quid juris
 in victos ?

Jam & homines , suo loco docuimus ,
 captos victosque licite mancipari. (a)
 Nec aliter fere de his , quam de captis
 rebus , jura constituunt : nam etiam hic
 jure gentium satis est , si bellum sit forma-
 liter justum ; captique fiant capientium ,
 perinde atque res mobiles : unum est singu-
 lare , quod recepti jure postliminii redeunt
 ad priores dominos. Hæc quidem ex uni-
 ver-

* Habentur hæc in Jure Romano. De rebus mo-
 bilibus l. 24. & 28. ff. de capt. & postl. revers.
 l. 5. §. fin , l. 51. ff. de A. R. D. , §. 17. J. de
 R. D. De mobilibus receptis arg. l. 5. §. 1. ff.
 de capt & postl. revers. Excipiuntur tamen naves
 oblongæ , & onorariæ , equi fœni patientes : ho-
 mines &c. l. 3. l. 4. ff. de capt. & postl. revers. De
 rebus immobilibus l. 20. §. 1. ff. eod. Quod autem
 hæc obtineant etiam in bello tantum formaliter ju-
 sto , inde colligitur : quia conditores Juris Romani
 bellum ex parte sua utique etiam materialiter sem-
 per justum esse ac fore existimarunt ; & tamen
 l. 24. ff. eod. decernunt , cives Romanos ab ho-
 ste captos , servos effici.

(a) Part. 4. num 36.

versali jure: at Christianis propter sacrorum communionem placuit, bello inter ipsos orto, captos servos non fieri, sed custodia duntaxat teneri tam diu, dum vel permuentur cum aliis, vel soluto lytro redimantur; qui mos apud nonnullas alias etiam gentes obtinet. Solet autem hoc jus captos servandi concedi capientibus; eximiam tantum dignitatis personas si demas, in quas illud reipublicæ aut ejus Principi ex plerarumque gentium usu convenit. Porro qui singulos in servitutem dare, is & subjicere suo imperio universos potest: cum enim licite jus suum persequatur, dum hostem eo adduxerit, ut vel nolit vel non possit nocere; si ille omnes æquas pacis conditiones respuat; profecto non injuria victor imperium sibi in victos vendicabit, ac reipublicæ formam arbitrato suo constituet.

Belli hætenus jura, nunc pacis exequamur. Quemadmodum illud est status *CII.*
gentium liberarum, vel hominum in statu naturali positorum, per vim certantium *Jus imp-*
tu naturali positorum, per vim certantium *rantium*
ium; sic pacis nominæ intelligimus hoc *circa pa-*
oco statum eorundem inter se concordium, *cem.*
d est, quietem reipublicæ ab armis externis, eamque stabilem, & quæ non actiones tantum hostiles, sed etiam animum hostile aliquid exercendi excludat. Interest reipublicæ hoc statu perfrui; quippe ad cujus perfectam felicitatem satis non est, tranquillam res domi habere, nisi etiam foris ei tuta sint omnia. Unde, cum Imperantibus cura incumbat reipublicæ, in-

inter præcipuas eorum partes id merito numeratur, ut pacem tueantur ac servent, eamque, si forte amissa fuerit, quamprimum revehant; bella vero nec suscipiant, nisi pacis studio, nec ultra, quam ad eam restituendam futurum satis videatur, extrahant: nam bello non sunt iusta, nisi cum juris consequendi, atque adeo recuperandæ pacis causâ geruntur; illa sunt via ad pacem revocandam: hæc finis bellorum.

CIII.
Ratio constituendæ
pacis.

Quoniam vero obfirmationes plerumque sunt ad odia belligerantium animi, quam ut in gratiam suapte sponte redeant, utiliter sane admittuntur mediatores, qui eos æquis rationibus inter se concilient; utque reconciliatio illa robur ac perpetuitatem obtineat, visum est omnibus prope gentibus eam foederibus sancire: sponsores etiam interdum adhibentur, alias quoque dantur obsides, quo sua foederibus certior fides constet. Foederis autem hæc solent esse capita: res, homines, jura, bello occupata restituantur: damna illata & impensæ in bellum factæ compensantur: dehinc eorum, quæ hostiliter ultrô citroque gesta sunt; ἀμνηστία perpetua esto. Enimvero injuriarum memoriam æterna oblivione esse delendam, vel inde intelligitur, quod pax natura sua sit perpetua; alioquin habitura tantum vim induciarum, si ad definitum aliquod tempus ab armis discedatur. Quod autem ad restitutionem & compensationem attinet, id fere in paciscentium situm est arbitrio: pacificatio enim

nim est amica quædam transactio, quæ perficitur dato aliquo, aliquo retento.

Cum igitur pax fœdere sanciat; ut d jure atque legitime fiat, non obscurum est, vim injustam omnem, omnemque malum dolum abesse oportere, ac denique requiri ea omnia, quæ contractum constituunt. Equidem conditionum æqualitas isthic non requiritur; quia transactio non fit sine aliqua cessione juris; nec ullus dubitaverit, quin jure possit victor, si quidem victoriam juste retulit, duriores quasdam condiciones victis imponere: 'at certe injustus foret, qui idem auderet utens victoria injustis armis parta. Quod si tamen condiciones injuste sibi obtrusas victus accipiat, eo quod pacem quacunque jactura redimere, quam perire malit; rata erit pactio; etenim metus, quantumvis gravis ac injuste injectus, libertatem voluntati non aufert. Secus vero dicendum, si victor victum dolis circumventum ad assentiendum impulerit, cum enim nunquam re vera consenserit: victus in condiciones, quæ ipsum profus latebant, sane dolo impetratus assensus, atque adeo contractus est irritus. Hæc item in mediatores valent; nam & illi, postquam conciliandæ inter belligerantes pacis ipsis consentientibus officium susceperunt, iis ex pacto obligantur ad rem summa fide ac æquitate tractandam; itaque causas quidem primum utriusque partis expendent, seposito omni partium studio, tum vero

Quid justum in pacificatione?

vero sine fraude sine vi injusta conditiones offerent utrique honestissimas.

CV.
Pax religiose servanda.

Pax fœdere constituta, summa deinceps religione servanda est, oritur hæc obligatio ex ipsa rati contractus indole. Unde conficimus, standum esse vel durissimis conditionibus, quas forte metus extorserit; contra vero ea lege minime teneri victum, qui cum pacisceretur, quidvis aliud potius, quam quod victor calide dissimulaverat, cogitavit: pariter autem & victoris esse, datam præstare fidem, iisque, in quas transactum est, legibus contentum nihil ultra exigere, neque adeo verba quibus pacificatio concepta fuerit, asperius interpretari. * Atque hæc quidem fœderis sanctimonia esse debet perpetua: partes enim cum de pace transigunt, eam non ad tempus, sed, qualis natura sua est, perpetuam pollicentur: attamen cum id singulæ faciant ea conditione, ut & altera pars ab injuriis deinceps temperet, atque in fide maneat, profecto si altera fidem fregerit, aut injuriam novam intulerit, altera liberabitur pacto, bellumque merito instaurabit. Præterea, cum & sponsores pro paciscentibus, spondeant, & obsides pro eorundem fide velut pignori dentur:

* Hinc contra fidem fecit Q. Fabius Labeo, qui, cum Rex Antiochus dimidiâ navium ex pacto deberet, omnes ejus naves medias dissecuit. Valer. Max. Pari perfidia Galli Senones, Romanis mille auri pondo, pro eo ac transfegerant, appendentibus, non modo iniqua pondera attulerunt, sed ponderi etiam addiderunt gladium. Liv.

tur: sequitur, illorum quidem officium esse dare operam, ut partes stent conventis, & si qua inde recesserit, adversus eam parti læsæ succurrere; his vero illicitum esse fugere, nec fugitivos gaudere jure postliminii, & pace violata posse vinculis teneri, bonisque spoliari, quamvis interfici, nisi ipsorum culpa pax esset violata, non possunt.

Fœdera gentes jacere aliis quoque de rebus solent: puta de jure hospitii, de libero comœatu, de commerciis; ut altera alteram bello implicatam subsidiariis copiis juvet, nec injussu alterius alicui bellum inferat, nec bello se interponat, & quæ sunt ejus generis plura, quibus reipublicæ securitas & commoda promoventur. Cumque summi Imperantes, quæ ad eum finem conferunt, omnia possint, quin etiam de illis rebus fœdera jure feriant, non est quod ambigamus. Quæritur autem, an item cum hostibus Christiani nominis jungere: fœdus vel societatem armorum inire liceat? Id quoque facilem habet responsionem: Licet nimirum, si res Christiana inde accessionis aliquid, aut certe nihil detrimenti factura videatur, ut aliquin patet; sed si fœdus perniciosum rei Christianæ esset futurum, non licet: sanctior enim est Christi religio, quam ut ejus ruinis profana crescere aut conservari debeant. * *Vid. Pater Vit. Picbler J. Cas. Pract.*

CVI.
Jus fœderum.

* Nec obstat, Abrahamum cum Aner, & Domino Mambre Gen. 14. v. 13. Davidem cum

Pract. Decis. 34. De fide foederum nil at-
tinet ultra dicere, cum satis ex num. præ-
cedente constet; qua integritate sint ser-
vanda.

CVII.
*Jus Le-
gaorum mt.*

Jus pangendi foedera gentes liberæ
summiq; Imperantes cum habeant, in
congressum autem venire propter locorum
distantiam, gentium multitudinem, alias-
que causas sæpe non possint, immo & perin-
de sit, sive ipsi inter se agant coram, sive
per internuncios; consequens est, ut iis
competat jus legatos & oratores de pace
ceterisque rebus mittendi. Et quia ejusmo-
di negotiorum tractatio ad communem uti-
litatem pertinet, cautum est jure gentium,
ut legati non modo incolumes admittantur
ac dimittantur, sed etiam securi præstentur
a Principe aut republica, apud quam le-
gationem obeunt; sintque ab ejus jurisdic-
tione immunes, & quæ in mandatis acce-
perunt, gerere nullo periculo possint.
Unde ob violatos legatos etiam bella
exar-

Hiram. 3. Reg. 5. v. 1. & cum Rege Philis-
tinorum Achis 1. Reg. 28. Simonem Ma-
chabæum cum Romanis 1. Machab. 14. v. 18.
foedera pepigisse: nam viri pientissimi id ne-
quaquam erant facturi, nisi fieri salvo veri
Numinis cultu, salvisque religionibus posse
vidissent. Diserte vero Deus ad Moysen Exod.
34. v. 12. *Cave, ne unquam cum habitatori-
bus terræ illius (nempe cultoribus falsorum
numinum) jungas amicitias, quæ sint tibi in
ruinam.* & v. 15. *Ne in eas pactum cum ho-
minibus illarum regionum,*

exaruisse legimus: * jure id quidem, quia in legatis tutis esse non licet, pacis ac foederum spes omnis est præcisa. Quod si tamen illi hostile aliquid molirentur, sane de injuria queri non poterunt, si eos Princeps aut respublica aditu arceat, vel finibus excedere ad diem jubeat, cum non teneatur inimicum recipere: atque idem valet, quando bellum oritur cum iis, qui legatos miserunt.

C A P V T VII.

De Officiis Civium.

Præcipere, qualis esse debeat Princeps, pulchrum quidem, sed onerosum, ac prope superbum est, ut ait Plinius: (a) idcirco prætermissa ea tractatione, civium tantum persequemur officia. Cives dicimus, non qui tantum in aliqua civitate aut republica degunt, sed qui ei vi generalis pacti, quo societas illa coaluit, obstrin-

CVIII.
Officia civium vel generalia sunt, vel specialia.

* Tarentini legationem Romanam de læsis civibus querelas ferentem turpi contumelia affecerant; sed victi magnis præliis, flagitium servitute luerunt. Flor. l. 4. c. 8. Corintho etiam exitium attulit, quod legati Romani, incertum an manu, certe oratione violati essent. Bellum gravissimum cum Ammonitis gessit Rex David: causa quod Legatos, amicitiae & solatii causa missos violavit Hanon.
2. Reg. 10,

(a) Lib. 3. Epist. 18.

stringuntur; quamquam secundum communem acceptionem eo nomine ii plerumque veniant, qui juribus gaudent civitatis, quique jus illud vel natalibus, vel Principis beneficio, vel alio quovis modo sunt consecuti. Duplex autem est civium ordo: alter eorum, qui publico aliquo munere in civitate funguntur; eorum alter, qui sibi tantummodo vivunt, suisque duntaxat rebus dant operam. Nihilominus tam hi, quam illi obligantur reipublicæ ex pacto generali, priores insuper ratione muneris, quod gerunt: unde consequitur, officia civium, alia quidem generalia, alia vero specialia esse.

CIX.
Officia generalia erga Remp.

Generalia officia, aliqua reipublicæ, quædam Imperantibus, non nulla civibus debentur. Primum est caritas in rempublicam, quæ una omnes omnium caritates complectitur. Boni cives nihil prius, nihil habent antiquius salute reipublicæ: eo studia sua & cogitationes omnes referunt, nihilque negligunt eorum, quæ ad ejus pacem, utilitatem, ac ornamentum pertineant; quin etiam, si necessitas postulet, pro ea jacturam rei familiaris, opum, atque adeo vitæ facere in lucro ponunt. Et vero, cum reipublica constet societate hominum, in ejus felicitatem ceu finem conspirantium, patet ex communi pacto cives hisce officiis obligari; ut jam non cives, sed parricidæ sint, qui vel cum hostibus reipublicæ colludunt, vel eam intestinis malis convellere aut labefactare
 ni-

nituntur: quandoquidem, etsi injuria essent affecti, satius est, ut valere jubeant ingrattam patriam, quam ut privatas offensiones, quocunque justitiæ obtentu, communi calamitate expient.

Quod deinde ad Imperantes attinet, debet unusquisque civium eos summa observantia, omnique honoris significatione prosequi, * nec ullum gravius putare piaculum perduellione: sacrosancti enim sunt Principes, quippe superiores civibus, nemini vero eorum subjecti. Præterea cum cives voluntates suas Principum voluntati admiserint, iisque fidem suam obstrinxerint; intelligere debent, in ipsorum se esse otiositate, sibi que in solo obsequio relictam esse gloriam; adeoque suarum esse partium, im obtemperare eorum jussis ac legibus, modo ne aliquid imperetur, quod per naturæ aliasve sanctiores leges non liceat; im etiam in fide persistere, neque ulli magis quam ipsis adhærere. Demum, quia communis civium salus in Imperante vertitur; si qua eos reipublicæ tenet caritas, ea

CX.
Erga summos Imperantes.

pro-
* Gentēs Regibus divinos honores exhibebant, templa arasque ponebant: hoc impium est. Nunc Clementissimos, Invictissimos Serenissimos dicimus. Divi appellari possunt sed eo duntaxat sensu, quod Dei sunt Vicarii, & Dei vice judicant. Προσκυνησις adoratio, quam illis exhibemus, nonnisi civilis est ασπασμος salutatio & submissio. Mos etiam probatus ac pervetustus est, dextram osculandi, quod Græci τὴν δεξιὰν προσκυνεῖν dixerant adorare dicunt.

H h

perfecto urgeri debent, ut suos Principes
 ceu Servatores ac Patres patriæ impense
 diligant, eorum felicitati gloriæ, & *commo-*
dis pro virili studeant, pulchrumque ducant
 pro tuenda illorum salute vel ipsam vitam
 effundere.

CXI.
Erga con-
cives.

Officia tandem, quæ cives civibus debent,
 ex communi civitatis fine colligere licet.
 Nempe ad beate in civitate vivendum, fa-
 cile quisque perspicit, necessarium esse mu-
 tuum inter cives amorem atque concordiam,
 non modo alter alterum ne lædat, & cuique
 suum ut tribuat; sed ut mutuis etiam hu-
 manitatis ac beneficentiæ officiis sese profe-
 quantur, præeundo cæteris exemplo ad vir-
 tutem, laborantibus opitulando, omnium
 felicitatem denique consilio, re, opera, quo-
 ad vires & facultates tulerint, promovendo;
 & quamvis ea officia etiam aliis, qui *cives*
 nostri non sunt jure perfecto vel imperfecto
 debeamus, potiore tamen loco eos esse ha-
 bendos, quibuscum arctiore societatis vincu-
 lo jungimur, ut eos præ extraneis sinea-
 ra caritate ac benevolentia complectamur.
 Felicem enimvero rempublicam, cui tales
 cives obtingant! felices & ipsos cives,
 quibus talium sociorum detur consortio frui!
 nihil enim jucundius, certe ad levandas vi-
 tæ mortalis ærumnas nihil aptius tunc foret
 vita civili.

CXII.
Specialia
officia ma-
gistratum.

Venio ad Magistratus, sive ad eos, qui
 munus aliquod in republica gerunt, & pa-
 rendi necessitatem cum imperii jure habent
 conjunctam. Horum alii in hominum gu-
 ber-

bernatione, ali in opum publicatarum administratione versantur. In hominum gubernatione sunt, primo Consules & Senatus, tum Prætores seu Judices; qui vero opus reipublicæ curant, Quæstores dicuntur, itaque omnis respublica Consulari, Prætorio, Quæstorio magistratu perficitur; atque ad hæc tria genera cæteræ dignitates ac munia eferuntur. De quibus id universe potest constitui; quoniam magistratus a summo Imperante potestatem accipiunt, & diversa illa minorum genera totidem sunt veluti viæ curationes, quibus unus idemque finis, communis videlicet felicitas procuratur; necesse esse, ut illi intra definitos potestatis limites sese contineant, partes vero mandati hi muneris summa fide, integritate, constantia exequantur; & quia ea res accommodatam rerum peritiam atque usum requirit, si cui forte muneris impares sese noverint, neque ambiant illud, neque ultro delectum, si ab aliis supplendum videatur, suscipiant. Sed jam de singulorum officiis pauca dicamus.

Senatus a consiliis est civitatum rectoribus, etque præfunt Consules. * In eo munere

H h 2

ca-

* Quod in Aristocratiâ ac Democratiâ Senatus, hoc in Monarchiâ Consilium, alibi Consistorium, alibi Parliamentum vocatur; inter quæ, si omnia legitime administrantur, non aliud est discrimen, nisi quod consilia Monarchatum ab illis pendeant, in Aristocratiâ libera sint, in Democratiâ populi suffragiis firmentur. Hinc Senatusconsulta, plebiscita, Tribunitiæ rogationes, quæ in Romanorum Republica vim legis obtinebant.

CXIII.

Officium

Senatus,

seu Consiliorum.

caput est, nosse Rempubicam, nosse quæ in deliberationem veniunt, nosse unde sana consilia petas : perspicacia mentis, jurium atque legum peritia, præteritorum temporum exemplorumque ampla cum ratione cognitio, & magister rerum, usus, hic plurimum possunt. Alterum est, purum ac incorruptum iudicium: ponendi sunt affectus, odii cum primis & avaritiæ; partium, & rerum privatarum, atque exterorum Principum studia exuenda: nequit animus his occupatus in publicum recte consulere. Tertio sint meditata consilia: quidquid impetu agitur, raro invalescit; ubi tamen periculum in mora est, maturato est opus. Quarto, quod post accuratam meditationem, verum ac salutare videbitur, id denique proferatur in medium: non enim optima consilia sunt, quæ jucundissima, sed quæ vera ac salutaria: improbi est consilii, principio verum celare, & cum fortuna principis loqui, tandem quo res inclinât, eo sententiam torquere. Quinto consiliarius neque audacior sit, quam gravitas rei exigat; neque ita suæ opinionis tenax, quin eam lubens cum meliore commutet: qui consilii, quamvis egregii, quod non ipsi attulere, sunt inimici, existimationis suæ magis, quam reipublicæ consultum volunt: audacium consiliorum autores retundentur, si quod suadent, exequi jubeantur. In summa arbiter consiliorum sit Deus, norma amor reipublicæ, scopus ejus felicitas.

In

In foro & judiciis justitia dominatur, atque ad illam sartam testam servandam iudices seu prætores constituuntur. Ejus muneris duæ sunt partes; altera in causis cognoscendis, altera in dicendo jure versatur: nam cognoscere causam, nec tamen de illa sententiam ferre, est inutile; ferre vero sententiam de causa, quam non cognoviss, temerarium atque injustum. * Debet autem iudex ferre sententiam pro eoque argumenta vel testimonia causam evirerint: seu, quod ajunt, secundum allegata probata: alioquin enim incerta foret ac perturbata judiciorum ratio, quando, subta ea lege, iudicibus patium studio occutis locus daretur, per speciem privatæ ientia eludendi momenta in iudicio proicta, atque adeo contra jus & fas agent.

Præterea cum iudex legibus reipublicæ non sit superior, sed iis perinde ac ceteri cives teneatur, consequens est, ut eundem eas debeat, non pro arbitrio

H h 3 suo

* Olim apud Romanos Magistratus a Iudice secretus erat. Jus dicebat Prætor: Consules enim sæpe avocabantur, ne jus dicere possent, itaque juris dicundi causa creati sunt Prætores. Iudices vero dicebantur, qui a Prætore dati fuissent, dicti etiam *delegati* vel *pedanei*, quia pedibus stabant, non sedebant pro tribunali, & de causa cognoscebant, non jus dicebant. Hinc tria illa solennia Prætoris verba, *Do, dico, addico*: scilicet *do* iudicem, qui causam agnoscat; *dico* jus inter actorem & reum; *addico* rem vincenti.

fuo judicare; nec proinde possit a præscripto discedere, seu absolvendo, quos damnant leges, seu quos illæ absolvunt, damnando, imo neque exaggerando leniendove sententiam a legibus definitam. Quamquam si causa aliqua deferatur aut legibus non expressa, aut ita variata, ut legum conditores videantur eam noluisse perstringere; cum illi prospicere non potuerint causarum omnes qualitates, merito hinc colligimus, iudicibus id juris esse concessum, ut pro ratione causæ, nunc legem ad similes causas extendere, nunc eximere causam a lege, adeoque rigorem augere vel minuere possint; non id quidem pro libidine sua, verum ita, ut interpretationem legis ad legislatoris mentem accommodent. Atque ex his pronum est cogitare quanta esse debeat in iudice legum iuriumque peritia, ne ab illis aberret; quanta deinde æquitas, ut partes litigantes, scilicet actorem & reum audiat, neminem non auditum condemnet, iudicium non comprehendat, ponderet momenta causæ & cum lege contendat; quanta denique fides, quantaque constantia ut procul habeat omnem cupiditatem, odium, invidiam, metum, & quidquid eripere recte iudicandi facultatem potest.

CXV.

Quis si
convictum
Iudex sci-
at esse in-
fontem?

Quærent hoc loco, quid agendum sit iudici, si, quem scit esse infontem, iudiciis publicis revincatur? Ut cumque videatur aliis, ego quidem ita existimo: minoribus in causis revictum, esse damnandum; sed in capitalibus, ubi nempe de capite vel mutilatione agitur, tentandas iudici

dici omnes vias, ut periculo innocentem expediat, & quamvis proposita vel gravissima poena compelleretur sententiam dicere, nunquam tamen esse committendum, ut eum condemnet. Propositionem confirmo. Potest respublica vel Princeps, ob emolumentum publicum, civem iudicio convictum, quamvis re ipsa innocentem, modica coercitioni subicere, potest eum dominio rei in litem deductæ privare: cur enim jure domini eminenti & summi imperii non possit in præsentis casu, quod eodem jure in præscriptionibus & aliis casibus potest? Hoc vult respublica, quando iudicibus præcipit, ut sententiam ferant secundum allegata & probata; (a) quando executorem jubet exequi sententiam, quamvis ipse sciat esse injustam; (b) utque velit, commune etiam emolumentum, scilicet ne fluctuent judicia, neve iudicium fraude contaminentur, postulat: ergo in causis minoribus potest ac debet iudex publice convictum, etsi innocentem sciat, damnare. Jam capitalium causarum alia est conditio: dominium supremum in vita & membra hominis Deus uni proprium sibi esse voluit, gladium vero reipublicæ summisque imperantibus dedit ad facinorosos tantum, nunquam ad feriendos innocentes: quapropter nec illa potest iudici eam potestatem in innocentes concedere, & ferenda proin sunt

H h 4

ju-

(a) l. 6. ff. de off. Præf. Clemen. fin. §. sententiam de V. S.

(b) Cap. 28. §. Quia vero de off. Jud. deleg.

judici acerba quæque potius, quam ut in tali causa contra innocentem sententiam dicat.

CXVI.
Officium
Quæstoris.

Ultimum genus magistratus in rebus patriæ acquirendis, conservandis, augendis occupatur, idque ad quæstores, quod quæstui reipublicæ curam impendunt, pertinet; itaque illi patrimonii publici, id est, ve-
tigalium redituumque omnium, ædium publicarum, portuumque sunt curatores: illis, pecuniam in ararium recondere, ac erogare, in codicem accepti & expensi referre incumbit. Nulla in re majus est periculum, nusquam facilius etiam viris constantibus lapsus: magnam pecuniam, magna lucri occasione, longo tempore accipere, expendere, sine culpæ suspitione, arduum est; non usurpare unam ex sexcentis artibus prædandi, quæ sunt in promptu, animi est integerrimi. Hic qui fidem servat, muneris partes omnes implevit.

CXVII.
Quando ci-
vis esse quis
desinat?

Ex his reliquorum officia, quorum non nullæ in Senatu, vel judiciis, vel quæstura sunt partes, facile quisque conficit. Cæterum nemo dubitaverit specialibus Officiis tamdiu aliquem teneri, quamdiu munus gerit, generalibus quamdiu civis est. Civis autem esse quis desinit, primo cum civitas cuncta dissolvitur, seu id communi consensu, seu pestilentia, bello, aliove sinistro casu eveniat: nisi forte & illi pauci superstites communem imperantem haberent; quo casu, quamvis exilis, maneret tamen

respublica. Deinde, quando bona imperantium cum venia aliquis civitate, excedit; sic enim, quantum ad ipsum attinet, solvitur illud vinculum, quo civitati adstringebatur. Postremo & ii, qui sua culpa civitatem amittunt, seu qui auctoritate publica e civium albo eraduntur, procul dubio cives esse desinunt; non item, qui relegantur exilii causa, præsertim si latres & fundos in civitate retineant. Si respublica in duas distinguatur, aut duæ coalescant in unam, non desinunt esse cives, sed civitate mutantur. Idem evenit, cum deducitur nova colonia, quæ rempublicam singularem constituat: alioquin, si ea ut pars adhæreat matri civitati, cives qui in coloniam mittuntur, eidem civitati manent adscripti. Sed hæc clariora sunt, quam ut longiore explicatione indigeant. Illud necesse est, ut quisque secum reputet, in terris dum agit exulem se esse; proinde ad superbam illam, bonisque omnibus propositam civitatem aspiret, cui adscribi vera est felicitas, ad quam omnis nostra Philosophia refertur.

F I N I S.



A P P E N D I X .

DISSERTATIO I.

De nexu Juris Naturæ cum Natu- rali Theologia.

Magna in homine vis est naturæ: natu-
ram sequi, legibus naturæ vivere,
plerique omnes expetunt; & qui
sapientiæ affectantur gloriam, omnia ad Juris
naturalis normam exigenda putent. In quo
animorum studio, si a quæstione legum, quæ
jus naturæ perficiunt, abstineamus, nihil ad-
modum reprehendendum videtur; postquam
ipsi adeo severioris philosophiæ sectatores bene
vivere nihil aliud esse, quam naturam sequi, na-
turæ convenienter vivere docuerunt. * Et, si
cæ-

* Zenonis Cittici dogma erat ὁμολογούμενος ζῆν, conve-
nienter vivere, Cleanthes Naturæ nomen addidit. Hinc
Lucanus in laudibus Catonis lib. 2.

- - Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, servare modum, - - -
Naturamque sequi.

æteræ res creatæ officio suo rite funguntur, quando naturæ legi obtemperant; quid est, cur homo partes suas minus explere, cum naturæ luctum sequitur, censeatur?

Illud tamen permagni interest nosse, quid naturæ nomine quisquam accipit. Equidem naturam sejungi a Deo neutiquam posse, secluso Deo Jus naturæ nullum esse, & naturam sequi ducem, id denique nihil esse aliud, quam Deum sequi existimo. * At contra fere accidit, ut qui Jus naturæ purum quæerunt, si quando in eo Deum legant, Deum Autorem & Principium Juris naturalis compellari intelligant, velut qui fastidiente sunt stomacho, protinus illud rejiciant, ad Theologiam ablegant, nihil esse communionis Deo cum Jure naturæ, Jus naturæ in ipsis naturæ visceribus situm esse, licere ut Divinum Jus in Deo quæeratur, Jus naturale nusquam, nisi ex ipsa natura, repetendum esse contendant.

Mihi vero, qui ita disputant, solem a die excludere, & in exanimi corpore vitam nihilominus affirmare videntur. Sincerum, Jus na-

* Rotunde Epictetus, explicans mentem Stoicorum, Naturam sequi, ἐπεὶ οὐδὲν τῶν θεῶν Deum sequi, esse dixit I. 10

naturæ petunt; sed nempe sincerum esse aliud nolunt, quam ubi nullus Deo locus relinquitur; quasi possit jus aliquod consistere sine illo, cujus unius stat voluntate. Attamen ex ipsa natura eruendum est Jus naturæ? Eruatur sane; æqua est postulatio: ubi enim, nisi in natura Jus naturæ quaeramus? Natura ergo in contemplationem veniat. Ea non suamet virtute ex nihilo suo prodiit; ab alio ente, quod omnem naturam finitam superat, suam ducit originem: illud Deum dicimus. Hic vero num temere naturam talem condidit? Nullone consilio, nullo certe sine illam suscepit molitionem? Absit, ut in sapientissimum Numen tantam imprudentiæ notam impingamus. An vero finem alium extra se ipsum potuit statuere, cujus ea est natura, ut nisi propter semet ipsum nihil operetur? Jam qui hunc finem naturæ præstituit, erat profecto sapientiæ ejusdem, naturam ad eum certa ratione dirigere; erat Bonitatis velle, ut ad illum ipsa natura contenderet; erat Justitiæ præcipere, ut descriptam sibi ab Autore suo normam sequeretur. En legem, en Jus naturæ ex natura ipsa depromptum.

Verum istius modi ratiocinatio haudquaquam

quam probatur, iis qui Deum e jure naturæ proscribunt: nihil illis natura conspiciendum objicit, *congenitum appetitum ad conservationem sui* ut Hobbesius; aut *amorem sui maximum, summam egestatem propriam, aptitudinem ad commodum aliis exhibendum, aptitudinem & appetitum nocendi*, ut Puffendorfio; aut *essentiam & nescio quas determinationes ad actionem humanam concurrentes*, ut Wolffio. Mirum, tam perspicaces animos, qui cætera omnia in natura videant, unam illam naturæ ad Autorem ac Finem suum necessariam habitudinem non invenire; aut si inveniant quidem, tanquam inutilem studiose rejicere! Atqui rejiciendum minime erat, a quo omnis Juris naturalis pendet cognitio. Nam hæcenus quidem Legis nomine, qua liberæ hominum mentes stringerentur, voluntatem superioris alicujus potestatis omnes intelleximus: talis lex, tale jus naturæ quæritur; rescindenda igitur nequiquam est a juris naturalis inquisitione ea consideratio, quæ universæ naturæ Legislatorem ostendit.

Nisi forte extra Deum potestatem aliam intra naturæ fines invenias, quæ humano generi leges præscribat. Juvat rem

in

in exâmen vocare. Abdicamus tantisper mentem a Deo, alium etiam de habitudine naturæ ad autorem finemque suum taceamus: quid porro in natura humana relinquitur? mens, corpus, libertas. En legem, succlamant Athei, in mente humana repositam! ut absit a natura quam longissime Deus, certe quidem innata ratio officio suo non de-erit, quin justas agendi leges definiat.

Itane vero fieri potest, ut præco legem pronunciet, quam nemo tulisset? Aut erit unquam legere in mente humana aliquam vitæ normam, in ea nunquam exaratam? si eum, qui legem suam menti humanæ inscripsit, & promulgandam tradidit, semel e medio tollas, quid, nisi tabulam rasam, & mutum simulacrum invenies? Sed ne nihil demus Atheis, fingamus non fore tam cœcam rationem, quin vel a Deo secreta, quid homini in vita agendum, quidve prætermittendum sit, neminem e. g. lædendum, egenti subveniendum esse, edoceat. Illud quæro, cur ita rationi obtemperandum esset? Nempe quia alterum vetitum, præceptum esse alterum dicitaret. At cujus imperio præceptum, cujus vetitum? rationis opinor. Quis vero tam rationis impos, ut rationem se ipsa superiorem, ac inferiorem se-

emet eandem existimet, ut libertatem suam circumscribere debeat, & morem eadem bi gerere compellatur? Cur non congenita libertate frui, quam sibi ipsi frænos injicere malit?

Naturæ, inquit Atheus, consentaneum est, egenti succurrere, injuria quemquam afficere perniciosum. Haud equidem istud incior: sed sublata ea potestate, cujus imperio humana voluntas pareat, quid est, ut ea, quæ consentanea sunt naturæ, procurare: avertere contra ab illa exitium teeamur? Cur non ex æquo liberæ menti liceat, ut studere commodis naturæ, sic & verniciem ei accersere? suum enim robur, uamque vim obtinet usque libertas, nisi potestate contineatur majore: menti autem humanæ quis designet agendi limites, si unum illud, ex cujus nutu pendeat, Numen aueras?

At enim natura ipsa innato studio in sui custodiam fertur, & abhorret ab interitu. Quod tum? An ex naturali propensione justitiae injustique terminos statuemus? Et bruta animantia hoc aguntur impetu; nec tamen eis justitiæ colendæ officium incumbit: &, si

ex

ex appetentia ducendum est Jus naturæ : cur ex illa potius , quæ ad se ipsam , quam quæ ad Autorem finemque suum naturam dirigit , repetatur ? Satis hic videre est , non aliud præscisso Deo ligare hominem jus naturæ , quam quod ei cum belluis commune sit : naturalem scilicet appetitum necesse est dominare , jura & leges scribere , vitæ & actionum regulam definire. Atqui tamen liberæ mentis , & bruti animalis , multum dispar est ratio : hoc necessitate impellitur , illa suo agit arbitrio : hoc vita fruitur cum corpore extinguenta , illa perpetuo duratura manet : ejus actiones præmii aut pœnæ habent meritum , non hujus. Quis ergo non videat , non eandem utrique esse legem naturæ , non idem vinculum ? alteram morali obligatione , cæca necessitate teneri alteram ? & , si naturali appetitioni vis omnis ligandi humanam voluntatem tribuitur , nihil amplius ultra physicam necessitatem adstrui ? tolli vero eam , quam moralem , hominique propriam esse offendimus.

Jam soluta obligatione morali , ipsum quoque justum injustique nomen inane futurum est : ea deinceps justa appellare tantum licebit , quæ cuicunque naturæ appetitioni congruant ; atque injusta , quæ

iaë eidem advenfentur : natura, modo fi in-
 etu fuo ducatur, utut nulli fubjecta imperio,
 ftitiae habebit laudem. Igitur & brutae ani-
 antes a iuftitia commendari debebunt, quod
 etus fuos custodiant, quod irafcantur, quod
 nent: ductum enim fequuntur naturae. Ea-
 em ergo erit hominum atque brutorum iuftitia.

Quod fi moralem quandam obligationem
 k ingenta hominibus propenfione, aut habili-
 te eorundem ad vitae officia, aut denique e-
 ocietatis colendae ftudio enafci velis: vide quae
 ide morum praecipua, quam ridicula, quam
 efaria multa extitura fint. Nam fi commodis
 oftris fervire, nec deeffe alienis tenemur, pro-
 terea quod natura nos ad haec affinixerit; cum
 adem habilitatem nobis indiderit ad canen-
 um, equitandum, luctandum, pari iure
 d ea exercenda nos obligari conficies. Quid?
 uod ad maleficia, caedes, atque rapinas ido-
 ei natura fumus: igitur nunquam committen-
 um, ut talia negligamus? Non iterum di-
 am, focietati humanae potefatem nullam effe
 n voluntates hominum, feclufo Divino impe-
 io: fed fi communi pace, aut Reipublicae
 ranquillitate jus & fas omne decernendum ef-
 let; quid jam iniquum, quid non honeftum
 putemus? Quid eft, cur Perfaram licentiam,

connubia cum matribus ineuntium; aut inhumanitatem Spartanorum, mergentium ineptos armis pueros; aut Indarum mulierum, post funera maritorum rogo se devotentium, stultitiam reprehendamus? Communem patriæ felicitatem illi populi hisce præfidiis promotum ibant.

Non vacat argumento huic diutius immorari. Sed qui sapiunt, ex iis, quæ strictim diximus, satis intelligent, non fas, non legem, non justitiam ullam fore, ubi semel a jure naturæ Deum removeris: frustra esse Grotium, qui juri locum aliquem concedit, *etiamsi daremus, non esse Deum*; frustra Hobbesium & Puffendorffium, qui ex appetitu vel habilitate naturæ ad commoda peritura leges repetunt; frustra Ill. Wolffium, qui doctrinam juris naturalis profitetur se tradere ad Atheorum ingenium accommodatam. Sanior hac parte illis Gundlingius: *Mihi, ait, fixum est, Deum ex Systemate Juris naturæ omiti non posse. Initium sapientiæ est timor Dei. Cur hic relinquamus Deum? In Mathefi possum a Deo abstrahere, nihil hic refert, si errem: secus habet in moralibus, ubi displicet Deo, ni faciam.* (a)

DIS-

(a) Discours über das Vernunft-Recht. cap. 1.

DISSERTATIO II.

De Nexu Juris Naturæ cum Jure
Civili.

Multorum hodie animos ea pervasit opinio, ut arbitrentur in ediscenda juris naturalis prudentia ab adolescentibus operam perdi: propterea quod eam vivimus ætatem, qua ex legum civilium præscripto mores formandi sint; eæ vero leges sint ejusmodi, ut cum jure naturæ nihil communionis habere videantur. Quibus ergo ita respondere soleo: si eam juris naturalis scientiam putant, quam lutulentis e fontibus avidissime plerique hauriunt, recte illos quidem, immo nimis quam modeste sentire; siquidem illam non modo inutilem, sed pestilentem etiam, ac reipublicæ longe perniciosissimam existimare debemus; si vero eam intelligunt, quam sana Philosophia, facem præferente recta ratione, invenit, inventamque sapientissimis legibus illustravit, injurios eos esse nobilissimæ scientiæ, cujus tanta est cum jure civili cognatio, ut hoc nihil aliud esse videatur, quam honestas ipsa

naturæ, ad reipublicæ institutionem reſta, Romanorumque moribus ac literis explicat.

Etenim univerſum, qua late patet, juſ civile incunabula ſua & progreſſiones morali Philoſophiæ debet, cujuſ ſummam in explicando jure naturæ verſari nemo ignorat, qui vel notiones utriuſque appellationis perſpexerit. Atque, ne quid attingam de Romulo & Numa Pompilio, quorum primus juſ naturæ extulit, & matrimonii, educationis liberorum, uraque parentum ſtabilivit; alter propter ſapientiæ famam e Sabinis ad regnum evocatus, de homicidiis, de contractibus, de ſacrorum religione leges promulgavit: certe juſ illud, quod e Græciæ civitatibus per legatos Roman translatum, & cum legibus regiſ conflatum, in XII. Tabulas Romani Decemviri retulerunt, quid aliud eſt, quam quædam Juris naturalis propago, quæ a Græcis Philoſophis ſtudio ac meditatione eruta, apud Romanos poſtea civitatem obtinuit? Qui autem poſterioribus temporibus leges Romanas in fidem cuſtodiamque ſuam acceperunt, cum ſe diuturno doctrinæ atque integritatis experimento populo probaſſent, omnia, quæ in Græcorum ſcholis & Philoſophorum diſputationibus, ex uſu juſtitie ac Romanæ civitatis invenirent, patriſ judiciis ap-

pli-

plicanda tollebant. Unde quidquid a Philosophis de honesto & justo, de finibus bonorum & malorum, de regendis populorum moribus, de legibus & Republica, quæstionibus infinite propositis agitabatur; totum id collegerunt Jurisconsulti Romani, & traduxerunt in Urbem.

Nec vero obscura legimus in jure civili vestigia, quæ Græcorum Philosophorum scholam, ac præcipue Stoicorum redolent: nam ea maxime doctrina ideo in jure civili dominabatur, quia Zeno a rebus gerendis minime, ut aliæ sectæ Philosophorum, avocabat. * Quanta enim sunt tum dicendi genera, tum regulæ atque principia juris, e Stoicorum ducta principiis? Quemadmodum Stoici virtutis, ita & Jurisconsulti se se justitiæ Sacerdotes appellabant. (a) Ut illi sapientiam, ita & hi jurisprudentiam, rerum divinarum & humanarum scientiam definiunt. (b) Leges definitionem nobis Marcia-

I i 3 nus

* Chrystippus enim πολιτεύεσθαι τὸν σὸφόν αἰεὶ prohiberetur, jubebat. Laert. in Zenone.

(a) Laert. in proœm. & Zenon. Ulp. l. 1. ff. de just. & jur.

(b) Seneca epist. 89.

nus tradit a Stoicis (a) Ab eorum commendatio illa humanitatis, & benevolentiae studium ad mutuam opem. Nam Stoici referente Tullio, (b) dicebant, communem esse hominum inter homines, & naturalem commendationem; nosque Seneca (c) docet cognatos esse natura. Eadem ratione Jurisconfulti cognationem quamdam inter nos natura constitutam esse tradebant; ideoque negabant, fas esse homini hominem insidiari. (d) Et Papinianus ait, beneficio affici hominem, hominis interesse. (e) Hominem porro in fructu esse Jurisconfulti negarunt: (f) quam ratione ducti, nisi quod natura omnes rerum fructus hominis causa comparaverit? quod est a Stoicis, qui cætera hominum causa nata esse dicebant. (g) De usuris eandem, atque Stoicorum natio, Jurisconfulti sententiam tulerunt: illi enim usuras vocarunt humanæ cupiditatis extra naturam quæsitæ nomina; (h) Jurisconfulti autem dixerunt, usuras natura non provenire, sed percipi jure. (i) Mitto innumera alia, quæ e naturali Philosophorum jurispruden-

(a) L. 2. ff. de legibus (b) L. 3. de finibus. (c) Epist. 95. (d) L. 3. ff. de just. & jur. (e) L. 7. ff. de serv. export. (f) L. vetus 68. ff. de usufr. & quem quis ut fruatur. (g) Cic. lib. 3. de finib. (h) Senec. lib. 7. de benef. c. 10. (i) Senec. l. 7. de benef. c. 1. Isidor. l. 11. orig. c. 2.

dentia Romani Jurisconsulti mutuati sunt: ad interiorum nexum veniamus.

Plurima imprimis videre est in jure naturæ, quæ eadem & civibus legibus constituta reperiuntur. Id vero conditores legum fecerunt, quo sua legi naturali firmior constaret religio & observantia. Fluxi enim sunt mores hominum & caduci, nisi contineantur atque pangantur legibus, quæ voluntates instabiles & opiniones variabiles ad certam justitiæ formam revocantes, confusosque sensus & vagos in certos privatæ vitæ modos, publicique regiminis regulas conferentes, juris notam, & majestatem publicam imprimant legibus naturæ. Atque ita formam illam justitiæ, quam natura animis omnium mortalium insculpsit, pravæ cupiditibus corruptam ac pene obolitam, civilium legum autoritas pristino nitore ac integritati restituit.

Documento sunt mores tot populorum ac gentium, Romanis legibus ad naturalem honestatem compositi. Quemnam enim fugiunt impia filiorum & parentum apud Persas conjugia, humanarum carniū epulæ apud Indos & Scythas, fratrum & sororum nuptiæ apud cultissimos alioquin populorum Athenienses, furtorum

apud Lacedæmones licentia ? Quis aliorum populorum truculentiam ac feritatem ignorat, vel humanis victimis cædendis, vel fallenda fide, vel iniquis contractibus ineundis, vel obscœnis atque nefariis libidinibus exercendis, quæ flagitia non vi aut clam, sed palam ac rite suscipiebantur ? ea tamen omnia Romanis legibus terga verterunt, suasque secum abstulere pestes. Id enim solenne fuit Romanis, ut quocunque victricia arma intulissent, eo justitiam ac honestatem civili imperio revocarent.

Jam vero pars non minima legum civilium circa id genus versatur officia, quæ ut maxime laudentur ab omni sana Philosophia, jure tamen naturæ non omnino jubentur. In quo admirabilis rursus apparet juris civilis cum naturali in honestatem conspiratio: dum, quod natura citra imperium commendat & approbat, civilis autoritas sua confirmat voce ac potestate, & ad voluntarium virtutis usum legitimam necessitatem adjungit, legibusque perpetuat, quidquid honesti, levitate animorum aut corruptæ naturæ vitio, in desuetudinem aliquando veniret. Quare quod in artibus usu venire experimur, ut eæ ingenio, observatione, industria hominum, naturam perficiant: idem mihi infin-

gen-

endis ad honestatem moribus leges civiles præ-
 are videntur. Rudem enim quodammodo,
 ultisque tenebris obseptam legem a natura ac-
 cepimus, quam postea extulerunt Philosophi,
 tunc concluderunt iis legibus, quas ad se simul
 um omni Græcorum sapientia Romani coege-
 unt: & quemadmodum omnia, humanam ad-
 tilitatem a Græcis inventa, in melius Romani
 onverterunt, ita & radicem ejusdem utilitatis,
 ustitiam & legislationem universam, longe præ-
 lentius & illustrius ac felicius ab eis excultam
 nvenimus.

Nec tamen is fuero, qui pugnaciter evin-
 cere adlaborem, omnes veterum leges, plebi-
 scita, senatusconsulta, Jurisconsultorum re-
 sponso, edicta Prætorum, placida Principum,
 cum juris naturalis regula ex amussi congruere;
 sed neque hujus loci esse arbitror demonstrare,
 qua parte illi civilium legum conditores offen-
 derint. Id vero nemo in dubium revocavit,
 non posse justam existimari eam legem, quæ,
 reclamante natura, lata fuerit. Sancta enim
 est lex naturæ, æternum quiddam, atque di-
 vinum, quæque nullius hominis imperio suffra-
 gioque populi tolli & abrogari possit. Quare,
 si quid & usquam in jure civili, quod ab æqui-
 tate naturali abhorreat, id quidem nunquam ra-

tom haberi potuit, & continuo expulsum aut castigandum esset. Sed non propterea iniustitiæ damnanda sunt aliqua, quæ primo obtutu ab antiquissima illa norma discedere videntur: multa enim reconditum habent sensum, nec legentibus plane obvium; multa prisco discendi genere concepta, nostræ ætati obscuriora sunt; multa denique, collatis temporibus & causis, pro quibus scripta fuerant, aptissime & inter se, & cum naturali justitia cohærere inveniuntur.

Quo manifestius etiam intelligimus, quam necessaria sit Jurisconsulto fidelis legum interpres Philosophia, jurisque naturalis peritia. Nam cum multa quotidie sese offerant, non provisâ majoribus, quæ extra legem vagantur, ea sæpe agitantur subtilitate ac interpretatione dissidentium inter se Jurisconsultorum: quo fieri necesse est, ut plurima pateant affectionibus humanis, & sub eorum, qui sententias ferunt, libidinem cadant. Cui malo sola demum occurrere potest Philosophia, quæ indicet, quorsum, & quo usque sententia legis ratione ducta procurrat, unde deflectat, quo diffundatur, demique quando extendenda sit aut retrahenda: ut, ubi causam verba legis deficiunt, subveniatur ex justitia naturali; ubi jus scriptum

con-

contingit esse asperius, æquitatis legibus temperetur.

Quæ cum ita sint, universum legum civilium corpus naturalis juris prudentia nititur. Hæc imperat civibus, præest magistratibus, aspidetque Principibus; inter quos una & subiectos alit concordiam, dum officia præcipit, & præscribit leges dominiis, animisque imprimat & commerciorum fidem, & contractuum auctoritatem, & magistratum jurisdictionem, & Principum præcipue majestatem. Ut mihi quidem non immerito, quisquis recta ratione utitur, & moralis Philosophiæ regulas ad usum civilis commercii deducit, per semet Romanis legibus imbutus videatur, ac prope Jurisconsultus Romanus esse, quisquis de moribus & justitia ex juris naturalis principiis ratiocinatur.



INDEX

TITULORUM.

PROOEMIUM.

DE natura, partibus, ortu, progressu, ac
utilitate Ethicæ, Jurisque naturalis. Pag. 1

PARS I.

Ethica Generalis. 17

Cap. I. De Statu Hominis naturali. Ibid.

Cap. II. De Fine hominis naturali. 24

Cap. III. De Felicitate Hominis naturali. 32

Cap. IV. De Actionum humanarum natura. 42

Cap. V. De Actionum humanarum bonitate
& malitia. 57.

PARS II.

Jus Naturæ. 65

Cap. I. De Norma Actionum humanarum,
& constitutione Juris Naturæ. ibid.

Cap. II. De Principio cognoscendi Juris
Naturæ. 77

Cap. III. De Juris naturæ Divisione, &
Proprietatibus. 90

Cap. IV. De Applicatione Normæ & Juris
Naturæ ad actiones humanas. 105

Cap. V. De Officiis hominis erga Deum. 121

Cap. VI. De Officiis hominis erga se ipsum. 246

Cap. VII. De Officiis erga alios perfectis &
absolutis. 196

Cap. VIII. De Officiis erga alios hypotheti-
cis, ubi de Dominio, ejusque
acquirendi modis. 225

- Cap. IX. De Officiis, quæ ex pactis & contractibus profiscuntur. 21
- Cap. X. De officiis erga alios imperfectis. 28

P A R S III.

Ethica Specialis.

- Cap. I. De Affectibus animi. 30
- Cap. II. De Virtutibus & vitiis. 31
- Cap. III. De Prudentia. 34
- Cap. IV. De Fortitudine. 33
- Cap. V. De Temperantia. 33
- Cap. VI. De Justitia. 33
- Cap. VII. De Amicitia. 34

P A R S IV.

Oeconomica, & Politica. 361

- Cap. I. De Societate conjugali, ejusque officiis. ibid.
- Cap. II. De Societate Paterna, deque officiis Parentum ac liberorum. 380
- Cap. III. De Societate Herili, deque officiis Dominorum & Servorum. 402
- Cap. IV. De Societate Civili, ejus origine & variis formis. 409
- Cap. V. De Furibus Majestatis: primo de immanentibus. 426
- Cap. VI. De Furibus transeuntibus Majestatis. 457
- Cap. VII. De Officiis Civium. 479

APPENDIX.

- Dissertatio I. De nexu Juris Naturæ cum naturali Theologia. 490
- Dissertatio II. De nexu Juris naturæ cum Jure Civili. 499

ad r. p.
ad r. p.
ad r. p.
S II.
cialis
...
...

S II
Polar
ing...

...
...
...
...
...
...

BIBLIOTECA DE MONTSERRAT



13020100003547

BIBLIOTECA

D

MONTSERRAT

Armario XVII B

Estante 19

Número 49



